UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enchiridion Theologiæ Pastoralis Et Doctrinæ Necessariæ Sacerdotibvs Cvram Animarum administrantibus

Binsfeld, Peter

Avgvstæ Trevirorvm, 1609

urn:nbn:de:hbz:466:1-40721

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2208.

G II
16.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vgl. 2071.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ENCHIRIDION

THEOLOGIÆ PASTORALIS ET DOCTRINÆ NECESSARIÆ SACERDOTIBVS CVRAM ANIMARVM administrantibus, conscriptum à R.P. PETRO BINSFELDIO Suffraganeo Treuirensi Doctore Theologo, in gratiam examinandorum pro cura Pastorali.

Lib. collegij Societ. IESV Paderborn. An. 1600

NVNC SECVNDO RECOGNITVM, & in multis locis vtiliter auctum.

ADIECTVS EST IN FINE LIbellus R. P. Francisci Borgiæ, de ratione Concionandi, per quam vtilis.

MALACH. II.

Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum est.

EDITIO VLTIMA.

AVGVSTÆ TREVIRORVM.

Ex Officina Typographica Henrici Bock,

ANNO 1609.

Cum gratia & Priuil. Cæs. Maiest. ad decennium.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REVEREN-DISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. Ioanni Archiepiscopo Treuirensi, sacri Romani Imperij per Galliam & Regnum Arelatense Archicancellario, Principi Electori, salutem & perpetuam in Domino fœlicitatem, PETRVS Suffraganeus exoptat.

NVLLA ars doceri præsumitur, nisi prius intenta meditatione discatur, Reuerendissime in Christo Pater, vt D. Gregor. Magnus attestatur, & experientia rerum omnium magistra demonstrat: Proinde ab imperitis sacerdotibus magisterium Pastorale in magna temeritate suscipi, & cum maiori animarum periculo administrari, nemo sanæ mētis dubitat: Cum ars artium sit regimē animarum. Quis enim, inquit, sanctus Doctor, cogitationum vulnera occultiora nesciat esse, vulneribus viscerum? Et tamen sæpe, qui nequaquam spiritualia præcepta cognouerunt; cordis se medicos profiteri non metuunt: dum qui pigmentorum vim nes-

1. part. curæ Past. cap. 1.

ciunt, videri medici carnis erubescũt. At q̃, si ex medicina corporum curam contemplemur animarũ, eam tantò difficiliorem reperiemus, quantò excellentior animæ portio, corpore. Corporalis enim medicus corporũ complexionem perscrutatur, morborũ causas inuestigat, temporis, loci, ætatis, similium q̃, rerum circumstantias considerat, omnem q̃, curã impendit, ne in minimo artis decreta transgrediatur. Quæ certè omnia magnam solicitudinem & diligens studium requirunt. At spiritualis medici officium est mores corrigere, hominum conuersationem cognoscere, animos purgare, vitia expellere, remedia contra peccata quæ animæ morbi sunt, præscribere, oleum diuinæ misericordiæ, vel vinũ iustitiæ vulneribus sauciatis, more periti medici, super infundere, peccati & peccatoris conditiones inquirere, cuncta, quæ intra & extra hominẽ geruntur, dirigere: Quibus operibus quis sapiens separem iudicabit? Auget quoq̃, periculum, quod Pastor animarũ iudicis partes in foro conscientiæ subire tenetur, qui profectò cauere debet, vt sicut non commisit crimẽ nequitiæ, ita non careat munere scientiæ. Oportet vt sciat cognoscere, quicquid debet iudicare.

Cap. 1. 6. Caueat. de pœn. d. 6.

Iudi-

Iudiciaria enim potestas hoc postulat, vt quod debet iudicare, discernat, vt sacer canon loquitur: Alioquin vt cæcus de coloribus, quos non percipit, male iudicabit. Cũ ergò tãta difficultas muneri pastorali coniuncta sit, dolendum & maximè deplorandum, quod his afflictissimis temporibus à multis, qui vix humaniorũ literarum perfecta fundamenta iecerunt, regimen animarũ angelicis humeris formidandũ appetatur & suscipiatur. Profectò si tales, vt fieri deberet, prius vires suas cum onere, quod subituri sunt metirentur: aut se impares reperiendo, abstinerent: aut certè cum maximo metu ad id, cui se sufficere existimant, accederent: Quod quia ex ignorantia, cunctorũ errorum matre facere negligunt, in Ecclesiã mala, quæ Ezechiel negligentibus pastoribus asscribit, irrepũt. Pastores pascunt seipsos non gregem, quod infirmum est non consolidant, quod ægrotũ non sanant, quod abiectum non reducunt, quod confractum non alligant, & quod perijt non quærunt; & sic proh dolor in multis locis sicut populus, ita sacerdos. Hisce malis Sacrosanctũ Concil. Trident. oportunum remedium adhibuit, quando ad Ecclesiæ reformationẽ sanciuit, vt beneficia pastoralia

1. q. 1. ca. Nõ est putãda.

Ezech. 34.

Sess. 24. de reformat. c. 18.

ralia conferātur nisi eis, qui maturo examine præcedenti, digni inuenti fuerint. Hoc modo, inepti, quos temeritas impellit, aut cæcus amor habendi trahit, vel carnalis affectio promouet iuxta illud Oseæ. Quia tu scientiā repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi, reijciuntur: & idonei, qui discretione, scientia, & morum honestate fulgent, ad Dei gloriam & Ecclesiæ ornamentū admittuntur. Quæ causa etiam tuum animū mouit, Reuerendissime Domine, vt cum non modo huius examinis salutarem vsum, sed etiā summam necessitatē in tua Ecclesia, cui gratia Dei præes, animaduerteres, illud ipsum iam ferè obliuione sepultū, de nouo ante quatuor annos, ad frequentiorē praxim reuocaueris, & ab omnibus diligēter obseruari mādaueris, ne vlli aditus ad curatorū & confessariorū officium pateat, sine præuio examine & approbatione: sic plane nunc perspectum existit, quantū mali ex omissione examinis prouenerit, & quantū boni sperandum, si vt necessitas postulat, cōtinuetur. Ab eo autem tempore, quo examen innouatum, multi conquesti sunt, quod ignorent, quibus studijs instructi cōparere debeant, atq; formam aliquā præscribendam iu di-

Oseæ. 4.

iudicarunt : Cum nec omnibus contingat adire Corinthũ, vt Doctores, aut in Theologia excellentes esse possint, nec cunctis sit ea ingeniorũ vbertas, vt profundã Theologiam intelligere queant, Hæc & similia quandoq; mihi obiecta ex eo tempore, quo cum alijs ex commissione Tuæ Celsitudinis examini pastorum præfui. Quare cum putassem eorũ querelam non omninò ratione carere, pro rudioribus & simplicioribus ad curata beneficia promotis, aut etiam promouendis, qui vt indies conspicimus, scholis artium relictis, aut statim Philosophiæ cursu absoluto, ne salutato quidem limine Theologiæ, officia pastoralia acquirere cõtendunt, & oblata suscipiunt. Enchiridion Theologiæ pastoralis in ordinem digerere proposui, vt qui reconditã Theologorũ doctrinã capere non valent, sufficientẽ scientiam quasi in vno fasciculo collectam in promptu habeant, qua propriã pietatem conseruent, & subditorũ salutem pro onere suscepto promoueant, Cogitaui autem consultum fore captui eorũ, quibus meum studium proficere in Domino desidero, si materiam in formã contraherem, ita vt paruulis, quibus lacte opus est, cum solidum cibum deglutire nequeant, ad suum officiũ

ritè decenter q̃, obeundũ, nihil necessarium subtraherem: nihil etiam superfluum adderem. Ac vt sic breuis essem, ne obscurus fierem: sic longus, ne rerum multitudine rudioribus horrorẽ incuterem. Quia simpliciores nonnunquam laborant in discendo: sed quæ communis multorũ natura est, breuia non valent intelligere, & prolixa non amant legere: Fuit autem mihi curæ, vt in discrepantibus Theologorum sententijs, & difficilioribus conclusionibus, auctores probatos ac graues pro doctrina, quam trado, citarem subiungerem q̃, vt animi eorum, qui Theologicarũ rationum vim non penetrant, auctoritate confirmentur ad quiescendum in doctrina: Sic tamen volui me simplicibus accommodare, vt mediocriter docti etiam suo fructu non careant, si lectio placebit: Miscui subinde scitu digna pro clericis vtriusq̃ status. Tamen eius non sum sententiæ, vt hisce meis omnes velim, aut cupiam adhærere: Cum multi in Theologia excellentissimi, ex quorum fontibus hos riuulos deduxi, ampla volumina, & longos tractatus de rebus ad curam ac salutem animarum spectantibus scripserint. Meum autẽ propositum est iuuare eos, qui ob ingenij sterilitatem

litatem, rerum inopiam, aut aliam honestam causam, studia non possunt prosequi, nec librorum supellectilem comparare: vellent tamen aliquid pro talento sibi credito in gazophilacium Ecclesiæ offerre. Si qui tamen alij hisce delectentur, cùm noua plerumq; placeant, & varietas tædium depellat, omnium bonorũ auctori gratias habeo, ad cuius honorem refero. Hunc autem meum laborem, in vtilitatem omnium, maximè tamen pastorum Diœcesis Teuirensis susceptum, tuæ Reuerendissimæ Celsitudini dicare consecrareq; volui, tum vt argumentum meæ erga eandem beneuolentiæ declarẽ, tum vt pastoribus, quorum causa conscripsi, non displiceat, quod suo Principi placere intellexerint. Precor itaq; Reuerendissime Domine, vt quod in vtilitatem Ecclesiæ, cuius censuræ omnia libenter subijcio, factum, æqui boniq; consulas. Christus, cuius benignitate ad huius nostræ Ecclesiæ regimen vocatus es, Celsitudinem tuam nobis quàm diutissimè sanam in vtroque homine conseruet.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX MATERIAM CAPITVM SINGVLORVM OSTENDENS.

ENCHIRIDION IN QVINque partes distribuitur.

PRIMA AGIT DE SACRAMENtorum doctrina, & 19. Capitibus absoluitur.

PRIMO Capite, tractatur de definitione sacramenti, & aijs spectantibus ad eius essentiam, vt de forma, materia, & intentione ministri. fol. 1.

2.	Cap.	*Effectibus sacramentorum.*	fol. 7
3.		*Institutione, ministro, & numero sacramentorum.*	11
4.		*Sacramento Baptismi.*	15
5.		*Confirmatione.*	25
6.		*Eucharistia.*	25
7.		*Sacrificio missæ.*	48
8.	De	*Sacramento pœnitentiæ in genere.*	57
9.		*Contritione.*	62
10.		*Confessione.*	72
11.		*Nullitate Confessionis.*	91
12.		*Ministro, & requisitis in eodem.*	96
13.		*Satisfactione tertia parte pœnitentiæ.*	101
14.		*Indulgentijs.*	102
15.		*Extrema Vnctione.*	127

SACRA-

16. De Sacramento Ordinis. 130
17. Matrimonio 135
18. Matrimonio contracto sine consensu parentum. 156
19. Bonis Matrimonij. 161

SECVNDA PARS TRACTAT de peccatis in genere, Capitalibus, & eorum filiabus, 12. capita complectitur.

PRIMO Cap. agitur de necessarijs pro intelligentia definitionis peccati. fol. 174
2. Cap. De Diuisionibus peccati actualis, ac modis distinguendi mortale à venialis. 182
3. Causis peccatorũ interioribus, & eorundem circumstantijs. 193
4. Comparatione peccatorũ adinuicem, & effectibus peccati. 201
5. Gradibus quibus ad peccatum peruenitur, & peccato cogitationis. 205
6. De Diuisione peccati in septem capitalia, & de superbia, eiusq; filiabus. 210
7. Auaritia. 216
8. Luxuria. 219
9. Inuidia, eiusq; filiabus. 227
10. Gula 231
11. Ira. 235
12. Acedia, & cognatis. 242

TERTIA PARS, DE DECEM præceptis Decalogi, & quinq; Ecclesiæ, constat 33. Capitibus.

Fide

1. Cap. Fide, & vitijs ei contrarijs fol. 248
2. Spe, & peccatis oppositis. 253
3. Charitate, Eleemosyna, & correctione fraterna, ac scandalo. 254
4. Expositione primi præcepti, & virtute religionis. 258
5. Superstitione, & eius speciebus. 261
6. Secundo præcepto, & Iuramento. 274
7. Voto. 284
8. Voto religionis in genere, & tribus monasticis in specie. 293
9. Irritatione, commutatione, & dispensatione votorum. 318
10. Tertio præcepto. Memento vt diē Sabbathi sanctifices. 320
11. De Quarto præcepto. Honora patrem tuum, & matrem, &c. 324
12. Quinto præcepto. Non occides. 327
13. Sexto præcepto. Non mœchaberis. 337
14. Septimo præcepto. Non furtum facies, & furto in genere. 338
15. Restitutione in genere. 344
16. Quis teneatur restituere. 350
17. Quid restituendum, & quantum. 363
18. Cui, vbi, & quo ordine restituendū. 371
19. Quando restitutio facienda, quæ causæ excusent, aut differāt restitut. 374
20. Contractibus in genere. 378
21. Mutuo, & vsura in genere. 381
22. Particularibus quibusdam casibus, in quibus vsura committitur. 383

Emptio-

23.	Cap.	Emptione, & Vēditione in genere.	395
24		Iustitia, & iniustitia in emptione & venditione.	398
25.		Contractu Societatis.	415
26.		Monte pietatis.	420
27.		Censibus.	423
28.		Depositio, commodato, locato, & conducto.	440
29.	De	Expositione octaui præcepti. Non loqueris falsum testimonium. Vbi de personis ad iudicium spectantibus agitur.	446
30.		Tegendo & detegendo secretum.	462
31.		Mēdacio, & promissis adimplēdis.	466
32.		Duobus vltimis præceptis Decal.	469
33.		Præceptis Ecclesiæ, & ieiuniorum obseruatione.	472

QVARTA PARS DE IVSTITIA & Iniustitia Clericorum in ordine ad beneficia, perficitur 13. Capitibus.

1.	Cap.	Ingressu ad beneficia Ecclesiast.	481
2.		Acceptione personarū, quæ committitur in beneficiorū acquisitione.	484
3.		Pluralitate beneficiorum.	489
4.	De	Simonia.	506
5.		Simonia circa beneficia Ecclesiast.	518
6.		Pœnis Simoniacorum.	526
7.		Residentia annexa quibusdam beneficijs.	529

Horis

8. Cap. Horis canonicis. 544
9. Loco, tempore, & ordine diuini officij. 555
10. Integritate horarum. 562
11. De Attentione requisita, ad lectionem horarum canonicarum. 568
12. Restitutione fructuum facienda ab eis, qui horas canonicas nō recitāt. 580
13. Distributione fructuum Ecclesiast. 583

QVINTA ET VLTIMA PARS, de censuris Ecclesiasticis, & Irregularitate, complectens 14. Capita.

PRIMO Cap. traditur de generalibus spectantibus ad cognitionem excommunicationis. fol. 606
2. Cap. Forma excommunicandi, & modo absoluendi ab excōmunicatione. 622
3. Casibus Pontifici reseruatis in Bulla Cœnæ Demini. 626
4. Excommunicatione lata in iniicientes manus violentas in clericos. 631
5. De Reliquis excommunicationibus Pontifici in iure canonico reseruatis. 635
6. Excommunicationibus in iure reseruatis Episcopis. 640
7. Excommunicationibus nemini reseruatis. 642
8. Suspensione. 653
9. Interdicto. 659

Irregu-

10. Cap. Irregularitate in communi fol. 665
11. Irregularitatibus contingentibus circa homicidium, & ei annexa. 668
12. Irregularitate quæ nascitur ex defectu corporali. 676
13. De Irregularitatibus, quæ incurruntur circa malam receptionem & exercitium ordinum, & violationem censurarum. 680
14. Alijs quibusdam irregularitatibus, quæ ex delictis nascuntur. 682

DE RATIONE CONCIONANDI.

CAP. I. Præparatio ad concionandi munus, cum timore, & fiducia DEI 686
II. Quale studium concioni adhibendum 690
III. De meditatione ante concionem 693
IV. De dispositione concionis 696
V. Quomodo se ipse comparabit, & cum fructu alios iuuabit 701
VI. Suggestum ascensuro quid agendum 704
VII. Concionatoris officium in suggestu 706
VIII. Dimissa concione Concionatori quid agendum 713

DE

DE SCIENTIA NECESSARIA PASTORIBVS.

QVAESTIO LOCO PROEMII TRACTATA, QVA NECESSITAS SCIENTIÆ OSTENDITVR, & operis intentio declaratur.

AN, ET QVAE SCIENTIA Requiratur in Sacerdotibus suscipientibus curam animarum?

CVM sit ars artium, regimen animarum, nemo sapiens dubitare potest eos, qui curæ preficiuntur, doctos esse debere, ne, si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadant. Confirmant id abundè sacræ literæ. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, & in alio loco. Quia scientiam repulisti, ego te repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi. Cui sententiæ testimonium illa Saluatoris verba perhibent. Si lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ, quantæ erunt? Quare breuibus declarandum de scientiæ necessitate in Sacerdotibus, & Pastoribus ani-

Malach. 2.

Osee. 4.

Matth. 6.

marum. Ante resolutionem perpendendum, in duplici statu esse Sacerdotes. Quidam solum ordinantur ad celebrandum missas: Alij præficiuntur populo, pro regimine animarum.

Prima Conclusio generalis. Qui accipit dignitatem Ecclesiasticam, vel officium, aut beneficium, tenetur habere sufficientem scientiam ad exercendum ea, quæ illi dignitati, officio, aut beneficio incumbunt. Ratio huius conclusionis euidens est. Actus enim humanus benè fieri non potest sine recta ratione, quæ est regula dirigens: Ratio autem non dirigitur nisi per scientiam. Qui ergo caret scientia debita eorum, quæ operatur, temerarius est, si officia & munera assumat, quibus satisfacere nequit. Lex enim prohibet ne quis artem, quam ignorat exerceat, cap. Non est sine culpa. de regulis iuris in 6. Ad quod facit illud S. Gregorij cap. Non est putanda, 1. quæst. 1. §. Quisquis Sacerdotium non ad elationis pompam, sed ad vtilitatem adipisci desiderat, prius vires suas cum eo, quod est subiturus, onere metiatur: vt si impar est, abstineat, & ad id cum metu, etiam, cui se sufficere existimat, accedat. Hanc conclusionem docent S. Thomas 1. 2. quæst. 76. artic. 2. S. Antonin. 2. part. tit. 3. capit. 6. §. 4. Adrian. quodlib. 10. arric. 3. litera G. H. Petrus de Soto de institutione Sacerdotum, lect. 2. Panormit. in cap. Venerabilis de præbend.

bend. Innocent. in capit. Cum in cunctis. de elect. Nauarr. in cap. Inter verba. 11. quæst. 3. 1. conclus. num. 18. & in Manuali confessariorum, capit. 25. num. 133. & alij alibi. Ex dictis, Magistralis illa regula colligitur, vt Nauarr. d. cap. Inter verba, testatur. Illum mortiferè peccare, qui se ingerit loco, personis, aut factis, in quibus se mortiferè peccaturum probabiliter credit. Quia qui amat periculum, peribit in illo.

Secunda Conclusio. Contra imperiti vulgi sententiam. Certum est non requiri tantam eruditionem in eo, qui sit simplex presbyter ad celebrandum tantum; quanta in suscipiente curam animarum exigitur. Ratio est clara ex distinctis officijs & muneribus, longè enim maiores sunt functiones Pastoris, qui non solùm celebrare, sed populum instruere & confessiones audire tenetur, quàm Sacerdotis, qui tantum ad sacrificandum assumitur. Hanc tradunt Dominicus de S. Geminiano & Imolens. ab eo citatus in cap. Ei cui. in 6. de præbend. his verbis. Potest enim quis esse bonus sacerdos, & tamen non aptus ad curam; Philippus Francus ibidem, Petrus de Soto loc. citat. Nauarrus de pœnitentia dict. 6. cap. 1. §. Caueat. num. 19. & alij alibi.

Tertia Conclusio. Vt quis idoneus sit simplex Sacerdos sine cura, debet scire legere, cantare, & construere, verba illius idioma-

tis in quo celebraturus est, iuxta Gloss. Panormitan. & alios in Clementina. 1. de concessione præbendæ, imò videntur sufficere duo posteriora, legere & construere, secundum Dominicum in cap. Si pauper. de præbend. in 6. cui consentit Nauarr. in d. §. Caueat. Hæc conclusio est dilatanda, vt etiam sciat mediocriter intelligere, & congruè latinè loqui, quod etiam verbum construere innuit. Nam quis benè nouit construere, qui non intelligit, nec congruè loquitur? Ad hæc talis etiam debet scire explicitè mysteria fidei in symbolo, & exactius doctrinam Christianam laicis, iuxta Innocent. cap. Firmiter. de summa Trinitat. Quæ confirmantur ex dictis à concilio Tridentino sess. 23. cap. 4. de Reformat. Debet etiam Sacerdos callere materiam, formam, & modum conficiendi sacramentum Eucharistiæ, in cuius ministerio versatur, nec non etiam cæremonias missæ, & defectus occurrentes in missa, & probè nouisse recitare horas canonicas. Quæ omnia constant satis ex prima conclusione. Quia sine dictis, Sacerdos simplex non potest suum officium rectè exercere. Notandum tamen ex Innocent. in d. cap. Firmiter. & Dominico in d. cap. Si pauper. quod minor eruditio videtur sufficere, ad Sacerdotium in paupere, qui non habet, vt studia prosequatur, aut non est ingenio expedito donatus.

Quartæ

Quarta Conclusio. Qua & quanta eruditione prædititi esse debeant, qui ad beneficia promouentur, arbitrio iudicis prudentis relinquitur, vt tradunt Bernardus Diaz in praxi canonica, cap. 18. Martinus Nauarr. in Relect. cap. Si quando. de rescriptis, exceptione 14. Iacobus Menochius de arbitrarijs iudicum quæstionibus libr. 2. casu 425. num. 8. & alij alibi. Iudex autem arbitrabitur, quæ sit sufficiens eruditio; pro personarum, beneficiorum, dignitatum, ordinumque qualitate & locorum, nec non temporum varietate, facta comparatione ad canonum mentem, & Doctorum auctoritatem. Quia arbitraria quæ dantur iudicibus, intelliguntur concedi secundùm mentem legis, & arbitrium intellectus rationis, vt ostendit latè Andræas Barbatius cap. 1. de constitut. num. 167. Alia enim requiritur in eo cognitio, qui promouetur ad dignitatem, quæ habet iurisdictionem in foro contentioso: Alia in eo, qui præest in iudicio conscientiæ: Alia in eo, qui apud rusticos curam exercet: & alia in rectore ciuitatis, vbi contractus varij exercentur, & sic de reliquis.

Quinta Conclusio. Sacerdos curatus scire debet ea, quæ spectant ad integritatem, & vsum sacramentorum, maximè Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ vnctionis, Matrimonij. Quia in horum administratione frequens est, & digna administratio, sine recta

cognitione consistere nequit. Confirmationis & Ordinis scientia, Episcopum concernit.

Sexta Conclusio. Sacerdos qui audiendis confessionibus præficitur, debet habere scientiam iudiciariam; probatur de pœnit. d. 6. §. Caueat spiritualis Iudex, vt sicut non commisit crimen nequitiæ; ita non careat munere scientiæ. Oportet, vt sciat cognoscere, quicquid debet iudicare. Iudiciaria enim potestas hoc postulat, vt quod debet iudicare, discernat.

Septima Conclusio. Hæc scientia, vt sit sufficiens, tanta esse debet, vt Confessarius discernere valeat, quæ peccata communiter mortalia, & quæ venialia ex genere: quæ grauiora, & quæ leuiora; quæ circumstantiæ necessariò confitendæ, tam ratione peccati, quàm peccatoris: quibus peccatis annexa sit excommunicatio: quæ peccata sint reseruata, ad quæ sua potestas non extenditur: An peccator teneatur ad restitutionem: an sit in damnationis statu, quem relinquere nolit: & si clericos audit, debet etiam nouisse casus, in quibus communiter irregularitas incurritur: Vel debet saltem scire dubitare in ijs, quæ mediocriter eruditi intelligunt, vt consulat peritiores, quomodo agendum in casu, de quo dubitat. Hæc conclusio elicitur ex S. Thoma, Bonauent. & Alberto in 4. sentent. d. 17. S. Antonino 3. part. tit. 17. cap. 16. §. 1. & 2. Turrecremata de pœniten. d. 1. can. Quem pœnitet. num. 37. &

37.& de pœnitent. d.6.can. Qui autem. num. 1. & eam ponunt Caietan. in ſumma verb. Confeſſori neceſſaria. Aurea Armilla in verb. Confeſſor. & omnibus clarius Nauarr. in d. §. Caueat. & in Manuali confeſſariorum, cap. 4. à num. 8. & alij alibi. Probatur etiam concluſio, ratione petita ex prima concluſione. Vnuſquiſque nouiſſe debet id, quod ſibi neceſſarium eſt ad ſuum munus & officium rectè exercendum, cap. Non eſt ſine culpa, de regul. iuris libro 6. At dicta omnia ſunt neceſſaria cognitu ad hoc, vt Confeſſarius rectè ſuo munere fungatur. Ergo, &c. Hinc infero cum Nauarro in Manuali Confeſſariorum, cap. d. num. 12. Quod confeſſarius, qui non nouit diſcernere in quibus caſibus poſſit, aut non poſſit abſoluere, neque differentiam inter maiorem & minorem excommunicationem, vel ignorat peccata mortalia communia, aut ſimplicem fornicationem, aut voluntatem deliberatam ad peccandum mortaliter, eſſe peccatum mortale: vel quamcunque ſuperbiam, iram, inuidiam, aut gulam exiſtimat eſſe mortalem, vel circa dubios contractus ſaltem dubitare minimè nouit, non excuſatur à peccato, quantalibet bona vita, conſcientia, & ingenio naturali fulgeat.

Octaua Concluſio. Qui confeſſarios ignaros, & neſcientes prædicta præficit, inſtituit, vel inſtitutos tolerat, ſi ſua intereſt grauius pec-

cat, vt in specie Albertus loco citato tradit, quem S. Antonin. Bonauent. Turrecremata, & Nauar. sequuntur locis citatis. Ex hac conclusione & alijs infertur, quam in malo statu sint, qui beneficia curata possident, & vicarios sine delectu ponunt, etiam simplicissimos, sine omni notabili eruditione, non quærentes, quis doctior sit: sed quis minore mercede inseruiat: oues exponentes periculo luporum, & discrimini salutis.

Nona Conclusio. Ex S. Antonino & Nauarro. Confessarius imperitus in tribus casibus potest excusari. *Primus*, quando confitens est sibi sufficiens ad significandum suorum peccatorum grauitatem, & rectam habet conscientiam. *Secundus*, quando confitentes sunt personæ spirituales, solitæ sæpè confiteri, & vt plurimum non habent nisi peccata venialia. *Tertius*, quando pœnitens est in articulo mortis, & non est alius, qui possit ipsius audire confessiones præter illum. Hic dubium semel motum soluendum. An Episcopus, aut etiam Pontifex possit dispensare, vt illiteratus & insufficiens eruditione, regat animas, & audiat confessiones ad tempus, donec se digniorem reddat. Respondetur nequaquam: Quia nec Pontifex nec Episcopus potest dispensare, vt id fiat; cùm sit contra ius diuinum, & naturale, vt ex supra dictis patet, & vergat in interitum animarum, & dispensans grauissimè peccaret, auctoritatem & consensum præbendo

bendo alienis peccatis, iuxta notata à Gloss. cap.1.de officio delegati.

Decima Conclusio. Ex Nauarro. Sufficiens aliquando potest esse confessarius in vno loco, qui non est in alio, exempli gratia, apud Rusticos & simplices, ruri, qui non est in aliqua ciuitate, vbi sunt multi mercatores, & & subtiliores ingenio, & in malitia plus exercitati ad palliandum vsuras, vel illicitos contractus.

Vndecima Conclusio. Præter superiorem scientiam, quæ confessario necessaria vt iudici, requiritur etiam scientia medicinalis, qua possit mederi animæ ægrotanti ex cap. Omnis vtriusque sexus, §. Sacerdos. de pœnitentijs & remiss. vbi docetur confessarium talem esse debere, vt more periti medici, possit superinfundere vinum & oleum vulneribus sauciati. Ad idem facit illud S. Gregorij in Pastorali. Quis nesciat cogitationum vulnera occultiora esse, vulneribus viscerum, & tamen hi, qui nequaquam spiritualia præcepta cognouerunt, cordis se medicos profiteri nõ metuunt, dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt.

Hæc autem scientia talis esse debet, vt valeat oleo diuinæ misericordiæ, vel vino diuinę iustitiæ impœnitentem emollire, desperantem erigere, pusillanimem confortare, aut saltem ad meliorem confessarium mittere, iuxta Caietani doctrinam loco cit. Cui astipulatur.

§. Quibus cognitis cap. 1. de pœnit. d. 6. Quibus cognitis, inquit, adsit beneuolus, paratus erigere, & secum onus portare, & post pauca, semper eum iuuet leniendo, consolando, spem promittendo, & cum fuerit opus, etiam increpando. Ad hoc opus ritè perficiendum faciunt pij libri, quales sunt Institutio Christianæ pietatis R. P. Francisci Costeri; Methodus confessionis, libri Guilhelmi Peraldi Episcopi Lugdunen. de virtutibus & vitijs, & alij, qui præscribunt modos proficiendi in virtutibus, & remedia contra peccata.

Duodecima Conclusio. Pastor, qui non solùm audiendis confessionibus, sed etiam concionibus præest, debet etiam scire doctrinam fidei, & morum communem, & necessariam populo: quoniam hæc doctrina maximè spectat ad officium & munus pastoris. Hanc haurire poterit ex Concilio Trident. quod articulos fidei circa mysteria, in canones clarissimè reducit: & ex Catechismo eiusdem Concilij, nec non ex homilijs Sanctorum Patrum, & concionibus Doctorum. Ad quam materiam etiam magnoperè conducit, Catechismus maior R. P. Petri Canisij. Ex omnibus prædictis colligitur, opus esse assiduo studio, & labore ad hoc, vt quis cum fructu animarum saluti inuigilet, nec torpendum esse otio eis, qui suæ & subditorum vocationi satisfacere cupiunt.

Vt itaque sufficientem & necessariam doctrinam

ctrinam ante oculos habeant rudiores pastores; & qui animabus suam operam impendunt, in audiendis confessionibus, hanc facilem instructionem in eorum vtilitatem collegimus, quam facili labore comprehendere, & minimo ære comparare poterunt. Doctiores & peritiores remittimus ad auctores, vnde pro rudioribus nostra desumpta sunt.

Diuidimus autem Enchiridion in quinq; partes, vt materiam necessariam conclusionibus iam positis insinuatam, breuissimè complectamur.

Prima pars, de Sacramentis tractabit.

Secunda, de peccatis in genere, eorum circumstantijs, distinctione venialium & mortalium, vitijs capitalibus, & filiabus eorum.

Tertia, de præceptis Decalogi, & Ecclesiæ, in qua parte etiam, quando præceptum Non furaberis explicatur, materia restitutionis, & contractuum, quæ latissima est, prout breuis introductionis forma patitur, subiungitur.

Quarta, de iustitia, & iniustitia Clericorum in ordine ad beneficia Ecclesiastica.

Quinta, de censuris Ecclesiasticis & Irregularitate.

PRIMA

PRIMA PARS TRACTATVS DE SACRAMENTIS.

CAPVT I.

DE DEFINITIONE SACRAmenti, & alijs spectantibus ad essentiam eius.

Quid est Sacramentum?

EST signum rei sacræ: Quæ definitio ponitur à Magistro sententiarum libro 4. d. 1. & est desumpta ex Augustino libro. 10. de ciuitate Dei cap. 5. eam explicat S. Thomas in 3. parte quæst. 60. art. 1.

Pro definitionis intelligentia aduertendum ex Augustino. Signum esse, quod præter rem, quam sensibus obijcit, efficit etiam, vt alterius rei ex se cognitionem capiamus: Sicut ex vestigio alicuius, terræ, aut niui impresso, cognoscimus aliquem transisse.

Signum in primis duplex est, Alterum natu-

naturale, quale est fumus ignis. Aliud ex institutione, vt hædera vini, posterius subdiuiditur ita, vt aliud sit ex diuina, aliud ex humana institutione: Quod diuinitus institutum, iterum in Speculatiuum, & practicum distribuitur. Speculatiuum quod tantum significat, & nihil efficit: Sic serpens æneus erat signum Christi erigendi in cruce: Sic panis azymus, & alia multa in lege Mosaica, erant signa futurorum: Practicum quod non modò significat, sed etiam efficit, & operatur, exempli gratia, Ablutio in sacramento baptismi, significat, & efficit ablutionem internam animæ in peccato. Per signum ergo, in definitione sacramenti intelligitur signum diuinitus institutum, practicum, sensibile aliquo sensu. Deinde nomine (rei sacræ) intellige gratiam sanctificantem, & iustificantem animam, his sic annotatis optimè intelligitur definitio catechismi, desumpta ex S. August. loco cit. Sacramentum est inuisibilis gratiæ, visibile signum ad nostram sanctificationem diuinitus institutum.

Signum quotuplex sit.

Quale sit signum sacramentũ.

Tandem iuxta doctrinam S. Thomæ q. d. artic. 3. sacramentum est signum rememoratiuum passionis Christi, id est, reuocans in memoriam passionem Christi, quæ est causa nostræ sanctificationis. Demonstratiuum diuinæ gratiæ, quæ est forma nostræ iustificationis, ac tandem, Pronosticum, id est, prænunciatiuum futuræ gloriæ, quæ est

finis

finis nostræ salutis, & sanctificationis.

Quibus rebus perficitur sacramentum?

TRIBVS. Materia, forma, & intentione ministri.

Quid nomine materiæ & formæ in doctrina sacramentorum intelligitur?

QVEMADMODVM Physici tradunt corpus constare materia, & forma, tanquã partibus essentialibus: Sic Theologi sacramentum perfici rebus vt materia, & verbis vt forma, tanquam partibus substantialibus, decernunt. Vnde illud celebre S. Augustini dictum super Ioannem, tractatu 80. Accedit verbum ad elementum & fit sacramentum. Per elementum vt præsenti materiæ accommodamus, non intelligitur elementum propriè dictum, sed res sensibilis. Nam quædam sunt sacramenta, vt in suis locis patebit, in quibus materia non est elementaris; habent ergo in sacramentis res materiæ, verba verbò formæ locum.

Quid materiæ & formæ nomine in sacramentis intelligatur.

Quid rerum & verborum nomine, in hac materia intelligitur?

PER res in Sacramentis intelliguntur vel res externæ sensibiles siue elementares, vel actus quibus ipsæ res applicantur, vel actus interni, vt in sacramento Pœnitentiæ cognoscetur. Per verba autem, verba viua voce prolata, quæ semper sunt necessaria, in

sex

ſex ſacramentis, in matrimonio autem ſigna quandoque poſſunt ſupplere vicem verborum, vt conſtat, quando mutus contrahit matrimonium.

Licetne in ſacramentis vti rebus & verbis indeterminatis & incertis?

IN ſacramentorum adminiſtratione duo genera rerum ſunt. Quædam ſpectant ad ſubſtantiam ſacramenti, veluti materia, & forma. Quædam ad cæremonias & cultum externum. Nunc pro reſolutione dicendum. Primò: In ſacramentis vtendum eſt rebus, & verbis à Chriſto determinatis. Quia res, vt materia, & verba vt forma, ſunt de ſubſtantia ſacramenti. Secundo, quæ ſpectant circa ſacramenta ad cæremonias, & externum cultum, ſucceſſione temporum, pro varietate Eccleſiarum & locorum mutata ſunt, & indies mutantur, vt patet ex Agendis, & libris variarum Eccleſiarum, hæc enim non ſunt de ſubſtantia ſacramentorum, ſed ſolemnitatem concernunt.

S. Thom. quæſt. 60. art. 7.

Poteſtnè addi aliquid verbis, in quibus forma ſacramentorum conſiſtit, vel etiam aliquid demi?

EX doctrina S. Thom. art. 8. hæ poſſunt pro reſolutione ſumi concluſiones.

Prima, Si quis per additionem, vel diminutionem verborum, intendat inducere ri-

re ritum ab Ecclesia Catholica alienum, non videtur perficere Sacramentum. Quia non habet intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia, eadem Conclusio, constat ex cap. retulerunt, de consecrat. d. 4.

Secunda, Quando per mutationem verborum, tollitur debitus sensus eorundem, non efficitur sacramentum.

Tertia, Quotiescunque sensus verborum seruatur, etiamsi idioma mutetur, vel verba varientur, efficitur sacramentum, v. g. Si quis ex ignorantia dicat, ego te baptizo in nomine patria, & filia, & spiritua sancta, de qua re est expressa determinatio Zachariæ Papæ, de consecrat. d. 4. cap. retulerunt. Vbi legendus est Cardinalis à Turrecremata super hac materia.

Quarta, Quandocunque quis mutat formam sacramentorum determinatam, ex proposito, & culpabili negligentia, mortaliter peccat. Quia facit contra præceptum, & exponit se graui periculo in re, circa quam maxima diligentia adhibenda est.

Quinta regula additur. Quando aliquis post prolationem formæ in administratione alicuius sacramenti, probabiliter dubitat, an rectè & integrè formam protulerit, eandem secretò iteret: & in sacramento baptismi ob periculum irregularitatis addatur conditio. Si tantum scrupulus obrepat, an rectam adhibuerit formam, reijciatur.

Quæ

Qua intentio in ministro requiritur ad perfectionem sacramenti?

ANTE omnia certissimum est, tùm ex Euangelio, tùm ex concilijs, præsertim Florentino, & Tridentino, ad sacramentum requiri de necessitate tam sacramenti, quàm præcepti intentionem ministri. Quia quæ in sacramentis aguntur, possunt diuersis accommodari: Sicut ablutio aquæ, quæ fit in baptismo, potest ordinari, & ad munditiam corporalem, & ad sanitatem, & ad ludum, & ad alia. Quare oportet, vt determinetur ad vnum, id est, sacramentalem effectum per intentionem ministri. S. Thom. 3. part. q. 64. art. 7. Intentio autem ministri in conficiendo, & conferendo sacramenta, debet esse quod velit facere, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit. Concil. Trident. sess. 7. de sacramentis in genere, canone 11. his verbis. Si quis dixerit, in ministris dum sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia: anathema sit. Ad pleniorem autem huius rei scientiam, aduertendum, triplicem reperiri intentionem. Actualem, quam habet, qui de presenti, quando vult conficere sacramentum, elicit actum in voluntate, de eo quod intenditur, exempli gratia, vult conficere sacramentum secundum vsum Ecclesiæ. Habitualem, quam habet ali-

Triplex potest esse intentio ministri.

quis in se ex frequentatione actuum : nam ex actibus generatur habitus inclinans ad similes actus, & talem intentionem potest etiam dormiens habere,& tertiam Virtualem,quam habet is,qui ex virtute actualis intentionis præhabitæ,procedit in opus. Ad sacramenti administrationem,optima est actualis intentio, insufficiens habitualis;sufficiēs virtualis. Pręterea attendendum, quòd in sacramentorum administratione,intentio, duobus modis potest esse non recta. Vno modo respectu sacramenti,vt si non intendat conficere sacramentum,sed agere aliquid ioco, vel deluſoriè, & tunc cum nulla sit intentio, non conficitur sacramentum. Alio modo respectu alicuius consequentis sacramenti ministerium, vel ipsum sacramentum, vt si quis intendat corpus Christi conficere, vt eo ad veneficia abutatur,& talis intentionis peruersitas, cum sit posterior, non impedit sacramenti perfectionem.

Intentio ministri duobus modis potest esse peruersa.

CAPVT II.

DE EFFECTIBVS SACRAMENTORUM.

PRIMA *conclusio.* Sacramenta nouæ legis sunt causa gratiæ,id est,conferunt gratiam ritè dispositis, ex opere operato. Pro clariori huius materiæ intelligentia, in primis notandum,

Causa efficiens duplex.

dum, duplicē esse causam efficientē; principalem, à quo principiū motus; & instrumentalē; per quā à principali motus deriuatur, & quasi refertur, exempli gratia, homo secās ligna bipenni, homo est causa principalis sectionis lignorū: bipennis instrumentalis, quia motus sectionis incipit ab homine secante, & deducitur per bipennē in ligna. Præterea instrumentū est duplex, Coniunctū, & Separatum. Coniunctū, quod principali agenti est annexum. Separatum ꝙ non principali agenti colligatū est, v. g. vt in eodem exemplo ostendamus, homo secans ligna bipenni, bipennis est instrumentū separatum, manus, vel brachium coniunctum. Nunc ad propositū veniamus. Deus est causa principalis gratiæ, in sacramentis. Instrumentū coniunctum, humanitas Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, Verbo coniuncta. Instrumenta verò separata, sacramenta. Quare rectissimè Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. Baptismum causam instrumentalem, nostræ iustificationis determinat. Ex his patet, quomodo sacramenta sint causa gratiæ. Additur in conclusione (nouæ legis) ad distinctionem sacramentorum veteris legis, quæ erant infirma & egena elementa, secundum Apostolicam doctrinam, & tantum significabant, nec conferebant, nostra autem continent gratiam & conferunt ritè dispositis: Si autem percipiens ponat impedimentum,

Instrumētum duplex, Coniunctum & Separatū.

aut obicem non consequitur gratiam; qui defectus non reducitur in sacramentum, sed in hominem negligentem gratiam. Dicitur (ex opere operato.) Quia secundum Catholicam doctrinam, gratia dupliciter confertur. Ex opere operato, & opere operantis. Ex opere operato gratiam conferunt sacramenta, quę ex sua natura, & virtute à Christo communicata, & determinata, operantur in suscipientibus, etiamsi suscipientes non cooperentur motu liberi arbitrij, modo obex non ponatur, vt patet in infantibus, quando baptizantur, aut confirmantur; & infirmis vsu rationis priuatis, quando inunguntur. Ex opere verò operantis, actus virtutum, & pietatis opera, in habente gratiam & charitatem, gratiæ augmentum efficiunt. Conclusio ergo Catholicæ fidei est, quod sacramenta nouæ legis ritè dispositis, ex opere operato conferant gratiam, eiusq; causa sint: vt definit Concil. Trident. sess. 7. can. 6. 7. & 8. de sacramentis in communi.

Gratia cõfertur ex opere operato, & opere operantis.

Secunda Conclusio. Sacramenta non solum conferunt gratiam, sed etiam eam in se continent, vt dictum Concilium determinat. Sacramenta enim sunt vasa, in quibus merita Christi deferuntur, & per quæ nobis applicantur, gratiaque confertur.

Pro hac conclusione legendus S. Thom. 3. part. q. 62. art. 3.

Tertia

Tertia Conclusio. Sacramenta etiam conferunt habitus infusos, fidem, spem, charitatem, aliaq; dona Spiritus sancti. Quia hæc inseparabiliter gratiam iustificantem comitantur.

Quarta Conclusio. Singula etiam sacramenta, conferunt sacramentalem gratiam, ad peculiares effectus. Ratio est, quia Deus & natura, nihil frustra faciunt; frustra autem ponerentur plura Sacramenta, si eorum non essent diuersi effectus: Sic in Sacramento baptismi, confertur peculiare auxilium, ad reliqua sacramenta dignè suscipienda: in confirmatione, ad fidem publicè confitendam, & contra inimicos defendendam: in Eucharistia, spiritualis delectationis, & deuotionis augmentum; in confessione, peculiare auxiliũ ad persistendum in gratia. In extrema vnctione, robur contra tentationes Dæmonum, qui in extrema hora nos in desperationem ducere conantur. Tandem in matrimonio, speciale adiutorium, ad superandas carnis concupiscentias communicatur: Conclusio dicta colligitur ex Alexand. Alens. in 4. part. q. 8. art. 2. S. Thom. in 3. par. q. 62. art. 2. Bonau. in 4. sent. d. 1. q. 6. art. 1. & alijs ibidem.

Quinta Conclusio. Præter dictos effectus, Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt Characterem in anima. Concil. Trident. loc. cit. can. 9. Character autem nihil aliud est, quàm spiritualis potestas animæ collata a Deo, *Character sacramentalis quid.*

qua redditur apta ad ſacramenta recipienda, & adminiſtranda. Character eſt indelebilis, vt Concil. Trident. tradit. & cap. Maiores, de Baptiſmo, & ratio conuincit. Quicquid enim corrumpitur, vel corrumpitur ad corruptionem ſubiecti, vel à contrario, Character non corrumpitur primo modo, quia anima, cui character inhæret eſt incorruptibilis: nec ſecundo modo, quia characteri nihil eſt contrarium. Hinc ſequitur ſecundum fidem, quod ſacramenta imprimentia characterem non reiterẽtur. Manet autem character poſt hanc vitam in beatis, vt ſit ornamentum gloriæ: In damnatis, vt perpetua nota ignominiæ.

Qr are character maneat poſt hanc vitã.

CAPVT III.

DE INSTITVTIONE, Miniſtro, & numero Sacramentorum.

OMNIA ſacramenta nouæ legis, à Chriſto Domino Saluatore noſtro ſunt inſtituta. Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 1. Solus autem Deus eſt, gratiæ ſacramentalis cauſa principalis. Ipſe enim interius operatur, ad effectum ſacramenti. Deus enim eſt qui iuſtificat, & alio in loco; gratiam & gloriam dabit Dominus.

De

De Ministro.

MINISTER in administratione sacramentorum, est instrumentalis causa gratiæ. Non enim operatur virtute propria, sed principalis agentis nempe Dei, & meritorum Christi, cuius actionem deferens in animam, reddit illam, non sibi, sed Deo, mediante gratia similem. Hinc colligitur, quod gratia sacramentalis, quæ ex opere operato confertur, per sanctiorem ministrum non augeatur, nec per malum diminuatur. Rectè enim August. dicit super Ioan. tract. 5. in illa verba Ioan. 1. Super quem videris spiritum, &c. Quid tibi facit malus minister, vbi bonus est dominus: & Apostolus. Non enim qui plantat, neq; qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus, & de consecrat. d. 4. can Baptismus, & can. inter bonos. *1. Cor. 3.*

Conclusio est ergo de fide, quod minister in peccato mortali existens, modò omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, seruauerit, conficiat & conferat sacramentum, Concil. Trident, loc. d. can. 12. & vide ad hanc veritatem multos canones 1. q. 1.

Prima difficultas, An minister existens in peccato mortali, peccet sacramenta administrando?

PRIMA *Conclusio.* Minister existens in

peccato mortali, si sacramenta administrat, mortaliter peccat: probatur 1. q. 1. can. omnia sacramenta obsunt indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus: & ibidem can. per Esaiam. est communis DD. S. Thom. 3. p. q. 64. art. 6. Caiet. ibid. & scholasticorum in 4. d. 5. Nauarr. in manuali cap. 22. num. 3. & Petri à Soto de institutione sacerdotum lect. 3. Alia tamen est ratio in baptismo, si sacerdos in necessitate, in qua laicus potest baptizare, baptizet, tunc enim non peccaret, vt tradit S. Thom. in d. art. ad 3. quem alij alibi sequuntur; hoc autem peccatum refert S. Thom. ad irreuerentiam Dei, & contaminationem sacramentorum. Dicit etiam D. Dionysius cap. 1. de Ecclesiastica Hierarchia. Malis non est fas tangere symbola, id est, sacramentalia signa.

Secunda Conclusio. Quamuis probabile sit Diaconum & Subdiaconum mortaliter peccare, si in mortali peccato cum solemnitate administrent, cantantes Euangelium, vel Epistolam: probabilius tamen est eos non peccare mortaliter, Dominic. à Soto in 4. d. 5. q. 5. art. 6, Ioseph. Angles in floribus Theologicarum quæstion. in 4. sent. q. vlt. de sacramentis in communi art. 5. Ratio, quia eorũ ministeria non sunt sacramenta, sed sacramentalia, & quædam actiones imperfectæ, & dispositiones ad Eucharistiam.

Tertia

Tertia conclusio. Concionator, si est publicus peccator, concionando mortaliter peccat, nisi verè pœniteat: Secus autem si sit occultus. Ratio, quia publicus peccator præbet scandalum, quæ ratio cessat in occulto, sic docet Sotus, & Iosephus Angles loc. cit.

Dices Quid igitur faciet minister existens in peccato mortali, cui incumbit ex officio sacramenta administrare?

RESPONDEO. Minister si est in mortali, debet pœnitere de peccato, & elicere actum contritionis, vel attritionis, quo se probabiliter contritum existimet: Quod breuissimo tempore fieri potest. De hac materia S. Thom. in d. art. ad 3. Caiet. & alij citati, & latè Nauarr. de pœnit. d. 5. in summa Tertia Gloss. à num. 30.

Alia tamen est ratio, quando quis celebraturus est, aut communicaturus, tunc non sufficit quòd quis se contritum existimat, sed requiritur sacramentalis, & actualis confessio, si habeatur copia confessoris, vt infra cap. 6. de sacramento Eucharistiæ dicetur.

Secunda difficultas. An qui recipit sacramentum à ministro, quem scit in mortali existere, mortaliter peccet?

PRIMA *Conclusio.* In extrema necessitate licitum est à quocunque sacerdote,

etiam malo accipere ſacramenta; Extrema autem neceſſitas eſt, in articulo mortis. In hac concluſione omnes conueniunt. Neceſſitas enim legem talem non admittit. Quia concurrentibus duobus præceptis incompaſſibilibus, illud magis obligat, cuius trangreſſio magis nocet. Magis autem nocet periculum ſalutis in neceſſitate, quàm tranſgreſſio præcepti, de non communicando cum peccatore, aut etiam excommunicato, ſuſpenſo, aut interdicto, &c.

Secunda Concluſio. Subditus poteſt à ſuo curato, etiam in peccato conſtituto ſacramenta petere, & recipere, atque etiam inducere ad ſacramentorum adminiſtrationem, quam diu toleratur ab Eccleſia, iuſta exiſtente cauſa. Nam qui vtitur ſuo iure non peccat, & ſubditus habet ius petendi, neque etiam inducendo peccat, cùm petat ſibi debitum, quod poteſt curatus ſine peccato reddere, ſi pœniteat.

Tertia concluſio. Nulla premente neceſſitate, inducere ad celebrandũ, aut adminiſtrandum ſacramenta Sacerdotem, qui cognoſcitur eſſe in ſtatu peccati mortalis, peccatum eſt. Quia eſt cooperari peccato alterius.

DE NVMERO SACRAmentorum.

Quot

Quot sunt sacramenta nouæ legis?

SEPTEM nec plura, nec pauciora. Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Matrimonium, & Ordo. Est de fide ex Concilijs Florentino, & Tridentino sess. 7. can. 1. & vniuersali Ecclesiæ traditione. Causa congrua septenarij numeri ponitur à S. Thoma 3. p. q. 56. art. 1. numerus sacramentorum contra hæreticos defenditur atque ostenditur à Roberto Bellarmino tom. 2. Controuers. lib. 2. à cap. 23.

Sacramenta nouæ legis sunt septem.

Hæc septem sactamenta, non sunt æqualis dignitatis, sed aliud alio dignius est, ex Concil. Trident. loc. cit. can. 3. Excellentissimum est Eucharistia, quia in eo continetur Christus: & alia omnia in Eucharistia cõsummantur: Sunt autem hæc septem sacramenta ad salutem humani generis necessaria, licet non omnia singulis. Quæ de fide credenda & tenenda, circa sacramentorum doctrinam in genere, videri possunt in Concil. Trident. loco d.

Sacramenta non sunt æqualis dignitatis.

CAPVT IV.

DE SACRAMENTO Baptismi.

Quid

Quid est Baptismus?

EST ablutio exterior corporis, sub præscripta verborum forma facta: vt Magister Sentent. in 4. d. 3. definit, quam definitionem explicat. S. Thom. in 3. part. quæst. 66. artic. 1.

Quæ est materia Baptismi?

MATERIA, vt fides Catholica tradit, est aqua vera, naturalis siue elementaris, patet Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ. Hinc infertur, quod in aqua artificiali expressa ex herbis, aut floribus, nemo potest baptizari, sicut nec in quocunque alio liquore, specie differenti ab aqua naturali. Idem est iudicium, si tanta fiat rerum aliarum cum aqua permistio, vt species aquæ non amplius consistat.

Quæ est forma?

EGO te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Matth. vlt. cap. 1. de Baptismo, & eius effectu.

Quantum ad integritatem formæ, si verbum (ego) omittatur, peccatur quidem, tenet tamen Baptismus, quia subintelligitur. Idem dicendum de vltimo verbo, Amen, secundum aliquos qui putant esse præcepti: Eadem est ratio, si loco (te) ponatur nomen pro-

proprium Baptizandi. Tenet etiam Baptismus, Si quis dicat Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, &c. vt constat ex consuetudine Ecclesiæ Græcæ, quæ vtitur dictis verbis. Si quis autem dicat. Ego te baptizo in nominibus, pro (nomine) non tenet Baptismus, quia indicaretur diuersitas essentiæ, inter personas. Nec etiam valet, si quis dicat, in nomine sanctæ Trinitatis, quia expressa, & distincta prolatio trium personarum, in forma Baptismi est necessaria. Si autem quis baptizetur in nomine Christi, dubium est inter Doctores, an teneat. Quia Actor. 2.8.& 19. legimus Apostolos sic baptizasse. Nunc autem dicendum, si quis sic baptizaret, mortaliter peccaret, agendo contra præceptum Ecclesiæ, & exponendo se, & alium periculo, in re pertinente ad salutem, & sic baptizatus, sub conditione esset iterum baptizandus, per regulam generalem in hac materia. Quotiescunque dubium est, an valeat Baptismus, sub conditione iterum baptizandus est, cap. 2. de Baptismo & eius effectu: hoc modo. Si baptizatus es, non te rebaptizo: Sed si nondum baptizatus es, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Quis minister Baptismi est?

VIA ordinaria est Sacerdos, & si Diaconus, vel Subdiaconus, vel alius clericus extra

extra casum necessitatis baptizat, mortaliter peccat, & in quocunque casu solemniter baptizat antè presbyterium efficitur irregularis: c.1.de clerico non ordinato ministrante.

In necessitate autem quilibet homo, tam fidelis, quàm infidelis, siue vir, siue mulier, potest baptizare, si sciat debitam formam, & habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia: Quia cum Baptismus sit sacramentum necessitatis, sicut ex parte materiæ sufficit quæcunque aqua naturalis, ita ex parte ministri quicunq; homo, vt testatur S. Thom. q.67.art.5. Tamen id obseruandum, vt in necessitate, præsente clerico, laicus non baptizet, & præsente clerico maiore, minor non baptizet, & præsente viro, non mulier, & præsente fideli, non infidelis.

De ablutione, vel immersione, An trina immersio sit necessaria?

QVANTVM ad Baptismi necessitatem, requiritur ablutio, vt autem fiat vna ablutio, vel immersio, quæ vnicam passionem Christi significat: vel trina, quæ Trinitatem denotat, seruandum est secundum consuetudinem & ritum Ecclesiæ, in qua Baptismus confertur. In quibusdam locis, infantes merguntur in aquam, in alijs aqua super eos funditur.

Ante omnia in hoc sacramento, & in alijs obser-

obſeruandum, vt fiat ablutio ſiue immerſio, quando verba formæ proferuntur; quia in collatione Sacramentorum, materia & forma debent coniungi, vt docent S. Thom. in 3. part. quæſt. 60. art. 6. & q. 66. art. 8. Caiet. ibid. Ioannes à Turrecremata, cum Gloſſ. in 1. q. 1. cap. Detrahe. Nauarr. in Manuali cap. 22. num. 7. & alij alibi. Seruandus eſt ergo moralis modus, vt quando ablutio fit, verba ſimul proferantur. Quando autem trina fit ablutio ſiue immerſio, id ante omnia cauēdum, ne ad vnamquamque ablutionem tota forma repetatur, vt factum ab indoctis animaduerti, ſed ſub vna formæ prolatione fiant tres ablutiones: *Prima*, quando dicitur: Ego te baptizo in nomine Patris. *Secunda*, in verb. & Filij. *Tertia*, quando profertur: Et Spiritus ſancti.

Quæ pars corporis debet ablui, aut aqua perfundi?

CONSVETVDO vniuerſalis Eccleſiæ, baptizat in capite, in quo vigent omnes ſenſus interiores & exteriores, vt docet S. Thom. q. d. art. 7. Poteſt tamen ablui omnis vera, & viua pars corporis. Quare ſi timeretur mors infantis, pede, aut brachio emiſſo, poſſit baptizari in parte emiſſa, & foris apparente, quia anima eſt in qualibet parte corporis viua: vt rectè tradunt S. Thom. in quæſt. 68. art. 11. ad vltimum, & in 4. d. 6. art. 1. q. 1. & Nauarr.

uarr. de pœnit.d. 1. cap.vulgaris, num. 3. & in Manuali Confess.loco d. & alij alibi. Tamen si tempus admittat, iterum sub conditione baptizandus esset talis infans, vt quidam rectè tradunt.

DE NECESSITATE Baptismi.

An Baptismus omnibus sit necessarius ad salutem, ita vt nullus hominum possit saluari, si non baptizetur.

QVÆSTIO potest intelligi: aut de adultis, aut de paruulis. Item de Baptismo in re, vel in voto: nunc dicendum secundum fidem Catholicam. Baptismus in re, vel in voto, est necessarius omnibus hominibus ad salutem, patet Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. non potest introire in regnum cœlorum. Concil. Trident. sess. 6. cap. 4. de iustificatione, & sess. 7. can. 5. de Baptismo. Aliter tamen loquendum de adultis: Aliter de paruulis. Adulti, cùm habeant vsum rationis, possunt per Baptismum in voto saluari, adiuncto Baptismate flaminis, in casu, quo Baptismus aquæ in re, haberi non potest. Paruulis autem via ordinaria, simpliciter necessarius est Baptismus aquæ in re, patet ex Ioan. 3. & traditione Apostolica, de qua scribunt D. Dionysius Areopagita cap. vlt. Cœlestis Hierachiæ. August. lib. 4. contra Dona-

Donatiſtas.cap.24.& lib.1. de Baptiſmo paruulorum cap.16.Cyprianus lib.3.Epiſtolarum cap.8. Quare ſacri canones docent, ſummà celeritate eſſe recurrendum cum infantibus ad Baptiſmum: cùm non ſit aliud remedium ſalutis pro illo ſtatu,& ſine cauſa eorum Baptiſmus differatur;de conſecr. d. 4. cap. Baptizandi,&c.Nulla pręter.

Hic etiam obſeruandum ſi adultus baptizatur, debet habere intentionem recipiendi, quod dat Eccleſia,vel Chriſtus inſtituit, & requiritur etiam ad effectũ gratiæ, vt ſit in eo fides, iuxta illud Chriſti: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Ad idem facit conſuetudo Eccleſiæ quæ interrogat catechumenos, an credant. In adultis etiam dolor de peccatis neceſſarius eſt, cum propoſito de mutatione vitæ futuræ,ex illo Actor.2.pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in remiſſionem peccatorum. Quantum verò ad infantes,cùm non vtantur ratione,nec contraxerint peccatum originale propria voluntate, ſufficiunt ipſis intentio, & fides Eccleſiæ & fidelium.

Quotuplex eſt Baptiſmus?

TRIPLEX à Doctoribus ponitur. Vnus aquæ ſiue fluminis, qui propriè eſt Baptiſmus & Sacramentum. Alter pœnitentiæ ſiue flaminis,qui fit per contritionem & conuerſio-

Baptiſmus triplex fluminis, flaminis, & ſangninis.

uersionem ad Deum, sic dictus, quia à Spiritu sancto, per modum charitatis inflatur. Tertius sanguinis, quo martyr proprio sanguine abluitur, de his fit mentio de consecrat. d. 4. cap. Baptismi vicem. Baptismus aquæ est sacramentum, reliqui sic dicuntur, quia vicem Baptismi supplent, quando haberi non potest. Deinde si quis baptizetur Baptismo flaminis, aut sanguinis, data opportunitate, tenetur adhuc suscipere Baptismum aquæ, sed non contra.

De suscipientibus baptizandum apud fontem.

IN Baptismi administratione requiritur aliquis, vel aliqua, qui, vel quæ puerum leuet de fonte, vt constat ex traditione Apostolica ad nos vsque deriuata, de qua D. Dionysius cap. 2. de Ecclesiastica Hierarchia. Officium autem suscipientis est, eum quem de fonte leuat, instituere in necessarijs ad salutem, si parentes moriantur, vel negligentes sint. Inter suscipientes baptizatum, baptizatique patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem, cognatio spiritualis contrahitur, de qua Concil. Trident. sess. 24. cap. 2. de reform. matrimonij. Dubium hîc esse potest. An, quando puer in necessitate domi, sine solemnitate baptizatur, & postea defertur ad Ecclesiam, vt solemnitas adhibeatur, & ibi tenetur

tur ab aliqua, vel aliquibus, an in Ecclesia contrahatur cognatio spiritualis. Respondetur, quod in illo posteriori actu, quando solemnitas adhibetur, non contrahatur, quia ibi non est Baptismus, sed tantum quid sacramẽtale, & solemnitas extrinseca sacramento. Nauarr. in Manuali confess. c. 22. nu. 40. Rebuff. in reg. 46. Innocentij 8. de dispensationibus in gradibus prohibitis, Gloss. 5. num. 28. dicit hanc declarationem datam in plumbo.

Dubium. *An cognatio spiritualis per procuratorem contrahatur?*

RESPONDETVR quamuis aliqui asserãt contrahi, quos recenset Sylvester in verbo Matrimonium 8. q. 7. tamen dicendum quod minimè contrahatur, sic Bart. in l. Gallus. §. forsitan. ff. de libert. & posthum. Sylvest. loc. cit. Dominicus Sotus in 4. sent. d. 42. q. 1. art. 2. Didacus Couarr. in tit. de sponsalib. 2. par. c. 6. & alij ab eo citati. Quia suscipere infantem de fonte, est actio personalis.

An Baptismus possit reiterari?

IN nullo casu, sine graui sacrilegio potest reiterari. Probatur Ephes. 4. vnus Deus, vna fides, vnum Baptisma. & Hebreor. 6. Impossibile est eos, qui semel illuminati gustauerunt donum cœleste, rursus renouari ad pœnitentiam. Per pœnitentiam sancti patres in-

telligunt Baptiſmum: & in ſymbolo Nicæno, Confiteor vnum baptiſma in remiſſionē peccatorum. Hinc in iure ciuili ſeuerè prohibetur ſub pœna capitis, ne quis ſcienter rebaptizet. l. 2. C. Ne ſacer Baptiſmus reiteretur. Quādo autem probabiliter dubitatur, an puer ſit baptizatus, iterum baptizandus eſt ſub conditione, modo ſupradicto. Quia non dicitur reiteratum, quod neſcitur factum; de conſecr. d. 4. cap. de his. Efficitur etiam ſecundum ius canonicum irregularis rebaptizans. de conſecr. d. 4. cap. Eos, & cum hoc ſolus Papa diſpenſat. Quare ſacerdotes diligenter debent examinare, quando puer defertur ad Eccleſiam, an in neceſſitate ſit baptizatus, & quomodo, ne ſine iuſto dubio reiterent baptiſmum, & incidant in pœnas canonum.

Rebaptizans efficitur irregularis.

De effectibus Baptiſmi.

PROPRIVS & principalis Baptiſmi effectus eſt, verè remittere omnem culpam, tam originalis, quàm actualis peccati ipſum præcedentis, & infundere gratiam, virtuteſque infuſas: Concil. Trident. ſeſſ. 5. de peccato originali can. 4. & 5. & cap. Maiores de baptiſmo, &c.

Secundus, remittere etiam omnem pœnam peccatorum ipſum antecedentium.

Tertius, aperire regnum cœlorum. Ioan. 3.

Quartus, imprimere characterem.

Quin-

Quintus, illuminare intellectum, & fœcundare affectum. De cæremonijs quæ à Catholicis adhibentur, in administratione Baptismi latè ex patribus Bellarmin. tomo 2. lib. 1. de sacramento Baptismi à cap. 25. tractat.

CAPVT V.

DE SACRAMENTO CONfirmationis.

Quid est Confirmatio?

EST Vnctio chrismatis in fronte baptizati, facta ab Episcopo sub præscripta verborum forma.

Quæ materia & forma huius sacramenti?

MATERIA est chrisma ex oleo oliuarum, & balsamo confectum, & ab Episcopo consecratum. Non potest autem materia huius Sacramenti consecrari à simplici Sacerdote, nisi ex commissione Pontificis.

Forma huius Sacramenti ex Concilio Florentino, est, Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Confirmatio debet in formam crucis fieri, ita vt minister, crucis signo suscipientem muniat: Alioqui forma esset falsa, nam dicit, Signo te signo crucis.

Qui videre voluerit cæremonias huius Sacramenti explicatas, legat Catechismum Concilij Tridentini, de Sacramento Confirmationis, & Franciscum Costerum in institutione Christianæ pietatis. Et Bellarmin. tom. 2. lib. 2. de Sacramento Confirmationis capite 13.

De Ministro.

MINISTER ordinarius est Episcopus ex Concil. Trident. can. 3. de Confirmatione, & traditione Ecclesiæ.

De Suscipientibus.

SACRAMENTVM confirmationis, potest dari omnibus fidelibus baptizatis, etiam paruulis ante vsum rationis, vnde legitur quod antiquis temporibus, statim post Baptismum conferebatur, conueniens tamen videtur, nisi Episcoporum rara præsentia aliud postulet, vt Confirmatio differatur vsque ad septimum annum. Tunc enim pueri incipiunt habere vsum rationis, & apti esse ad pugnam.

Si autem adulti confirmandi: vt gratiam Spiritus sancti recipiãt, aut confiteri, aut peccatorum contritionem elicere debent, & de hac re à Parochis sedulò instruendi, quando tempus Confirmationis instat.

Patrinus etiam in hoc Sacramento, sicut in

in Baptismo adhibetur, vnde etiam oritur affinitas spiritualis, & impedimentum matrimonij, vt in doctrina de matrimonio declarabitur.

Cùm hoc sacramentum imprimat characterem, nullo modo est reiterandum.

De effectibus huius sacramenti.

EFFECTVS principalis est robur, & gratia Spiritus sancti, ad fortiter pugnandum, & constanter confitendum nomen Domini nostri Iesu Christi. Quare nullo modo quando se offert occasio Episcopi, est negligendum, & qui ob contemptum prætermittit, mortaliter peccat. Quia sacramentum contemnit, & Christum sacramenti auctorem spernit. Præter hunc effectum, imprimit etiam characterem, qui de necessitate præsupponit Baptismum.

CAPVT VI.

DE SACRAMENTO Eucharistiæ.

IN primis notandum, quod Eucharistia non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium: Agetur ergò hoc cap. de sacramento Eucharistiæ. *Eucharistia est sacramentũ, & sacrificium.*

Eucharistia latinè dicitur bona gratia, quia continet fontem omnis gratiæ, scilicet Christum: vel gratiarum actio, quia per hanc hostiam, immensas agimus Deo gratias pro beneficijs.

Quid est Eucharistia?

EST sacramenttm corporis & sanguinis Domini, quo in vita spirituali homo nutritur. Est autem hoc sacramentum non duo, aut plura, etsi diuersis speciebus vini & panis conficiatur, sed vnum: tum propter vnicam significationem, quæ est vnum corpus Christi mysticum, iuxta illud 1. Cor. 10. Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane, & calice participamus: tum propter vnitatem ordinis, quia diuersæ species panis & vini ad vnam spiritualem refectionem ordinantur. S. Thom. in 3. part. q. 73. art. 2.

Quomodo hoc sacramentum vnum sit, & non plura.

De institutione, & necessitate.

SECVNDVM fidem Catholicam firmiter tenendum hoc sacramentum institutum esse à Christo Domino, in vltima, quam cum discipulis habuit in mortali corpore, cœna, vt patet Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. & 1. Corinth. 11. Concil. Trident. sess. 21. cap. 1. Quomodo hoc Sacramentum conuenienter in vltima cœna institutum sit, S. Thom. in d. q. art. 5. declarat.

Quantum ad necessitatem. Effectus huius sacra-

ſacramenti, qui eſt vt homo efficiatur membrum viuum Chriſti Eccleſiæ, alijs per charitatem coniunctum, eſt de neceſſitate ſalutis. S. Thom.d.q.art.3. Alexand. Halenſ. 4. part. q.43. S.Bonauent.in 4.d. 12. q.1.& alij DD. in d.diſt.12.

Effectus Eucharistiæ eſt de neceſſitate ſalutis.

Dictus autem Eucharistiæ effectus, poteſt haberi per ſolum propoſitum percipiendi illud, quod quidem habetur, quando Baptiſmus abſque rei ſuſceptione Eucharistiæ percipitur. Quia volens medium ad aliquem finem, conſequenter vult & finem. Cùm autem Baptiſmus ſit medium diſponens ad Eucharistiam ſumendam, ſuſcipiens Baptiſmum, habet ex conſequenti, voluntatem interpretatiuam ſuſcipiendi Eucharistiam.

Actu ſiue realiter ſumere Eucharistiam, non eſt de neceſſitate ſalutis, vt patet de infantibus baptizatis, qui ſaluantur, etiamſi moriantur ante vſum rationis, vt vniuerſalis Eccleſiæ conſenſu conſtat, de qua re Auguſt.lib. 1.cap.22.contra Pelagium.

Dubium. *Cur paruuli per votum interpretatiuum, Eucharistiæ effectum percipere poſſunt, non autem Baptiſmi?*

RESPONDEO ex mente S. Thomæ in d. artic. 3. Quia votum interpretatiuum habetur in ipſa ſuſceptione alicuius ſacramēti, & cùm ante Baptiſmum nullum ſit ſacra-

mentum (quia est omnium sacramentorum ianua) paruuli non possunt votum interpretatiuum Baptismi, sicut Eucharistiæ habere.

De materia huius Sacramenti.

MATERIA sunt panis, & vinum, vt patet ex locis scripturæ de institutione citatis.

Panis debet esse triticeus, quia tali pane vsus est Christus in vltima cœna, Concil. Florentinum sub Eugenio 4. & de consecrat. d.2. can. in sacramento, S. Thom. probat. q.74. art. 3. Quantum ad vini speciem, de necessitate requiritur vinum vitis expressum, Concil. Florent. his verbis. Tertium sacramentum est Eucharistia, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite. Hinc non conficitur in vuis etiam maturis, nec in aceto, neque in succo agresti, nec vino ex alia materia arte confecto. In musto autem potest fieri consecratio. c. Omne de consecrat. d. 2. si necessitas exigat. Decentius tamen est, vt melius vinum, quod haberi potest, accipiatur. Admiscetur autem vino parum aquæ, ex antiquissima traditione, & præcepto Ecclesiæ, S. Clemens lib. 8. constit. Apostol. cap. 17. D. Cyprian. lib. 2. epist. 3. ad Cæcilium, Chrysost. hom. 83. in Matth. Ambros. lib. 4. de sacram. cap. 4. & lib. 5. cap. 1. Isidor. lib. 1. de offic. diuinis cap. 18. Damasc. lib. 4. de fide, cap. 14. Conc. Car-

Carthaginen. III. can. 24. & in Concil. Florent. quia ex latere Christi exiuit sanguis & aqua. Aqua tamen non est de necessitate sacramenti, quia ponitur propter significationem, quæ est vnio populi Christiani cum Christo. Hoc tamē pro ignaris aduertendum, quod valdè parum aquæ admiscendum, quia si maior pars aquæ quàm vini admisceatur, aqua conuertit in se vinum, & sic non erit consecratio. Si æqualis pars sit aquæ & vini, idem erit periculum, vel ita aqua vinum extenuabit, vt speciem amittat, apponenda ergo aqua in minima & modicissima quantitate. Non est etiam omittenda aqua, quando fortasse in vase permistio facta est, quia in sacrificio celebratur memoria passionis Christi, ex cuius latere fluxit sanguis & aqua. Vide can. In sacramentorum obligationibus, de consecr. dist. 2.

De forma.

FORMA consecrationis corporis Christi est. Hoc est enim corpus meum. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. de consec. d. 2. cā. Qui corpus. & cap. Cùm Marthæ de celebr. missarum.

Forma sanguinis. Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. In hac forma omnia verba dicta sunt de integritate & necessitate præcepti, sed

ad

ad essentiam sacramenti sufficiunt illa, Hic est calix sanguinis mei, vt patet ex forma panis. Ex formis constat, quod materia consecrationis debet esse præsens, morali præsentia, quando verba consecrationis proferuntur, aliàs forma cùm sit demonstratiua, esset falsa.

Quid sequitur in consecratione ad prolationem formæ?

VERA conuersio substantiæ panis in corpus Christi, & vini in eius sanguinem, quam conuersionē Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat, quia tota substantia panis & vini, conuertitur in corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Vnde sequitur fidei nostræ articulus, quod post consecrationem verè realiter & substantialiter sub speciebus panis & vini, continetur Dominus noster Iesus Christus, verus Deus, atque homo immortalis: De qua re Conc. Trid. sess. 13. à principio.

Notandum tamen in consecratione esse differentiam: Nam prolata forma corporis, ex vi verborum efficitur tantùm corpus Christi, sub specie panis: Ex naturali autem concomitantia vt vocant, sequuntur sanguis, anima, & diuinitas Domini nostri Iesu Christi. In prolatione autem formæ sanguinis, ex vi verborum sequitur sanguis sub specie vini. Ex natu-

naturali autem coniunctione, corpus, anima, & diuinitas. Ex quibus sequitur tantundem sub alterutra specie, atque sub vtraq; contineri. Si quis quærat, quam diu manent, corpus & sanguis Christi sub speciebus panis & vini. Respondetur quam diu incorrupta manent accidentia panis & vini. Si igitur tanta mutatio specierum accedat, quæ sufficiens ad panis & vini corruptionem sit, desinunt ibidem esse corpus & sanguis Christi.

Corpus Christi tã diu manet sub speciebus quam diu accidẽtia incorrupta permanent.

De præparatione & dispositione ad sumptionem sacramenti?

PRIMA *Conclusio.* Certissima fide tenendum, esse necessariam præparationem & dispositionem, ad dignam Eucharistiæ sumptionem. 1. Cor. 11. probet autem seipsum homo, &c. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini, Concil. Trident. sess. 23. cap. 7. can. qui celebrare.

Secunda Conclusio. Qui alicuius peccati mortalis conscius accedit, mortaliter peccat, si non pœniteat: Quia talis indignè accedit, nec se ipsum probat, nec dijudicat corpus Domini, contra Pauli doctrinam, & Ecclesiæ consuetudinem.

De cons. dist. 2.

Tertia Conclusio. Qui alicuius peccati mortalis conscius, quantumuis sibi contritus videatur, si habita copia confessoris, accedit ad Eucha-

Confessio sacramentalis præ-

mittenda communioni.

Eucharistiæ perceptionem ante sacramentalem confessionem, grauissimè & mortaliter peccat. Hæc conclusio, tam est vera de Sacerdotibus volentibus celebrare, quàm secularibus communionem percipientibus. In hac conclusione non potest dubitari. Quia Concil. Trident. determinauit loc. cit. & ibid. can. 11. & antea communior Doctorum opinio fuit, de qua re legendus Nauarr. de pœn. d. §. in summa Gloss. 3. à num. 30. & in Manuali Confess. cap. 21. num. 49. Dominicus Sotus in 4. sent. d. 12. quæst. 1. artic. 4. & Gloss. communiter recepta in cap. de homine, de celebr. missarum. Quare nemo decipiatur doctrina Caiet. in 3. part. S. Thomæ. quæst. 80. art. 4. & in summa verb. communio, quem videtur sequi aurea Armilla in eodem verb. Ante hos Adrian. in q. 3. de confess. qui citat Richard. Caiet. doctrinam, videtur apprehendisse, sed obscurè Panormit. in d. cap. de homine. Hi omnes docent non esse necessariam actualem confessionem, sed sufficere contritionem. Sed horum auctorum opinio, nunc ab vniuersa Ecclesia explosa est, in Conc. Trid. Regula ergo generalis in hac materia sit. Quod vbicunque potest haberi Sacerdos habens iurisdictionem audiendi confessiones nullo modo sine sacramentali confessione ad celebrationem, aut communionem accedendum est.

Quarta Conclusio. Duabus simul concurrentibus conditionibus, nempe deficiente confessore, & vrgente necessitate, potest quis celebrare, aut communicare contritus, sine confessione, sed tunc quam primum debet confiteri. Est Concil. Trid. loc. cit. Soti, Nauarr. & aliorum.

Dicet aliquis; quando erit censenda vrgens necessitas, vt absq; præuia confessione quis possit celebrare, aut communionem sumere?

QVINTA *Conclusio.* Quando Sacerdos ex officio tenetur celebrare, & non habet copiam confessoris, vtpote cùm solus sit in loco longè distanti à curato, nec potest accedere eum pro confessione, potest contritus celebrare, cum proposito quàm primum confitendi. Sotus loc. cit. & Iosephus Angles in florib. Theologicarum qq. in 4. in q. de suscipientibus Eucharistiam. 3. difficult.

Sexta Conclusio. Quando Sacerdoti existenti in altari in mentem venit aliquod peccatum mortale, quod non confessus est, tunc sola contritio sufficit, verum tenebitur absoluto sacrificio, quàm primum poterit, confiteri, id est, antequam amplius celebret. Nauarr. Sot. & Ioseph. &c.

Septima Conclusio. Idem est iudicium de illo, qui iam venit cum alijs ad communionem, & peccati alicuius non confessi recordatur, dum

dum est inter alios, quod cum decentia & sine scandalo ante communionem nō potest confiteri. Nauarr. Sot. Sylvest. in verb. Eucharistia. 2. q. 7.

Octaua Conclusio. Ad euitandum scandalum, potest Sacerdos præuia contritione celebrare, quando deest occasio confitendi.

Nona conclusio. Quando secularis est in articulo mortis, in quo Eucharistiæ susceptio est in præcepto, & non est Sacerdos, qui audiat confessionem, posset contritus communicare, vtpote quia Sacerdos esset surdus & mutus, qui adesset. Aut ipsemet Sacerdos esset infirmus, nec haberet alium cui confiteretur, tunc posset seipsum communicare. Sed hic casus rarissimè, vt patet consideranti, occurrit. Quoties enim adest sacerdos, qui laico det communionem in articulo mortis, potest etiam audire confessionem. Quia in mortis articulo, quilibet potest quemcunque à quibuscunque peccatis absoluere.

Dubium. *An peccatori petenti Eucharistiam possit, & debeat Sacerdos denegare?*

DE hoc dubio, S. Thom. in 3. par. q. 80. art. 6. Alex. Halens. 4. p. q. 48. Bonau. in 4. d. 9. q. vlt. Sotus loco d. art. 6. Nauarr. in Manuali cap. 21. num. 55. & alibi.

Prima conclusio. Quando peccator est manifestus & publicus, & petit communionem, ei de-

ei deneganda est, de consecrat. d. 2. can. pro dilectione, vbi definitur his verbis. Pro dilectione tua consulendum existimasti; quid mihi videatur, de histrionibus & mago illo, qui apud vos constitutus, in artis suæ dedecore perseuerat, an talibus sacra communio, cũ cæteris Christianis debeat dari, puto nec maiestati diuinæ, neque Euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor Ecclesiæ, tam turpi, & infami contagione fœdetur. In hac conclusione omnes conueniunt.

Manifestum, notorium, aut publicum in hoc loco intelligimus, quod tale est per sententiam in iure latam, aut confessionem propriam in iudicio, aut quando delictum est ita publicum ex euidentia rei, vt nulla tergiuersatione celari valeat, exempli gratia: meretrix in lupanari, aut concubinarius alit concubinam domi, proles generat, &c. ex cap. fin. de cohabitatione cleric. & mulierum: Suspectum autem dicitur, quando infamia est de aliquo crimine, de quo tamen non constat aliquo trium modorum dictorum, cap. tua nos eod. tit.

Secunda conclusio. Post pœnitentiam, & Ecclesię reconciliationem etiam publicis peccatoribus, non est deneganda communio, patet ex can. cit. & de consecrat. d. 2. can. penult. & cap. 1. de pœnit. & remission. & communi sententia. Hæc pœnitentia tamen debet esse

publica, aut populo nota, vt constet de vitæ emendatione & bona conuersatione. Quia vt dicitur in d. ca.1.de pœnit. & rem. Manifesta peccata, sunt manifesta pœnitentia purganda.

Tertia Conclusio. Quando peccator non est publicus, sed infamatus seu suspectus, si petat cum alijs communicantibus, non est ei communio neganda.cap. Si Sacerdos, de officio iudicis ordinarij, vbi determinatur, nullum esse nominatim arguendum, neque à communione remouendum, nisi iudiciario ordine probari possit. Eadem est ratio, quando crimen est occultum, tunc enim non est peccatori neganda communio, si cum alijs petat, vt DD. sentiunt. Ex his conclusionibus sequitur, iustè Pastorem tempore Paschæ, vel mortis, cum alijs dare Eucharistiam infamatis, aut denunciatis de maleficij & magiæ crimine, etiamsi indicijs sufficientibus fuerint mulieres comprehensæ, & carceribus detentæ, atque etiam tortæ, non tamen confessæ, quam in tali casu, necdum crimen est publicum, modo dicto. Qua in re aliquando dubitatum à quibusdam pastoribus fuit.

Quarta Conclusio. Peccatori occulto occultè petenti, est deneganda communio, hęc est cõmunis opinio contra Sotum. Rationem reddit Ioseph. Angles vbi supra art. 4. concl. 4. Quia Sacerdos tunc cooperaretur peccato illius, quod sine scandalo prohibere potest.

Dubi-

Dubium hîc. *An corporalis immunditia, scilicet nocturna pollutio susceptionem Eucharistiæ impediat?*

PRIMA *Conclusio.* Quando nocturna pollutio est mortalis ex sua causa, impedit communionem fortius, quàm aliud peccatũ mortale, hæc est communis sententia S. Tho. q. d. art. 7. Soti loc. cit. art. 7. Gabrielis super canonem missæ lect. 10. & aliorum alibi: Ratio est, quia in tali casu impedit eo modo, quo alia peccata mortalia, & adhuc accedit immunditia corporis, quæ plus aggrauat.

Secunda Conclusio. Si aliqua adsit necessitas, præcedente confessione, & cõtritione eadem die, potest quis Eucharistiam sumere, aut celebrare, modo aliud non obstet. Nauarr. in Manuali c. d. nu. 51. Sylvest. verb. Eucharistia 3. q. 10. Ioseph. Angles. loc. d. art. 5. & alij alibi. Quia nullum est præceptum diuinum, aut Ecclesiasticum, quo polluti peracta pœnitentia prohibeantur, eadem die Eucharistiam sumere: Necessitas autem intelligitur, quando quis ex officio tenetur celebrare, aut ex statuto vel præcepto cum alijs communicare.

Tertia Conclusio. Congruum & decens est, vt eadem die, qua quis pollutus est, vndecunque fuerit orta pollutio, etiam peracta pœnitentia abstineat, tum propter corporalem fœditatem, quæ semper accidit, tum propter mentis euagationem, quę non rarò sequitur. Sic DD.

citati. Quare Carthusiensium laudabile est institutum, vt polluti, manè non solùm non celebrent, sed neque ad gradus altaris accedant. Dicunt autem DD. abstinendum esse post pollutionem à communione 24. horis, idque de consilio, non præcepto.

Quarta Conclusio. Quando pollutio prouenit procurante nequitia Dæmonum, ad impediendum hominem à sacra communione, tunc non est abstinendum, sed cum humilitate frequentanda communio. De hoc autem iudicium sumendum hinc, quando nempe quis per turpium phantasmatum immissiones, nullis præcedentibus de similibus actibus cogitationibus, polluitur in festis quando communicandum, aut cum maxima deuotione celebrandum: de his S. Thom. loco cit. & Patres in collationibus collat. 22. cap. 6. & Gabriel super can. missæ lect. 10.

Pro hac materia, nota regulam generalem ex Gabriele in fine lectionis. Pollutus in somno absq; consensu in vigilijs sequente, vel preuio, dum se non sentit magis hebetem, & per cogitationes ad carnalia reflexum, alijs impedimentis non obstantibus, etiam extra casum necessitatis, aut remouendi scandali, potest sine peccato & meritoriè celebrare, dum deuotio trahit, pietas suadet, aut susceptum officium exigit. Ex his deduci etiam potest cum Doctoribus S. Thoma, Gabriele, Soto & alijs, quomodo eadem die actus coniugalis

galis præcedens in nocte, impediat sumptionem sacramenti. Si enim fuit causa generandæ prolis, aut gratia reddendi debitum, non impedit nisi de congruo, sicut dictum est de pollutione sine peccato. Si autem cum culpa mortali fuit coitus, impedit: can. Vir cum propria vxore 33.q.4. ex B. Gregorio.

Dubium. *An hoc sacramentum semper à ieiunis sit sumendum?*

PRIMA *Conclusio.* Qui cibo, aut potu sumpto, siue vt vocant, soluto naturæ ieiunio Eucharistiam sumit, mortaliter peccat. Concil. Constantiens. sess. 13. reijcit errorem contrarium, & habetur etiam in can. Sacramenta de consecr. d. 1. & cap. Ex parte de celebrat. missarum. Quod si autem abluendo os, incautè parum aquæ deglutiatur, non impedit, quia per modum saliuæ id factum censetur. Est enim, vt August. dicit in epistola 118. in honorem huius sacramenti, vt scilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo aut potu infectum.

Secunda Conclusio. Licitum est infirmo in periculo mortis constituto, Eucharistiam recipere post cibum & potum, ne sine communione decedat. Quia necessitas legem non habet, ex d. Concil. & can. presbyter d. 2. Presbyter infirmum statim communicet, ne

ſine communione moriatur. Dubium circa hanc concluſionem eſſe poteſt. An durante morbo, pluries quàm ſemel liceat infirmo nõ ieiuno Euchariſtiam offerre? Reſpondetur, quod non tantum ſemel, ſed pluries, quoties neceſſarium videbitur, & ex deuotione petierit, vt exempli gratia, ſi non ieiunus ante hebdomadam communicaſſet, licet iterum non ieiuno dare, quando ob infirmitatem ſine periculo alio die non poteſt ieiunus communicare. Ratio quia iura Eccleſiaſtica & DD. exceptionem de infirmo non ieiuno communicando non conſtringunt vt ſemel tantum fiat. Sed admittunt vt toties fiat, quoties expedierit: Cum ſemper habeat rationem viatici. Sic tenent Goffred. & Ioannes Pariſien. apud Sylueſtr. in verb. Euchariſtia 3. q. 6. Tabien. in verb. Communicare. §. 48. Aurea Armilla in verb. Communio. num. 18. & poſt alios Henricus Henriquez Societatis IESV Salmanticenſ. Profeſſor. tom. 1. Theologiæ moralis lib. 8. cap. 50. & multi regulares in praxi exercent. Propter reuerentiam tamen ſacramenti non decet ſic quotidiè viaticum ſumere.

Dubium. *An non vtentibus vſu rationis Euchariſtia ſit danda?*

VIDE S. Thom. q. d. art. 9. Alex. Halenſ. 4. part. q. 49. memb. 4. Sot. in d. q. art. 9. Ioſephum Angles loc. cit. art. 7.

Primæ

Prima Conclusio. Quando aliquis dicitur amens, quia debilem rationis vsum habet, non est illi Eucharistia neganda, quia hic tantum rationis vsum habet, vt possit dijudicare corpus Domini, ab alijs cibis, id est, cognoscere qua deuotione, & animi præparatione, accedendum sit.

Secunda Conclusio. Amentibus à natiuitate, nulla ratione est Eucharistia danda, quia nullum habent discretionis vsum, & ei qui annos discretionis non habet, non est communio danda: ex cap. Omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remiss.

Tertia Conclusio. Phreneticis & amentibus ex infirmitate, & aliquo accidente, si in sanitate constituti petierint, aut signa pœnitentiæ præbuerint, erit Eucharistia danda. can. Is qui. 26. q. 6. & ratio est, sicut, qui in vigilia petijt Baptismum, si dormiens baptizetur, recipit gratiam: ita à simili in hoc casu.

Quarta Conclusio. Paruulis ante vsum rationis, non est Eucharistia danda, cap. Omnis vtriusque sexus d. & Conc. Trid. sess. 21. c. 4. & can. 4. Quia paruuli vsum rationis non habent, vt possint se probare, & dijudicare corpus Domini. Dices, Quæ ætas requiritur, vt paruuli possint communicare? Certa regula ad hoc nulla est, Parentes & confessarij, debent ex conuersatione & moribus dignoscere, an possint discernere inter bonum & ma-

lum, & dijudicare corpus Domini, quod vt plurimum à 10. anno vsque ad 12. solet accidere. Citius autem pueri obligantur ad confessionem, nempe cùm primum nouerint inter honestum & inhonestum distinguere, quod sæpè 7. aut 8. anno contingit.

De modis sumendi hoc sacramentum.

TRES sunt modi sumendi hoc sacramentum, ex Magistro sent. in 4. d. 9. S. Tho. 3. p. q. 60. art. 1. Conc. Trid. sess. 13. cap. 8. Primus eorum, qui accipiunt sacramentum tantum, vt sunt peccatores, qui indignè manducant, & bibunt.

Secundus aliorum, qui spiritualiter tantum Eucharistiam sumunt, vt sunt ij, qui desiderio & voto, viua fide incensi, panem illum cœlestem prægustant. Tertius est eorum, qui spiritualiter & sacramentaliter percipiunt: id est, qui re ipsa accedunt, ad sacramenti sumptionem & dispositi effectum sacramenti, scilicet gratiam, & dona gratuita consequuntur.

An præceptum communicandi sit diuinum?

PRIMA *Conclusio.* Præceptum de Eucharistia sumenda est diuinum. Luc. 22. 1. Cor. 11. hoc facite in meam commemorationem, verbum facite, præceptum significat: & Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Se-

Secunda Conclusio. Ex præcepto Ecclesiæ tenetur homo singulis annis, tempore paschatis communicare, si peruenit ad vsum rationis ex Concil. Lateranen. & habetur in ca. omnis vtriusq; sexus, de pœnit. & remiss.

Tertia Conclusio. Præceptum hoc, à Dominica in ramis palmarum, vsque ad dominicam in albis inclusiuè, potest adimpleri, secundum Extrauagantem Eugenij IV. quam Caiet. in summa verb. communio citat. Ad satisfaciendum autem huic præcepto in propria Ecclesia communicandum est apud suum pastorem, nisi alibi fiat cum licentia Episcopi, aut pastoris.

Quarta Conclusio. Ex præcepto, etiam homo in mortis periculo, vt verior sententia est, debet communicare, patet ex consuetudine Ecclesiastica à tempore Apostolorum ad nos vsque deriuata, quæ vim legis obtinet, vt constat ex Concil. Nicæno, cuius verba habentur 26. quæst. 6. can. de ijs videlicet, qui decedunt de corpore, vt antiquæ legis regula obseruetur, nempè vt necessario viæ suæ viatico non fraudentur.

De ministro Eucharistiæ.

FIDE tenendum, quod solus Sacerdos secundum ritum Ecclesiæ ordinatus, conficit hoc sacramentum: probatur ex Concil. Lateranen. sub Innocent. III. Cuius determi-

natio expressa est in cap. Firmiter. §. vna verò, de summa Trinitate & fide Catholica. Item ex Florent. & tandem Trid. sess. 7. cap. 10. De hac re S. Thom. q. 82. in 3. part. Alex. 4. par. q. 35. memb. 4. & Scholastici in 4. d. 13. & Sotus latè ibidem.

Hinc Sacerdotes ritè ordinati, in peccato mortali existentes, si ea, quæ sunt de necessitate sacramenti, seruent, verè conficiunt, & consecrant: contra Walden. hæreticos, Ioan. Wicleff & Hussitas, quorum hæresin confutat Alphons. Castrens. de hæresib. in verb. potestas, & verb. sacerdotium.

Eadem est ratio de apostatis, hæreticis, schismaticis, imò etiam degradatis sacerdotibus ritè ordinatis, cum character sit indelebilis, si habent intentionem consecrandi, & reliqua necessaria ad essentiam sacramenti, verè conficiunt, vt communis Theologorũ Schola tradit, licet magister sentent. in 4. d. 13. & Gloss. in 50. d. cap. accedens, non rectè in hoc videantur sentire.

Dubium hîc esse potest. *An diaconus sacramentum iam à Sacerdote confectum, possit populo, aut alicui infirmo ministrare?*

PRIMA *Conclusio.* Solus Sacerdos iure diuino est ordinarius minister dispensandi populo Eucharistiam. 1. Cor. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensato-

ſatores myſteriorum Dei: & Luc. 22. Sacerdotibus dixit. Hoc facite in meã commemorationem: Vide Alenſ. 4. part. q. 50. memb. 3. S Thom. loc. cit. art. 3. Sot. in d. 13. q. 1. art. 3. Ioſeph. Angles in florib. in 4. 1. par. in q. de miniſtro Euchariſtiæ 6. difficult.

Secunda Concluſio. Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti Sacerdoti celebranti, vel communicantibus miniſtrare conuenit Diacono, vt patet exemplo B. Laurentij dicentis ſancto Sixto, experire vtrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem.

Tertia Concluſio. Ex diſpenſatione Epiſcopi, vel curati, in neceſſitate poſſet Diaconus Euchariſtiam infirmis deferre. S. Tho. Sot. & Ioſeph. loc. cit. Si quis dicat tantam eſſe dignitatem in calice, quanta eſt in corpore. Si Diaconus ergo ex officio poteſt miniſtrare calicem, poterit etiam ſine diſpenſatione diſtribuere corpus. Negatur conſequentia. Quia ſanguis continetur in calice, quare non eſt opus, vt à diſpenſante tangatur, ſicut corpus.

De effectibus & fructibus huius ſacramenti.

EFFECTVS Euchariſtiæ in ritè & benè diſpoſitis multi, & quaſi innumeri ſunt. Gratiæ diuinæ collatio, & augmentum, Excitatio animæ ad deuotionem, charitas Dei & proximi, perceptio cœleſtis dulcedinis, odium mun-

mundi, mortificatio propriorum desiderio-rum secundum carnem, desiderium cœlestiũ, perseuerantia in bono, remissio culpæ, & etiam pœnæ pro quantitate deuotionis in recipiente, remedium contra omnes tentationes, & in summa, Eucharistia efficit omnes virtutes in anima, quas operantur cibus & potus in corpore. De hac materia, Halens. quæst. 41. membr. 3. S. Thom. loc. cit. q. 79. S. Bonau. in 4. d. 12. art. 3. q. 2. & omnium excellentissimè Gabriel Biel super canonem missę ad longum. lectione, 85. & 86. pro concione.

CAPVT VII.

DE EVCHARISTIA, VT EST sacrificium, siue missa.

MISSA nomen hebræum est, latinè oblationem significat. Atq; nomen missæ, sicut etiam res ipsa, antiquissimum est, quamuis hæretici nouum inuentum calumnientur. Meminêre eius vetustissimi Patres & Martyres Ignatius in epist. 10. ad Smyrnens. in qua etiam fatetur se Christum post resurrectionem nouisse. Clemens discipulus S. Petri in epist. 3. de officio sacerdotum & clericorum, Alex. primus Papa & Martyr in Epistola ad omnes Orthodoxos. Fœlix. I. Papa & Martyr in epist. 2. ad Episcopos Galliæ, Damasus in epist. 4. S. Ambros. in epist. 32. ad Marcellinam Soro-

Sororem ſuam.& in epiſt. lib. 5. epiſt. 33. Leo magnus in epiſt. 81. & 88. ad Epiſcopos Galliæ & Germaniæ. Aug. ſerm. 91. de tempore & ſerm. 237. & ſermon. 251. Gregor. I. epiſt. lib. 1. epiſt. 12. & alij alibi.

Multa pro defenſione miſſæ, Doctores controuerſiarum pertractant, quæ noſtrum inſtitutum non concernunt.

Quid eſt miſſæ ſacrificium?

Quando miſſæ ſacrificium inſtitutum.

EST conſecratio, oblatio, & ſumptio corporis & ſanguinis Chriſti, in memoriam cruenti ſacrificij in cruce peracti.

Inſtitutum autem eſt hoc ſacrificiũ in cœna, quando Saluator dixit, Hoc facite in meam commemorationem, vt ſancti Patres tradunt, & tota Eccleſia in Conc. Trid. ſeſſ. 22. can. 2. de ſacrificio miſſæ, confirmat.

Non ſunt autem omnia quæ in miſſa peraguntur ex inſtitutione diuina, nam quædam ſpectant ad ſolemnitatem & cæremonias, vt varia cantica, & orationes: quæ à ſummis Eccleſiæ moderatoribus, ſucceſſione temporum ſunt addita. Quædam verò ſunt de ſubſtantia, & integritate, vt ſunt eius partes, conſecratio, oblatio & ſumptio, & hæ ſunt à Chriſto inſtitutæ.

Quid in miſſa offertur?

IDIPSVM quod in cruce offerebatur, ſed alio modo, id eſt, idem Chriſtus, qui in cruce offerebatur modo cruento, in miſſa incruento offertur.

Cur

Cur offertur?

AD recolendum Christi passionem, in gratiarum actionem, in satisfactionem pro viuis, & defunctis in purgatorio existentibus, ad impetrandum gratiã, & remissionem peccatorum, atque ad euitandum omnia mala, tam præsentis, quàm futuræ vitæ.

Cui offertur?

VNI soli Deo rerum omnium creatori & gubernatori. Vnde Ecclesia, in memoriã & honorem sanctorũ celebrare consueuit: nõ tamen illis sacrificiũ, sed soli Deo, qui sanctos æterna gloria coronauit, offerre solet.

An missa oblata pro multis, tantum singulis, ac si pro vno duntaxat offeratur, prosit?

ADVERTENDVM, illi pro quibus missa offertur, sunt in duplici differẽtia: Alij sunt, pro quibus ex Ecclesiæ instituto, generaliter offertur sacrificium, vt pro Papa, Rege, Episcopo, Circumstantibus & parochianis. Alij sunt, pro quibus specialissimè offertur, vt quando Sacerdos nulla ratione obligatus offert, pro sua voluntate & intentione.

Prima Conclusio. Missa quando generaliter ex Ecclesiæ instituto offertur, propter maiorem numerum nemo suo fructu priuatur. Quia generali instituto Ecclesiæ singulis sacrificium applicatur, & vnicuique in suo ordine & gradu. Sic Sotus in 4. d. 13. art. 1. q. 2. & alij alij.

Secunda Conclusio. Missa dicta aut oblata pro pluribus, non tantum prodest singulis, ac si pro vno solùm specialissimè fieret oblatio: Hęc est communior sententia Scot. quodl. 20. Panorm. & Ioan. Andreæ in c. Fraternitatem de sepulturis. Soti lib. 9. de iustitia & iure q. 2. art. 2. Nauarr. in Manuali Confess. cap. 25. nu. 92. & alij alibi.

Contrarium tamen tenet Caiet. 2. 2. q. 79. art. 5. & aliqui alij, quorum sententia reijcitur: Ratio conclusionis est, quia cum valor missæ sit finitus, si inter plures diuidatur, minus quilibet percipiet, quam si inter pauciores fiat diuisio. Ex hac conclusione secundum omnes deducitur, quod vna missa, non licet duabus obligationibus satisfacere. Deinde etiã, quod multum in eo consistat, vt Sacerdos celebraturus applicet illi, vel illis intentionem suam, pro quibus vult, aut tenetur celebrare.

In quo loco celebranda Missa?

DE iure communi non licet nisi in loco ab Episcopo consecrato celebrare, aut in loco non sacro, cùm altari portatili ex dispensatione sufficienti can. missarum solemnia de consecrat. d. 1.

Quo tempore missa habenda?

AB aurora vsque ad meridiem, & si ante meridiem incepta est, perficienda est.

In

In nocte tamen natiuitatis Domini, circa me-
diam noctem licitum est celebrare.

Potestne aliquis in die plures celebrare missas?

FOELIX ille censendus, qui vnam digni
potest in die celebrare. In Natali tame
Domini, quilibet potest tres celebrare, & si
id fiat continuè, vel separatim, parum refer
Sunt tamen adhuc alij casus, in quibus lic
binare, vt vocant.

Primus. Quando aliqua persona singulari
dignitatis venit, vt Episcopus, & vult audi
missam.

Secundus. Quando infirmus indiget viatic
& non est sacramentum.

Tertius. Quando aliquis habet duas Eccl
sias vnitas, quæ indigent duabus missis, & no
sufficiunt ad sustentationem duorum sacer
dotum, tunc cum licentia Episcopi potest Sa
cerdos binare.

Quartus. Quando iudicio boni & pruden
tis viri talis causa occurrit, vt necessitas exig
Alij adhuc ponuntur casus, de quibus, sic
de his, vide Nauarr. in Manuali Confess. ca
25. num. 87. Angelum, Sylvest. & alios in sum
mis verb. Missa.

Sed hoc obseruandum pro regula general
Quando quis duas, in die celebrat missas, a
etiam tres in die Natiuitatis, in vltima tantu
debet sumere ablutionem, alias non celebr
ret ieiunus, contra præceptum Ecclesiæ

De defectibus occurrentibus in missa.

VIDE S. Thom. in 3.par.q.83. art. vlt. Sotum in 4.d.13. q.2.art. 6. Angelum, Sylvestr. & Auream Armillam in verb. Missa.

Casus primus. Quid dicendum si sacerdos infirmitate, vel alio impedimento incipiat laborare, ita vt non valeat perficere missam incæptam.

Resp. Si fiat ante consecrationem, desistat: Si autem post, missa compleatur per alium Sacerdotem. 7.q.1.cap. Nihil.

Secundus. Quid si celebrans in missa recordetur se esse in peccato mortali, vel non esse ieiunum?

Resp. Si ante consecrationem sit, & sine scandalo fieri possit, recedat ab altari: Sed si scandalum obsit, aut sit post consecrationem, pœniteat de culpa, & missam perficiat.

Tertius. Quid si aranea, musca, vermis, &c. cadat in calicem?

Resp. Si ante consecrationem, effundat vinum, & aliud imponat addendo parum aquæ. Si post consecrationem, animal capiatur, si ob horrorem sumi nō potest, comburatur, & cineres in sacrarium proijciantur: Sed si veneno inficiatur, fundatur in alium calicem sanguis, & sumatur aliud vinum cum aqua denuò consecrādum, & sanguis veneno infectus exiccetur panno, vel stupa, deinde fiat combustio, & cineres in sacrarium reponantur.

Quartus. Quid si per negligentiam ministri, aut alia ex causa, loco vini infundatur aqua, & id, sumpto corpore, quãdo vult sumere calicem animaduertit, vel partem imbibit?

Resp. Secundum S. Thom. tunc alia hostia, & aliud vinum sumendum & consecrandum à principio. Scot. in 4. d. 8. q. 3. ait in tali casu, solum vinum esse accipiendum cum aqua, & incipiendum à consecratione calicis, ab illis verbis, Simili modo, &c. vsque, vnde & memores, & sic alijs omissis dicatur. Sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat animam, &c. & hoc sine turbatione, & scandalo facilè fieri posset, ita vt nemo aduerteret. Existimo cum Soto, priuatim esse seruandum modum S. Thom. vbi non timetur scandalum. Aliàs Scoti sententia placet in publico. Si autem post consecrationem animaduertat, non esse aquam appositam, non apponat, cùm non sit de necessitate.

Quintus. Quid si ex frigore, aut negligentia, hostia consecrata è manibus in calicem labatur?

Resp. Doleat, & missam prosequatur: Si autem apud populum sit, sic se accommodet in cæremonijs, vt scandalum, quantum fieri potest, euitetur.

Sextus. Quid si sumendo sanguinem remaneat particula in calice?

Resp. Adducat digito ad labium calicis, &

ſic ſumat, antequam vinum apponat. Quod ſi tamen vinum apponatur & ſimul ſumatur, nulla incurritur culpa, vt Angelus ſentit verb. Miſſa. §. 20.

Septimus. Quid faciendum cum reliquijs hoſtiæ in patena, poſt ſumptam lotionem ex communione laicorum ſuperfluis?

Reſp. Eſſe ſumendas, quia hoſtiæ & reliquiarum, vna & eadem cenſetur ſumptio. Si autem particula alicuius ſit magnitudinis, aut integra hoſtia, ſi ſeruari non poſſit in ſequentem diem, vt cum alia ſumatur, & non ſit cuſtodia, vt ſi in campo, in capella longè diſtante ab hominibus miſſa celebrata ſit, ſumatur à ſacerdote etiam poſt lotionem, quia cenſetur vna perceptio: Si autem in loco ſit cuſtodia, ſeruanda eſt.

Octauus. Quid ſi ſacerdos putat ſe habere vnam hoſtiam conſecratam, & in ſumptione reperit duas eſſe iunctas?

Reſp. Vtramque ſimul ſumendam.

Nonus. Quid ſi inueniatur fortè hoſtia in altari, vel parum vini extra calicem hæreat in pede?

Reſp. Reſolutio pendet ex intentione conſecrantis, quæ communiter fertur in hoſtiam, quam ſecum defert ad altare, & in vinum, quod in calice eſt.

Decimus. Quid ſi vinum in calice congeletur?

Resp. Si ante consecrationem, resoluat prius, & deinde consecret: Si autem non resoluat, adhuc conficit, quia vinum liquidum & congelatum non differunt specie. Si autem post consecrationem, etiam resoluat, vt habeat actualem rationem potus.

Vndecimus. Quid si sanguis effundatur?

Resp. Si totus effundatur, ponatur vinum aliud cum aqua, & consecretur, incipiendo à verbo, Simili modo, vt supra ex Scoto. Si pars tantum effusa sit, quod reliquum est, sumatur: Si autem sanguis cecidit super tabulam, lambatur, & tabula radatur, & cineres in sacrarium, vel iuxta altare recondantur: Idem faciendum si super lapidem altaris ceciderit: Si autem sanguis stillauerit, vsq; ad tertium linteum, linteamenta ter abluantur supposito calice, & aqua ablutionis in sacrarium fundatur, & pars linteorum abscindatur, comburatur & cineres in sacrarium ponantur: Si autem ceciderit super corporale, aut vestes Sacerdotales, satis erit abluere, & ablutionem in sacrarium fundere. De pœna verò effundentis sanguinem statuitur, de consecratione d. 2. can. si quis per negligentiam.

Duodecimus. Quid si hostia, vel aliqua eius pars delabatur in terram?

Resp. Reuerenter subleuetur, & locus in quem cecidit, mundetur & abradatur, puluis in sacrarium proijciatur. Si autem cecidit extra

tra corporale in mappam altaris, seu linteum aliquod, lauetur, & lotio in sacrarium fundatur.

Decimus tertius. Quid si Sacerdos ex aliquâ causa Eucharistiam euomat?

Resp. Si species integræ appareant, reuerenter, nisi horror prohibeat, sumantur: Aliàs cautè separentur, & in aliquo loco sacro reponantur; Quod si species non appareant, comburatur vomitus, & cineres in sacrarium reponãtur. De pœnitentia horum, vide de consecrat. d. 2. ca. Si quis.

Decimus quartus. Quid si Sacerdos non recolit se aliqua dixisse, vt quandoq; contingit?

Resp. Secundum S. Thom. in q. 83. art. vlt. ad 5. non debet propter hoc turbari, qua qui multa dicit, non recolit omnia: Si tamen probabiliter constet aliqua omissa esse, si sunt de necessitate sacramenti, resumenda sunt: Si verò non sunt de forma consecrationis, non debet resumere, mutando ordinem officij, sed procedere secundum ordinem ad finem.

CAPVT VIII.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ in genere.

PRo introductione notandum, quod pœniten-

Pœnitētia dupliciter accipitur, pro virtute, & sacramento.

nitentia duobus modis accipitur, vno modo pro virtute, & sic definitur à Magistr. in 4. d. 14. Pœnitentia est qua commissa mala, cum emendationis proposito plangimus & odimus, & plangēda vlterius committere nolumus. Alio modo pro sacramento pœnitentiæ. Pœnitentia vt est virtus, statim post peccadum Adæ, omnibus hominibus in mortale peccatum lapsis, ad gratiam & iustitiam consequendam, necessaria fuit, vt patet vbique ex sacris literis. Ezech. 18. & 33. & alibi. Luc. 13. Nisi pœnitentiam egeritis, simul omnes peribitis, &c. Conc. Trident. sess. 14. cap. 1. Huius tamē virtutis actus, procedit ex auxilio diuino, siue speciali motione Spiritus sancti, vt idem Concil. sess. 6. c. 5. & 6. de iustificatione determinat. Hinc illud Hierem. 31. Conuerte me Domine & conuertar. &, Postquam me conuertisti egi pœnitentiam. Nos de pœnitentiæ sacramento agemus.

Quid est sacramentum pœnitentiæ?

EST sacramentum remittendi peccata post Baptismum commissa: Quia pœnitentia non se extendit ad peccata Baptismum præcedentia: Sicut enim Baptismus nondum regeneratis ad salutem necessarius, sic pœnitentiæ sacramentum post Baptismum lapsis, de necessitate, si ad vitam resurgere velint, competit: Quare à Hieronymo rectè dicit-

Super Esa. 3. in illa

dicitur, secunda post naufragium tabula: vt enim confracta naui vnicum vitæ seruandæ refugium est, tabulam arripere & transnatare: Ita post perditam per peccatum, Baptismi innocentiam, necessaria est tabula pœnitentiæ, quam nisi quis arripuerit, de salute desperandum est, de pœnit. d. 1. can. Secunda tabula, & Conc. Trid. sess. 6. c. 14.

verba, peccatũ suum quasi sodoma. Quare pœnitentia dicatur secunda post naufragiũ tabula.

De sacramento pœnitentiæ legendi S. Thom. in 3. p. à q. 84. Alex. Halens. in 4. part. à q. 60. Magister in 4. d. 14. cum DD. Ioann. Medina in C. de pœnitentia. Andr. Vega lib. 13. de Iustificatione, & Bellarmin. tom. 2. quarta controuersia generali. lib. 1. & seq. qui doctissimè contra hæreticos hanc materiam disputant.

De necessitate huius sacramenti.

HOC sacramentum non est absolutè necessarium ad salutem, quia per Baptismum multi consequuntur salutem, sed ex suppositione, vniuersis post Baptismum in peccatum mortale lapsis. S. Thom. in d. q. 84. art. 5. Sot. in 4. d. 14. q. 1. art. 5. Bonau. & Richar. in ead. d. & etiam quandoq; in necessitate, quando non habetur copia Confessoris, potest sufficere contritio ad iustificationem, quæ includit votum confitendi & satisfaciendi, iuxta illud, Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Quando institutum est hoc sacramentum?

INSTITVTVM est à Christo Saluatore nostro, quãdo à mortuis excitatus insufflauit in discipulos, dicens. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. Concil. Triden. sess. 14. cap 1. vide Vegam cap. 14.

Ioan. 20.

De materia huius sacramenti.

ADVERTENDVM quod duplex est materia, Proxima & Remota; sicut statuæ materia proxima est metallum, remota terra vel lapilli ex quibus metallum fit, sic peccata commissa sunt materia remota sacramenti pœnitentiæ, non vt facienda, sed vt destruenda, vt optimè S. Thom. in d. q. art. 2. ait. Quemadmodum morbus materia medicinæ esse dicitur. Quando dicitur peccata commissa, intellige post Baptismum siue mortalia siue venialia sint.

Materia duplex propinqua & remota.

Materia propinqua pœnitentiæ sunt quasi actus pœnitentis, Contritio, Confessio, & Satisfactio, Concil. Florent. & Trident. sess. d. cap. 3. & can. 4. & hi etiam tres actus, rectè pœnitentiæ partes nominantur, quia ex Dei institutione, in pœnitente ad integritatem sacramenti, & ad plenam perfectamque peccatorum remissionem requiruntur, ex dict. ca. 3.

Dices: quare Concilia Florentin. & Trident. actu pœnitentis vocant, quasi materiam, & non absolutè, sine quasi?

RE-

RESPONDEO id non factum, quia veræ materiæ rationem non habeant, sed quia eius generis materia non sint, quæ extrinsecus adhibeatur, vt aqua in Baptismo, Chrisma in confirmatione, & panis cum vino in Eucharistia.

De forma.

FORMA est (Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Desumitur ex Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, &c. Sufficiens forma est) Ego te absoluo, &c. Quibus verbis de more Ecclesiæ sanctæ, preces quædam laudabiles adiunguntur, quæ tamen ad sacramēti essentiam, & administrationem necessariæ non sunt, vt Concil. Trid. in ca. 2. determinat. Manus etiam impositio in absolutione potest adhiberi, vel omitti, pro consuetudine, & vsu Ecclesiæ.

Quis effectus huius sacramenti?

REMISSIO vera peccatorum, reconciliatio cum Deo, infusio gratiæ & virtutum, nec non commutatio pœnæ æternæ in temporalem, & aliquando totius pœnæ remotio.

Quot sunt partes perfectæ pœnitentiæ?

TRES, vt ex dictis constat. Contritio, Confessio, & Satisfactio, de quibus nunc secundum ordinem agendum.

CAPVT IX.

DE CONTRITIONE.

Quid est Contritio?

EST dolor animæ peccata sua detestantis, & ad meliorem vitam aspirantis, vel vt Concil. Trid. loc.cit. c. 4. definit. Est animi dolor, & detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Ex dictis secundum fidem Catholicam colligitur, perfectam contritionem duo includere, dolorem siue detestationem peccatorũ propter Deum summè dilectum & firmum propositum emendationis vitæ, & obseruationis mandatorum Dei. Quæ ad longum pro confirmatione nostræ fidei comprobat doctissimè Andr. Vega lib. 13. de iustificatione. Rectissimè ergo contritio depingitur habere duas facies, sicut antiqui Iano tribuebant. Alteram è parte anteriori, qua præterita respicit peccata, vt doleat & detestetur: aliam è fronte, qua prospicit in futurum proponendo vitare omnia, quæ diuinam lædere possunt maiestatem.

Quæ includantur in ratione veræ contritionis.

Ex definitionibus prædictis, & alijs infero in primis, non esse contritum eum, qui actu, vel virtute non est eo animo, vt malit in genere quamlibet pœnam pati, quam morta-

liter

liter peccare & Deum offendere iuxta doctrinam S. Thom. quodlib. 1. art. 9. & Nauarr. in Manuali cap. 1. de contritione num. 17. Quia omnis qui contritus est, habet charitatem, & omnis qui Charitatem habet, Deum plusquã se amat, & omnis qui Deum plusquam se, & sua amat, mauult perdere se, & sua, quam Deum: cum ergo per peccatum mortale perdadatur Deus, sequitur quod contritus non est, qui non est eo animo, quod malit pati omnia mala, quam peccato mortali Deum offendere. Deinde deduco in deplorando esse statu eos, qui ad confessionem accedunt cum proposito, se vindicandi propria auctoritate, contra inimicum data opportunitate: aut tenentes alienũ contra iustitiam, ne minimum quidem cogitantes de restitutione, quales plurimi hoc seculo sunt, qui restitutionis obligationem fabulam arbitrantur, vt opere declarant. His similes sunt, qui ad sacramenta accedunt non deserentes proximas, & morales occasiones peccatorum, nec remouentes, vt sunt concubinarij, qui concubinas domi alunt, & retinent, accedentes ad confessionem & communionem sine scrupulo.

Similibus adiungi possunt, qui exercent artes vetitas, & negotia, in quibus moraliter loquendo, statum peccati exuere nequeunt.

Dubi-

Dubium. *An dolor contritionis debeat esse propter Deum offensum?*

PRIMA *Conclusio.* Qui principaliter dolet de peccatis propter gehennæ timorem, aut metum temporalis pœnæ, aut infamiæ, remissionem peccatorum non consequitur, nec est contritus. Patet exemplo Saulis, Antiochi, Iudæ & aliorum, quibus pœnitentia nihil profuit, cap. Iudas, & cap. Sceleratior. d. 3. S. Thom. 3. part. q. 86. art. 1. ad 1. & in 4. d. 17. q. 2. art. 3. q. 1. ad 4. Nauarr. loc. d. num. 7. & hæc est communis opinio, & constat, quia talis contritio siue dolor, ortum habet ab amore proprio, qui Babylonis, & non Dei ciuitatem ædificat, vt docet August. 14. de ciuit. cap. 28.

Secunda conclusio. Contritio debet esse dolor ex dilectione Dei procedens, id est, principaliter propter Dei offensam: dictum principaliter, quia ex occasione, & minus principaliter, potest originem sumere contritio ex alijs, vt ex consequentibus patebit. Conclusio constat ex prima, ex concil. Trident. sess. 6. cap. 6. dum ait. Illumque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, & propterea mouentur aduersus peccata, per odium aliquod, & detestationem, &c. Patet etiam conclusio, ex differentia contritionis & attritionis. Vide Vegam cap. 25. propositione 5.

Tertia Conclusio. Vera pœnitentia non solum ex dilectione Dei, sed etiam ex timore gehen-

gehennę, ſpe glorię, & fide profluit, ex d. Concil. loco cit.

Quæ eſt differentia inter contritionem, & attritionem?

DE hac materia, vide Sotum in 4. d. 17. q. 2. art. 5. Prima differentia, Contritio eſt dolor de peccatis propter Deum ſummè dilectum, vt omnes fatentur. Attritio eſt dolor de peccatis, quia pœnam æternam, vel temporalem meretur, vel quia cauſa perdendi honorem, amicitiam alicuius, vel aliud bonum temporale; quia peccatum ob multos fines odio haberi poteſt.

Secunda. Ex parte cauſæ, Contritio oritur ex timore filiali: Attritio ex ſeruili.

Tertia. Contritio nunquam eſt ſine charitate & gratia. Sed attritio poteſt eſſe ſine his, cum auxilio ſpeciali.

Quarta. Contritio ſi habeat explicitè, vel implicitè votum confitendi, & ſatisfaciendi, conſtituit hominem in gratia. Attritio verò ſine pœnitentiæ ſacramento actu ſuſcepto, non poteſt hominem ad iuſtificationem perducere: Quamuis eum ad Dei gratiam in ſacramento pœnitentiæ impetrandam, diſponat.

Dices. *Quæ eſt illa ſalutaris attritio, virtute cuius, accedente ſacramento, homo ex attrito fit contritus, ſecundum probatam Doctorum ſententiam, & Concil. Trident.*

SIC

SIc deſcribi poteſt, ex d. Concil. ſeſſ. 14. cap. 4. Eſt dolor minus perfectus, ex turpitudinis peccati cõſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter conceptus, voluntatem excludens peccandi, cum ſpe veniæ. Attritio ſic deſcripta, eſt donum Dei, & Spiritus ſancti impulſus, adhuc quidem non inhabitantis, ſed tantum mouentis.

Eſt adhuc alia attritio, quando homo dolet de peccato ob damnum temporale, infamiam, & ſimiles fines, ſed hic dolor non eſt attritio ſalutaris. Ex dictis facilè etiam reſolui poſſit, an idem actus attritionis poſſit fieri contritio: Nam virtute ſacramenti attritio poteſt fieri contritio, quod multò rectius intelligitur ſecundum illorum Doctorum ſententiam, qui tradunt attritionem & contritionem non differre, niſi penes intenſum & remiſſum, ita, vt idem actus numero remiſſus ſit attritio, intenſior factus, contritio reddatur, cui ſententiæ applaudere videtur Concil. Trid. cum attritionem vocat contritionem imperfectum.

De magnitudine, & quantitate contritionis.

CERTVM eſt, cum contritio originem ducat ex amore & charitate Dei, quod tantus debeat eſſe dolor de peccatis, quantus amor Dei, atque eam ob cauſam ſummus & maxi-

maximus omnium aliorum dolorum: Sicut ergo Deus diligendus ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus. Ita peccata detestanda super omnia alia mala, & hoc est, quod in Deut. 4. dicitur filijs Israel. Cum quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ. Non autem requiritur, vt contritio sit maxima quoad intensionem, sed tantum appretiatiuè, vt Doctores loquuntur. Nauarr. loc. cit. num. 4. Sot. in 4. d. 17. art. 4. Ioseph. Angles in 4. par. in q. de contritione, art. 3. Verga lib. 13. cap. 25. propos. 3. & alij alibi. Appretiatiuè autē nihil aliud est, quàm comparatiuè ad alias creaturas in hunc sensum, quod quando homo dolet & conteritur de peccato, vt tali sit animo, quod mallet perpeti omnia mala huius mundi, quam Deum offendere, aut offendisse mortali culpa, & vt ita odio prosequatur malum culpæ, plusquam omnia mala, quæ sunt odio habenda, & sic etiam intelligendum quod dilectio Dei, debeat esse maxima appretiatiuè, id est, quod præferenda sit omni dilectioni cuiuscunque creaturæ, nec propter quamcunq; rem creatam Deus deseratur. Dolor, qui resultat in parte sensitiua, non debet necessariò esse maximus intensiuè, imò aliqando potest modum excedere.

DE TEMPORE CONtritionis.

An homo statim post peccatum, & quando ad contritionem obligetur?

PRIMA *Conclusio.* Optimum & salutare consiliũ est, vt homo statim peccato commisso de eo conteratur, probatur Ecclesiastici 5. Ne tardes conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem. & cap. 21. Quasi à facie colubri fuge peccatum, Nauarr. de contrit. num. 27. S. Thom. in 4. d. 17. Caiet. in q. 7.

Secunda Conclusio. Statim post commissum peccatum, homo non tenetur sub præcepto pœnitere, ita vt si omittat, de nouo peccet, vt Doctores citati docent. Quia hoc præceptum est affirmatiuum, sicut etiam confessionis, non ergo obligat pro semper, vt scholæ loquuntur, sed statuto tempore. Sicut ergo homo non statim quando peccauit, tenetur confiteri, sed nec etiam pœnitere.

Tertia Conclusio. Præceptum contritionis statim post commissum peccatum obligat, quantum ad actum contrarium de non complacendo in peccato, ita quod homo non possit habere complacentiam in peccato. Ratio est, quia omne præceptum affirmatiuum includit negatiuum, de actu contrario obligans pro semper, verbi gratia: Præceptum de honore parentum, includit hoc negatiuum,

vt

vt nunquam facto, & verbo parentes inhonorentur.

Quarta Conclusio. Præceptum contritionis obligat in periculo mortis naturalis, & violentæ. Quia sicut vnusquisque tenetur corpori subuenire, ne pereat: Sic etiam animę, per pœnitentiam, ne damnetur, alias agit contra caritatem, quæ à se ipso incipit.

Quinta Conclusio. Etsi salutaris doctrina sit, contritionis actum elicere diebus festis, nemo tamen ad id tenetur præcepto, est contra Scot. & Gabrielem in 3. sentent. d. 27. & Angelum verb. Feriæ, §. 4. Conclusionem verò tenent communiter Doctores, Caiet. & aurea Armilla verb. Contritio. Sotus q. d. art. 6. Iosephus in art. 5. difficult. 4. & alij communiter. Ratio est, quia præcepto de colendo Sabathum, solum præcipitur quies ab operibus seruilibus corporalibus, & non à spiritualibus, qualia sunt peccata. Quare alibi dicemus, circumstantiam sacri temporis non esse de necessitate in confessione aperiendam.

Sexta Conclusio. Homo tenetur ad contritionem, quando est aliquod sacramentum susceptur us, aut administraturus, constat ex dictis de sacramentis in communi: Qui enim indignè sacramentum suscipit, aut administrat, sacrilegium committit, ergo tenetur se constituere in statum gratiæ, quod nequaquã fit sine contritione. De hac materia ad lon-

gum docet Nauarr. in principio d. 5. de pœnitentia in tertiam partem Glossæ à num. 28.

Addit Nauarr. in Manuali confess. cap. 1. de contrit. num. 27. cum Adriano in 4. de confess. quæst. 3. etiam ex præcepto fore eliciendam contritionem, instanti aliqua grandi necessitate populi, cui absque orationis feruore prouideri non posset.

An de singulis peccatis mortalibus, singulis sit necessaria Contritio?

DE hac materia, duæ sunt contrariæ opiniones Doctorum. Prima, quod de singulis peccatis mortalibus, singulæ debeant esse detestationes, & actus contritionis, ita vt vnicuique peccato respondeat sua detestatio. Huius opinionis celebres sunt auctores, Alexand. Halens. in 4. part. q. 69. memb. 8. art. 1. cui sententiæ etiã videtur adhærere S. Thom. in 3. part. q. 82. art. 1. Richard. & Durand. in 4. d. 17. Angelus in verb. Contritio, & alij alibi.

In contrarium sunt alij, docentes sufficere vt homo conteratur in genere de omnibus peccatis vna contritione, quæ extendatur ad vniuersa mortalia, quorum meminit, vel non meminit. Caietan. in locum S. Thom. q. 82. art. 1. in opusc. tom. 1. opusc. 4. quæst. 2. de contrit. Ioan. Maior. in 4. d. 17. q. 5. Nauarr. in Manuali confess. loc. cit. num. 22. Ioseph. Angles in q. de contrit. art. 2. difficultat. 6. Petrus à Sot.

de institut. Sacerdotum lect. 13. de sacramento pœnitentiæ, & Vega vbi supra proposition. 7. & 8.

Prima Conclusio. Quando confessio instituenda, recogitanda sunt, & retractanda omnia peccata cum dolore, & displicentia. Esaiæ 38. Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ: in hac conclusione non est controuersia.

Secunda Conclusio. Quantum ad rationem contritionis, quando homo non est subiturus sacramentum confessionis, contritio generalis sufficit ad salutem, quando se extendit ad omnia commissa peccata mortalia, in hunc sensum, vt nullum sit peccatum cuius si recordaretur, non pœniteret, vel ita, vt detestetur omnia peccata contra Deum commissa, ita vt nullum sibi placeat.

Certissimum est, si homini vnum peccatum mortale placeat, de quo non habeat contritionem, etiam si reliqua detestaretur, non iustificaretur. Impium enim est à Deo dimidiam sperare salutem, & qui sibi vnum peccatum reseruat, non conuertitur ad Deum toto corde & perfecto, sed sibi adhuc retinet amorem illicitum in corde, contra sacras literas.

Quis modus acquirendi contritionem?

QVI vult verè & ritè pœnitere, sibi persuadeat, opus esse maximè necessarium, & difficile, nec possibile sine misericordia, & gratia Dei, cui potius innitendum, quam imbecillitati humanæ, quare ante omnia humili, instantique oratione à Deo postulet gratiam pœnitendi & conterendi, exemplo illius qui dicebat: Conuerte me Domine, & conuertar, quia tu Deus meus. & iterum: Postquam me conuertisti egi pœnitentiam. Deinde parandi est per viam, quam proponit Concil. Trident. sess. 14. can. 5. de sacramento pœnitētiæ, nempe per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, recogitando annos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinē, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cū proposito melioris vitæ: Pro concione si quis velit videre, ad hunc effectum legat Petrum à Soto lect. 17. vbi proponit quæ populo proponenda sint in hac materia. & Ludouicum Granatens. de pœnit. conc. 2. de vera & falsa pœnitentia.

CAPVT X.

DE CONFESSIONE, SECVNda parte pœnitentiæ.

DE confessione agunt latissimè Sotus in 4. d. 18.

d. 18. Ioan. Medina in C. de pœnit. tract. 2. Vega lib. 13. de iustificatione à 27. cap. Iosephus Angles in 4. in tract. de pœnit. d. q. 3. Nauarr. in Manuali cap. 2. & de pœnit. d. 5. cap. consideret. & d. 6. c. 1. Summistæ in verb. Confessio.

Quid est Confessio?

EST peccatoris accusatio secreta, de suis peccatis coram Sacerdote proprio, vt ab ijs sacramentaliter absoluatur.

Quando iustituta est?

CONFESSIO, quæ iure diuino, omnibus post Baptismum lapsis in mortale crimen necessaria est, instituta fuit Ioan. 20. Quãdo dixit, accipite Spiritum sanctum, &c. & Matt. 16. & 18. Quodcunque solueritis super terram, ex Concil. Trident. sess. 14. de confess. Quando dicitur confessio esse necessaria post Baptismum omnibus ad salutem, intellige in re, si adest confitendi facultas: Sin minus, in voto. *Quando confessio instituta.*

Quando quis tenetur ad confessionem?

EX præcepto Ecclesiæ, quæ ius diuinum determinauit ad tempus, quilibet fidelis habens vsum rationis, tenetur semel in anno, suo proprio Sacerdoti, vel cum eius licentia alteri probato confiteri. ex cap. Omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.

Per proprium Sacerdotem, intelliguntur

Pontifex, Episcopus proprius, Parochus siue Pastor, & si qui sint alij, qui ab his habent cõmissionem, aut priuilegium. Pontifex est Pastor in vniuersa Ecclesia. Episcopus in sua diocœsi, Parochus in sua parochia: Si autem quis ob causam rationabilem, non velit proprio Sacerdoti confiteri, debet petere licentiam vt alteri confiteatur: in qua concedenda proprius Pastor nõ debet se difficilem præbere. Hoc præceptum autem de annua confessione, non obligat præcisè in quadragesima, sed potest quolibet anni tempore impleri, vt patet ex dicto cap. Omnis vtriusque.

Confitentur autem Christiani communiter, instante paschate, quia tum obligat, vt ex superioribus constat, præceptum de communione, quam præcedit Confessio. Pueri autem tenentur confiteri, quàm primum discernere norunt inter bonum & malum. Vnde citius tenentur ad confessionem, quàm ad communionem. De ætate & obligatione, consideratis circumstantijs parentes, & parochi iudicent.

Tenetur ne homo in alijs casibus ad confessionem?

QVATVOR adhuc casus à Doctoribus adferuntur, in quibus tenetur aliquis ad confessionem.

Primus. In probabili periculo mortis. Si autem

tem aliquis ita infirmus sit, vt nullum peccatum distinctum confiteri valeat, non est absoluendus, quoniam non est materia confessionis. Optimum autem consilium est secundum aliquos, vt Sacerdos tunc, aliquod singulare peccatum circa statum ægroti exquirat, illum interrogando, etsi pœnitens signo vel facto illud expresserit, poterit tunc illum ab omnibus peccatis sacramentaliter absoluere. Ex hoc capite etiam tenetur reus morti adiudicatus ante executionem confiteri vt communiter DD. fatentur.

Secundus. Quando est sumendum sacramantum Eucharistiæ, & homo habet conscientiam peccati mortalis, vt supra dictum.

Tertius. Quando est opportunitas confitendi, & est probabile, quod quando tenebitur ex præcepto, non erit facultas.

Quartus. Quando quis habet conscientiam, quod teneatur ad confessionem.

Quot sunt conditiones sacramentalis confessionis.

DECEM & sex, sequentibus versibus comprehensæ.

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis & accusans, & sit parere parata.

HÆ omnes conditiones sunt de perfectione confessionis, non tamen de necessitate. Sunt autem hæ tres de necessitate, lachrymabilis, id est, vt sit cum contritione, vel saltẽ attritione illa salutari, vt sacramentum ex attrito faciat contritum. Integra, & secreta. De priori constat ex superioribus, nunc de integritate, & secreto Confessionis agendum.

De *integritate Confessionis*.

IN sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, necessarium est iure diuino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria post debitam, & diligentem præmeditationem haberi potest, etiam occultissima, quæ sunt contra duo vltima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati mutant speciem, Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. & can. 7.

An omnia peccata, quantum ad numerum sint confitenda?

PRIMA *Conclusio*. Iure diuino homo tenetur etiam numerum peccatorum mortalium, quorum memoriam habet, confiteri, Concil. Florentinum, his verbis. Secunda pars pœnitentiæ sacramenti est, hominis confessio, ad quam pertinet, vt peccator omnia sua peccata, quorum habet memoriam integraliter confiteatur. Requiritur ergo etiam iure diuino, ante confessionem examen & inquisitio,

ſitio, vt homo memor eſſe poſſit peccatorum in confeſſione. Debet autem homo in hoc negotio tantum diligentiæ, & temporis impendere, quantum vir bonus & prudens, in re magni momenti, ſolet collocare.

Secunda Concluſio. Peccatis in memoriam reuocatis, tenetur pœnitens ſingula ſingulatim, quando ſunt diuerſæ ſpeciei confiteri. Quia in cap. Omnis vtriuſque ſexus, & in Cõcilio Florentino dicitur, peccator confiteatur omnia, id eſt ſingula peccata ſingulatim. Quãdo autem ſunt eiuſdem ſpeciei, poteſt pœnitens vnico actu plura cõfiteri, exempli gratia, confiteor me decies blaſpemaſſe, aut ſexies neglexiſſe ſacrum die Dominico. &c.

Tertia Concluſio. Quando pœnitens non eſt certus de numero peccatorum, ſatis eſt, vt probabilem numerum explicet, vt exempli gratia, dicat decies, plus minuſue non ieiunaui in Quadrageſima.

Quarta Concluſio. Quando aliquis longo tempore perſeuerauerit in ſtatu alicuius peccati, & toties illud frequentauit, quod difficilimum, imò moraliter loquendo, quaſi impoſſibile ſit, numerum peccatorum memoria tenere, tunc ſufficit indicare tempus, conditionem, & propenſionem animi in tali peccato, exempli gratia, Meretrix integro anno fuit in loco publico eius voluntatis, vt omnibus cupientibus, faceret copiam ſui corporis

pro pecunia, post annum pœnitentia ducitur, & confitetur, non tenetur dicere numerum suorum peccatorum, peccati luxuriæ in specie, sed sufficit statum tanti temoris aperire. Simile est iudicium in similibus.

Quomodo confitendi actus præparatorij, siue præcedentes, quæ sunt via ad vnum peccatum perpetrandum?

EXEMPLI gratia, aliquis vult fornicari, mittit literas, & munuscula, exercet oscula, & tactus impudicos, tandem fornicatur. Si hi actus dirigantur ad fornicationem, & continuentur, sunt confitendi nomine fornicationis, quia vnicum efficiunt peccatum cõpletum. Ad verò, si interrumpantur per actu pœnitentiæ, toties augetur numerus peccatorum, quoties huiusmodi actus renouantur, v. g. Aliquis habet animum fornicandi, non habet statim occasionem, mutat propositum, & redit ad mentem, post horam recurrit delectatio, iterum intendit fornicari, & mittit ad eum effectum munera, iterum oblato impedimento reuocat se ad mentem, &c. tot sunt peccata distincta, quod actus distincti & interrupti, per pœnitentiam.

De confessione circumstantiarum.

VIDE Nauar. in Manuali confessariorum cap. 6. & de pœnit. d. 5. cap. Consideret

in principio. Dom. Sotum in 4.d. 18. q. 2. art. 4.& alios ſupra, vt de confeſſ.

De numero, diuiſione, & diſtinctione circumſtantiarum, dicetur infra in proprio loco.2.part.tractat. cap. 3. Nunc breuiter adferenda, quæ huic loco conueniunt.

Prima Concluſio. Circumſtantiæ quæ ſpeciem mutant, de neceſſitate, in confeſſione ſunt aperiendæ, vt ſupra ex Concil. Trident. declaratum. Hæ autem mutant ſpeciem, quæ ſpecialem habent repugnantiam cum ratione, aut diuerſis, ſpecialibusque præceptis prohibentur.

Secunda concluſio. Circumſtantia loci ſacri mutat ſpeciem, quando aliquis in loco ſacro furatur, aut fornicatur, aut cum iniuria ſanguinem humanum effundit, aut aliquem contra immunitatem Eccleſiaſticam, cum violentia è loco ſacro rapit. Quia in his caſibus ſunt præcepta iuris canonici, quæ prohibent talia fieri.

Tertia Concluſio. Circumſtantiæ etiam in eadem ſpecie, quando multum aggrauant ſunt aperiendæ, vt quorundam DD. opinio eſt.

Quarta Concluſio. Circumſtantias diei feſti, aut ieiunij, aut orationis, etſi laudabile ſit confiteri, non eſt tamen de neceſſitate, niſi quis in contemptum feſti peccet.

Quinta Concluſio. Circumſtantiæ perſonis communes, quæ augent peccatum in eadem ſpecie,

specie, v.g. si bonus aut malus, senex aut iuuenis, superior aut inferior, &c. peccet, non sunt de necessitate confitendæ, nisi scandalum vel alia circumstantia accedat: Si verò circumstantiæ sint particulares, personis, vt rationi status, aut voti, aut consecrationis, tunc sunt de necessitate confessionis, quia mutant speciem, vt si religiosus fornicetur aut furetur quia si religiosus fornicetur transit peccatum in speciem sacrilegij, & etiam peccat aliàs contra votum: Eadem est ratio, de furto religiosi non enim solum peccat contra præceptum Non furaberis, sed etiam contra votum paupertatis: Eadem est ratio, quando peccatum mutat speciem, ratione personarum in quas peccatum committitur, vt si quis violet virginem Deo consecratam, &c. aut etiam rationi rerum quæ tractantur, vt si quis rem sacram accipiat, è loco priuato, & fit sacrilegium, & tunc confitendum, non tanquam simplex furtum, sed vt sacrilegium.

Sexta Conclusio. Circumstantia finis, quando est prohibita alia lege speciali, ab actu principali, est aperienda in confessione, quia trahit ad aliud peccatum, vt si quis furetur ad mæchandum non tam fur quam mæchus dicitur.

An circumstantia stupri necessariò sit aperienda in confessione?

VT quando virgo peccauit, quæ adhuc integram

tegram habuit virginitatem, vel alius virginitatem in virgine violauit, an circumstãtia virginitatis læsæ sit confitenda, tam in peccato cogitationis, quàm exterioris actus.

Respondetur, quamuis aliqui negent, tutius fore cum alijs confiteri, tam in actu cogitationis, quam peccati in opere, maximè quãdo confessarius non nouit statum fœminæ, quia est circumstantia, quæ notabiliter, aggrauat luxuriæ peccatum.

An liceat dimidiare confeßionem, id est, diuidere, ita vt vni Sacerdoti quædam, alteri reliqua confiteatur?

RESPONDETVR, quantum est ex natura confessionis, omnia peccata cum suis circumstantiis, sunt eidem Sacerdoti confitenda: Aliter si fiat, confessio est dimidiata, & non valet, constat ex cap. Consideret. §. Cautus, de pœniten. d. 5. Cautus, inquit, sit pœnitens, ne verecundia ductus diuidat apud se confessionem, vt diuersa, velit diuersis Sacerdotibus manifestare: Quædam enim vni cælat, quæ alijs manifestanda reseruat, quod est se laudare, & ad hypocrisin tendere, & semper venia carere, ad quam per frusta totam putat peruenire, hæc ex can. Hæc est etiam communis DD. sententia, S. Thomæ in 4. d. 17. quæst. 3. art. 4. Durand. d. 16. Palud. & aliorum in d. 21. Sot. d. 18. quæst. 2. art. 5. Nauarr. in dicto §.

cto §. Cautus, & alibi aliorum. Dictum est e natura confessionis, quod alij dicunt per se. Per se autem dicitur dimidiata, quando ex intentione diuiditur nulla legitima vrgens causa. Si autem ex legitima causa diuidatur, per accidens dicitur fieri.

Quibus igitur ex causis confessio potest diuidi?

DE hoc dubio, vide Nauarr. in d. cap. Consideret in principio à num. 95. & in Manuali confess. capit. 9. num. 15. & 16. Ioan. Medinam in C. de pœnit. tract. 2. quæst. 10. Sotum loc. cit. Caietan. in summa verb. Confessio, conditione 10. Ioseph. Angles in quæst. de confessione, septima difficul. art. 4. Petrum à Soto de institut. Sacerdotum de Confess. lect. 10. Ante resolutionem, in hac materia nota, quatuor à pœnitente possunt timeri, vt reuelatio certi peccati, vel ruina confessoris, vt si puella taceat turpes cogitationes, ne prabeat Sacerdoti ansam illam solicitandi, sacrilegij occasionem: vel mors aliena, vt si pœnitens accessit ad sororem, Confessoris pœnitentis consanguineam, ex cuius circumstantiæ confessione timet, ne soror dicta agnoscatur, & interficiatur: vel quarto infamia participantis in peccato, vt si pœnitens accessit ad sororem propriam confessori notam.

Prima Conclusio. Quæcunque circumstantia, & quodcunque peccatum aperiendum in con-

confessione confessario est, quando is persona est, quæ proderit & non oberit. In hoc conueniunt DD. vt Nauarr. in dicto cap. Consideret, num. 96. in principio testatur. Intelligenda Conclus. de circumstantia necessaria.

Secunda Conclusio. Quando confessarius nõ est talis persona, pœnitens potest ei confiteri velatus & transformatus, ita, vt eum nullatenus agnoscere valeat, nec est opus nomen, & domicilium nominare, modo Confessario insinuet, quod ipsum possit absoluere.

Tertia Conclusio. Si huic remedio locus non est, quærendus est alius confessarius petita facultate à proprio Pastore, vel eius superiore, qui non debet esse difficilis in concedenda licentia.

Quarta Conclusio. Quando nulli horum remediorum locus est, vtpote quia solum est vnicus Pastor præ manibus, nec potest adiri alius, aut proprius non vult dare licentiam, si tunc temporis cõfessio sit sub præcepto, & timetur reuelatio, vel mors propria, aut alterius, pœnitens tenetur tale peccatum, aut circumstantiam celare. Quia concurrentibus in casu duobus præceptis, fortius, strictius ligat, quando vtrumq; simul seruari non potest: Sed præceptum de vitando in alio peccatum, est naturale & diuinum: de integritate autem cõfessionis, est diuinum tantum, ergo prius fortius ligat, & posterioris obligatio cessat.

Ea-

Eadem est ratio, quando verisimiliter timetur Confessarij ruina, aut magna participantis, quem Confessarius nouit, in peccati infamia, quicquid quidam dicant, quia eadem ratio supra posita hic etiam militat, ergo de idem ius censendum est, & quæ pro charitate instituta sunt, secundum S. Bernardi doctrinam, contra charitatem militare non debent.

In casibus superioribus, quando pœnitens iusta de causa aliquod peccatum celat, tenetur illud, quam primum commodè potest, confiteri, quando talis causa cessat. Quia in talibus casibus ratione talis peccati, censetur non habere copiam confessarij, ergo facta ei copia tenetur confiteri.

Quomodo integritas confessionis seruabitur, quando est casus reseruatus, à quo inferior non potest absoluere, & superior non consueuit aut non vult audire omnia?

TRIBVS modis potest aliquis confiteri in tali casu. *Primo*, vt confiteatur superiori reseruata peccata, & ab eo absoluatur ab eis. Deinde inferiorem accedat, & confiteatur reliqua & absoluatur. *Secundo*, vt inferior obtineat potestatem à superiori absoluendi à reseruato, & hic est optimus modus. *Tertio*, vt confiteatur omnia peccata vni confessario, & ab inferiori absoluatur à non reseruatis, & à superiori à reseruatis.

An pœnitentem ex ignorantia prætermittentem aliquod peccatum, Confessarius illud sciens teneatur instruere, vt pœniteat & confiteatur?

VIDE Sotum d.18.q.2. art. 4. & Iosephum Angles in q. de confess.art.4.8. difficult. & Petrum à Soto de institut. sacerdotum, de integritate confess.lect.10.prope finem.

Quando ignorantia est iuris, quod omnes tenentur scire, siue diuini, siue humani vel facti. Sacerdos tenetur pœnitentem instruere, siue prosit, siue obsit: Quia omnis talis ignorantia, cum sit culpabilis, peccatum est. Si autem ignorantia sit eorum, quę non omnes scire tenentur: si sacerdos viderit quod prodesse possit, sine graui scandalo, tenetur pœnitentē instruere. Si autem videt, quod nihil proderit, aut graue sequitur scandalum, debet dissimulare & tacere: Si pœnitens ratione fortasse scrupuli confitetur, aut inquirit, Sacerdos, tenetur veritatem manifestare: Quia sicut non est licitum pœnitenti in confessione mentiri, sic nec etiam Confessario: nam à tam sanctissimo iudicio longè abesse debet mendacium.

Quid si quis facta debita diligentia confiteatur, & post confessionem oblitus est alicuius peccati mortalis?

RESPON. Si tale peccatum incidat ante communionem, debet confiteri eidem confessario, vel alteri: Si post, potest statim confiteri si vult: aut differre ad confessionem sequentem.

Quid faciendum ei, qui confessionem fecit nullam, scienter reticendo aliquod peccatum mortale, debet ne omnia peccata iterum de nouo confiteri?

RESPOND. Aut confitetur eidem Sacerdoti, aut alteri. Si confitetur eidem, si confessarius adhuc habet memoriam peccatorum, vel saltem recordatur pœnitentiæ iniunctæ, non tenetur ex integro repetere, sed sufficit dicere. Dico meam culpam de omnibus meis peccatis tunc confessis, & deinde confiteatur peccatum omissum, adiuncto eo quod confessionem irritam fecit, & obicem sacramento posuit. Si autem alteri Sacerdoti confitetur, debet de nouo ex integro omnia repetere.

De sigillo siue secreto confessionis.

DE hac materia lege Nauarr. in Manuali confess. c. 8. & de pœnit. d. 6. c. Sacerdos 1. num. 33. ad longum. Dom. Sotum vbi supra art. 6. Petrum à Soto loc. cit. lect. 11. Ioan. à Medina à q. 45. & alios in 4. d. 21.

Sigillum confessionis nihil est aliud, quàm obli-

obligatio celandi ea, quæ in confessione sacramentali dicuntur. Sumpta est metaphora, à sigillo literarum, quo signamus ea, quæ occulta & secreta esse volumus. *Quid sit sigillũ confessionis.*

Obligatio seruandi secretum confessionis, est ex iure diuino, & sequitur præceptum cõfessionis. Quia qui instituit aliquid, omnia illa censetur instituisse, sine quibus illud consistere nequit. Impossibile autem foret, conseruare confessionis sacramentum, si peccata nõ clauderentur & celarentur sigillo, quia res foret exosa confessio, ergo qui instituit confessionem, simul etiam sigillum coniunxit. Hinc deducitur, quod nec summus Pontifex, nec vlla sit potestas in terris, quæ alicui præcipere possit, vt confessionem reuelet.

Quæ comprehenduntur sub sigillo confessionis?

RESPOND. Omnia peccata, siue mortalia, siue venialia, Circumstantię peccatorum, Persona, si quæ nominetur tanquam particeps peccati, signa, indicia vniuersalia, & particularia, & omne quicquid est, per quod peccatum in confessione detectum, directè, vel indirectè quocunque modo, possit reuelari in genere, vel specie.

Qui tenentur ad sigillum confessionis?

RESPOND. Confessarius ipse, & aliæ omnes personæ, quæ confessionem sacramentalem audierunt, aut intellexerunt licitè

vel illicitè, siue sint viri, siue fœminæ secundum DD. in 4. d. 21.

An in nullo casu, etiamsi mors immineat, vel tota respublica periclitetur, liceat peccatum in confessione detectum, reuelare?

RESPOND. In nullo casu licitum est, peccatum in confessione sacramentali detectum reuelare, nisi quando id fit cum libera spontaneaque confitentis licentia, ex aliqua iusta causa, & absque scandalo.

Dubia quædam circa hanc materiam occurrentia.

Bene legas sub: sequentia.

PRIMVM. Quid si sacerdos interrogetur de aliquo pœnitente, an ipsum absoluerit? Si absoluit potest dicere, ꝙ sic: Si non, non debet hoc affirmare, quia ingereret suspicionem quod peccatum haberet à quo non vellet desistere, vel à quo non posset absoluere, sed respondebit, se perfunctũ suo munere & officio.

Secundum. Potestnè Sacerdos sine fractione sigilli dicere, ille confessus est mihi sua peccata, & eum absolui? Potest, quia non reuelat confessionem, omnis enim confitens peccata confitetur: Non tamen licet dicere confessus est mihi peccata mortalia: aut venialia.

Tertium. Quid quando pœnitens est peccator publicus, potestnè confessarius dicere quod etiam hoc sciat ex confessione? Licet

posse

possit tunc de eo loqui prout scit extra confessionem, non tamen potest insinuare se audiuisse in confessione.

Quartum. Quid si sacerdos non possit aliquod suum peccatum confiteri nisi reuelet confessionem.

Resp. Sacerdos pœnitens tunc non tenetur tale peccatum confiteri, vt DD. tradunt. Quia in tali casu censetur non habere sufficientis Sacerdotis copiam, respectu peccati, quod confessionem reuelaret.

Quintum. Quid si iudex, vel superior interrogat Confessarium de crimine, quod scit in confessione? Si solùm in confessione scit, respondebit se nihil scire de re, quam Iudex inquirit, vel simpliciter nescire, & si opus sit, potest hoc & iuramento confirmare, subintelligendo in mente, non scio vt reuelem, vel nescio vt homo, sed vt Dei minister scio. Si autem extra confessionem scit, potest vt sic de eo loqui, imò etiam si requiratur, testimonium ferre, nihil significando de confessione.

Sextum. Quid si confessarius audiuit confessionem alicuius, & occurrit casus, quem non potest resoluere sine consilio alicuius viri docti, Nunquid poterit hoc facere sine reuelatione confessionis?

Resp. Potest quærere consilium à Docto, sed sic casus exponendus est, vt non cognoscatur persona, quam concernit.

Septimum. Potestne Confessarius cum pœnitente loqui extra confessionem, de peccatis auditis in confessione, propter vtilitatem ipsius?

Resp. Si aliàs statum pœnitentis cognoscit, potest sic cum eo loqui, ac si non audiuisset in confessione: Aliàs non, nisi pœnitens ipse fortasse post confessionem, latius consilium, vel maiorem instructionem, à Confessario expeteret.

Octauum. An reuelet confessionem, quia de pœnitente aliquo, casum reseruatum habet, vel habuit, à quo non possum, nec potest ipsum absoluere?

Resp. Talis reuelat confessionem, quia dettegit pœnitentē sibi confessum aliquod peccatum mortale habere, quia mortalia tantū, eaque grauia reseruari solent, vt rectè docent Palud. in 4. d. 21. q. 3, & Nauarr. in d. c. Sacerdos. n. 9.

Nonum. An non possit aliquis coram multis confessionem sacramentalem facere.

Resp. Certum est, quod aliquis potest in vindictam suorum scelerum, & humiliationem sui, ad aliorum exemplum, & Ecclesiæ offensæ ædificationem, peccata sua publicè confiteri, nemo tamē ad hoc debet compelli, vt constat ex Concil. Trid. sess. 14. c. 5. & can. quem pœnitet. de pœnit. d. 1. Imò tradit Palud. hoc aliquando in religionibus consuetum fuisse, factum.

De

Decimum. Quæ pœna reuelantis confessionem?

Præter grauissimum peccatum mortale, quod committit, pœna est depositio ab officio, & detrusio ad arctissimum monasterium pro perpetua pœnitentia, cap. Omnis vtriusq; sexus, de pœnit. & remiss.

CAPVT XI.

DE NVLLITATE Confessionis.

An confessio aliquando sit nulla, ita, vt non valeat, sed ex integro reiteranda sit, & in quibus casibus?

DE hac materia lege Nauarr. in Manuali cap. 9. & in cap. Fratres de pœnit. d. 5. à. num. 31. Caietan. in summa verb. confessionis iteratio. Sotum in 4. d. 18. q. 3. art. 3. Ioan. Medinam in C. de pœnit. tract. 2. à. q. 17.

Nullitas confessionis oriri potest ex vno quinque fontium, nempe ex defectu confessarij, contritionis, confessionis, satisfactionis, & inhabilitatis in pœnitente. Pro clara huius materiæ, quæ multum necessaria est Confessario, resolutione sit.

Prima Conclusio. Confessio facta Confessario non habenti iurisdictionem, siue absoluendi potestatem, est nulla: patet Conclus. ex cap. Omnis vtriusq: sexus, & communi DD. sen-

In quibus casibus cõfessio reiteranda sit.

ſententia: Quia cum abſolutio ſit actus iudi-
cialis, requirit iuriſdictionem, & ſubditos.
Hinc confeſſio facta ſimplici Sacerdoti, ve
non de licentia curati proprij alij curato, eſt
nulla & reiteranda. Eadem eſt ratio de ea, quæ
facta eſt excommunicato denunciato, vel ex-
communicato propter manifeſtam cleri-
percuſſionem.

Secunda Concluſio. Quando Sacerdos non
habet abſoluendi intentionem, id eſt, non
vult abſoluere, confeſſio eſt nulla, nec valet.
Quia intentio miniſtri, eſt de neceſſitate ſa-
cramenti.

Tertia Concluſio. Quando ſacerdos tantala-
borat ignorantia, vt vel abſoluere neſciat, vel
communia peccata mortalia, contra decem
præcepta ignorat, vel alia, quæ ſunt neceſſaria
reſpectu confitentium, confeſſio nulla eſt, &
reiteranda. Quia non poteſt ferre ſententiam
cum non habeat clauem ſcientiæ. Nunc ex
parte contritionis ſit.

Quarta Concluſio. Cum pœnitens nullam
habet præteritorum peccatorum deteſtatio-
nem, & dolorem, nec animum ſeu propoſitum
deſerendi ſtatum peccati: confeſſio non va-
let, ſed reiteranda eſt, ſecundum omnium ſen-
tentiam. Quia quoduis ſacramentum materia
deficiente nullum eſt, contritio vel ſaltem at-
tritio illa, quam ſupra deſcripſimus, ſpectat
ad materiam pœnitentiæ, ergo ea deficiente
nul-

nullum est sacramentum. Hinc contingit, quod confessiones vsurariorum, concubinariorum, & eorum, qui vltionem iniuriarum per fas, & nefas quærunt, vt plurimum sint nullæ, & reiterandæ.

Quinta Conclusio. Pœnitens, qui detestatur peccata præterita, cum proposito vitandi futura, licet dolor ita sit imperfectus, vt ne quidem gradum attritionis, quæ cum sacramento contritum facit, attingat, non tenetur confessionem reitetare. Quia alioqui nemo sciret se verè confessum, quia nemo scit an amore vel odio dignus sit; Quare etiam nemo scit an sit contritus, vel attritus sufficienter. Alia autem est ratio, quando penitens est suæ indispositionis conscius, & cognoscit se nec cõtritum, nec sufficienter attritum. Nunc pro nullitate & defectu ex parte Confessionis sit.

Sexta Conclusio. Quando confitens ex malitia, verecundia, timore, aut alio respectu humano, sine legitima causa, ex intentione, scienter in confessione omittit aliquod peccatum mortale, aut quod credit esse mortale, aut circumstantiam necessariam, aut dimidiat cõfessionem, confessio est nulla, & omnes sequẽtes ab ea, in qua peccatum est omissum, & sic etiam reiterandæ. Quia confessio integra omnium peccatorum, quorum pœnitens memoriam habet, est materia huius sacramenti: ex Conc. Floren. & communi DD. sententia.

Dictum in conclusione, sine legitima caus
Quia supra dictum ex quibus causis hoc fie
possit. Additũ etiam aliquod peccatum mo
tale, quia veniale sine peccato potest etiame
intentione omitti, & non reddit nullam con
fessionem.

Septima Conclusio. Quando confitens con
fessionem facit, non adhibita diligentia, qu
peccata commissa in memoriam reuocet, au
ex culpabili, & crassa negligentia, aut igno
rantia, aliquod mortale omittit, confessio re
ditur nulla, & est reiteranda.

Octaua Conclusio. Qui facit diligentiam
inquisitionem, quam putat sufficientem, qui
uis verè talis non sit, & ob hoc non confiten
aliquod peccatum mortale, quia obliuiscitu
non tenetur de nouo reiterare confessionem
quia huiusmodi confessio fuit valida, cum n
fuerit ex proposito & intentione dimidiat
Adhibenda autem est tanta diligentia in re
ducendo ad memoriam peccata, quanta iud
cio prudentis & boni viri adhiberi solet, in
ardua magni momenti qualis est profectos
lus animæ. Nec in omnibus æqualis diligenti
requiritur, qui enim crebrò confitentur, no
multis implicantur negotijs & peccatis, faci
liori negotio se expediunt. Quod etiam loc
habet in illis, qui vt plurimũ tantum venial
committunt, & confitentur: Quia ex omissio
ne venialiũ, confessio nõ annullatur. Sit nun
ex parte inhabilitatis in confitente. No

Nona Conclusio. Excommunicatus, ignorantia inuincibili iuris, aut facti laborans, si prius à peccatis quàm ab excommunicatione absoluatur, confessionem reiterare non tenebitur: Sacramentum enim est validum, quoniam propter ignorantiam inuincibilem excusatur: hanc conclusionem tenent Caiet. in verb. Absolutionis impedimenta, & in verb. Confessionis iteratio, Ioan. Medina, loc. cit. q. 18. Nauarr. in d. cap. Fratres. num. 45. Ioseph. Angles vbi sup. diffic. 7. & alij alibi.

Si autem pœnitens sit excommunicationis conscius, & deposuerit contumaciam, & prius à peccatis absoluatur, quam excõmunicatione, erit reiteranda confessio, quia stante tali excommunicatione, pœnitens non est capax sacramentalis absolutionis, quamuis præstet iuramentum obediendi Ecclesiæ. Hanc materiam latè prosequitur Nauar. loc. d. Hinc intelligitur, per inhabilitatem ad recipiendum absolutionem in pœnitente, DD. intelligere impedimentum excommunicationis maioris, vel minoris in pœnitente. Ex defectu satisfactionis sit.

Decima & vltima Conclusio. Confessio non est nulla, nec iteranda ex hoc, quod pœnitens pœnitentiam iniunctam non impleuerit, vel non in statu gratię, siue per obliuionẽ, siue per negligentiã, hæc conclusio est contra multos Doctores. Conclusionem autem præsentem

tenent. Nauarr. in Manuali cap. 9. num. 17. de pœnit. d. 5. cap. Contrarium, à num. 18. in d. cap. Fratres, num. 5. Caiet. in verb. Confessionis iteratio. Adrian. in 4. quæst. 4. de Confess. Ioseph. Angles vbi sup. art. 7. difficult. & alij alibi: Ratio, quia qui semel legitime confessus est sua peccata, nulla humana auctoritate cogi potest, vt iterum ea cõfiteatur, sufficit ergo, quando aliquis pœnitentiam non impleuit, aut per obliuionem, aut per negligentiam, vel aliam causam, quod peccatum confiteatur, nec est necesse repetere confessionem: si quis tamen, vt Adrian. Nauarr. & alij docent, ante absolutionem pœnitentiam impositam contemneret, aut ex ignorantia crassa, & culpabili, non laboraret vt eius esset memor, confessio foret reiteranda, non ex defectu satisfactionis, sed integritatis, quia illa peccatum non confessus fuit ante absolutionem.

CAPVT XII.

DE MINISTRO CONFESSIONIS & requisitis in eo.

MINISTER sacramenti pœnitentiæ est Sacerdos habẽs potestatem iurisdictionis vt vocant, in pœnitentem.

A

Ad intelligentiam huius rei notandum duplicem requiri potestatem in ministro sacramenti pœnitentiæ, ordinis, & iurisdictionis. Ordinis potestas confertur Sacerdoti in sua consecratione, quando ordinatur Sacerdos. Iurisdictionis verò recipitur, quando quis legitimè præficitur curæ animarum, quod intellige quantum ad exercitium. Iurisdictio adhuc duplex est, Ordinaria & Delegata. Ordinaria vtuntur sequentes. Pontifex in vniuersali Ecclesia, Episcopus in sua Diocæsi, Parochus in sua Parochia. Delegatam habent ij, quibus ab his committitur. Ex defectu potestatis ordinis. Confessio facta laico, aut alteri clerico, qui non est Sacerdos, nihil valet ad effectum absolutionis, vt communis Theologorũ sententia est, & veritas certissima, ab omnibus recepta, & definita in concil. Trident. sess. 14. can. 10. Contra tamen videntur textus in cap. quem pœnitet. de pœnit. d. 1. & de pœnit. d. 6. cap. 1. Tanta est virtus confessionis, vt etiam laico facta prosit, & si deest Sacerdos, confiteatur proximo, & Mag. in 4. d. 17. alias adfert auctoritates. Respondetur, hos canones cum Magistro intelligendos esse de consilio, & non ad effectum sacramentalis confessionis, sed causa humilitatis, vel petendi consilij, vide ad hanc materiam Nauarr. de pœniten. d. 6. cap. 1. in principio à num. 72. Ex defectu autem iurisdictionis, non potest absoluere quili-

Potestas in confessario duplex, Ordinis & Iurisdict.

quilibet ſimplex Sacerdos, cui non eſt com-
miſſa animarum cura in ſubditos: Nota reg-
lam generalem, quod in articulo mortis, o
præſumitur, quando mors timetur, quilib
Sacerdos poteſt abſoluere ab omnibus pecc
tis, & cenſuris in foro conſcientiæ.

QVAE PRAETEREA REQ-
runtur in Confeſſario?

Reſpond. *Tria adhuc; Scientia, Pruden-
tia, & Bonitas.*

ADDVNT quidam ſecretum, ſed hoc re
tum eſt inter cõditiones confeſſionis, r
etiam de hoc actum.

De ſcientiæ neceſſitate, qualitate & quan
tate, dictum in quæſtione procemij.

Prudentia, ad quatuor requiritur in co
feſſione. *Primo*, vt ad aperiendam conſcien
am, inducatur peccator, in qua re, nõ eſt op
parua induſtria apud ignorantes, & verecu
dos. Quare in d.c.1.de pœn.d.6.§.diligens, c
citur. Diligens itaque inquiſitor, & ſub
lis inueſtigator, ſapienter & quaſi aſtutè i
terroget à peccatore, quod forſitan igno
rat, vel verecundia velit occultare, peccat
tem mortaliter confeſſarius, non interroga
do quoties credit, & probabiliter animaduc
tit, confitentem aliquid neceſſariò confite
dum, taciturum, vt in d. §.diligens. Nauar.d

cet & alij alibi. Quando autem bona fide putat, nihil omissum à pœnitente, vtpote quia est puræ conscientiæ, discretus, sæpius solitus confiteri, non tenetur interrogare, imò aliquando imprudentiæ est, pœnitentem nimijs interrogationibus molestare. In hac re opus est discretione, ne quid nimis fiat. Debet autem Confessarius, cum patientia, sine vllo signo perturbationis, aut horroris, etiamsi pœnitens grauissima peccata confiteatur permittere, vt sua peccata vel ordine, vel confusè prius confiteatur antequam interroget, nisi fortasse breuiter, in discursu alicuius admonendus sit, propter obliuionem. Tria autem obseruanda à Confessario in interrogando.

Primùm, Vt interroget de peccatis, eorumque circumstantijs necessarijs, & non de fabulis, seu alijs impertinentibus, ex curiositate.

Secundum, Vt fiat interrogatio nisi de peccatis consuetis, & eis quæ communiter committuntur, & cognoscuntur à pœnitentibus. Quia quærendo non consueta ex proposito, nisi pœnitens det causam interrogandi, sæpè nocet confitenti, dum fortasse discit mala, quæ nescit. In genere autem & è longinquo, & quasi præter intentionem, quando prudentia dictat, inconsueta sunt inquirenda.

Tertium, vt interrogando circa peccata luxuriæ & carnalia, nō nimis ad particulares circum-

cumſtantias deſcendat, ne confeſſarius &
& pœnitentem in tentationem ducat. Q
ſecundum Ariſtotelis doctrinam in 3. Et
Delectabilia quanto magis conſiderant
tanto magis mouent. De interrogationib
vide Angelum in ſumma verb. interroga
nes in confeſſione, & Caiet. & P. Ioannem
lancum Theologum Societatis Ieſu, in c.
rectorij, & latius in appendice eiuſdem lib

Secundo. Requiritur prudentia in confe
rio, ad interrogandum & inquirendum de
quæ neceſſaria ſunt ad diſcernendum mo
lia à venialibus.

Tertio. Ad inducendum pœnitentem
contritionem, & dolorem, ne fallatur iux
lud Apoſtoli 1. ad Timoth. 5. Ne citò m
impoſueris, hoc eſt enim communicare
catis alienis, & viuificare animas, quæ
viuunt.

Quarto. Ad imponendum conuenien
ſatisfactionem, & ad ſalutaria remedia c
tra peccata.

De Bonitate Confeſſarij.

BONITAS confeſſarij tanta eſſe debe
ſit, vel probabiliter putet ſe eſſe extra
tum peccati mortalis, aliàs mortaliter pec
quia ſacramentum in mortali miniſtrat, v
ctum de ſacramentis in communi. Quia i
regulam communem, omnis qui recipit,
ad

administrat sacramentum in mortali, mortaliter peccat, 1.q.1.cap. per Esaiam. & cap. illud 95. dist. valet tamen sacramentum in mortali administratum, vt plenius supra. De bonitate Confessarij, vide Caietan. in summa verb. Cõfessor. Auream Armillam eod. verb. Nauarr. de pœnit. d.6.cap.1.§.Sacerdos, & in manuali cap.4. num.15.

CAPVT XIII.

DE SATISFACTIONE TERtia parte pœnitentiæ.

DE hac lege Nauarr. in Manuali cap. 3. & de pœnit. d.3. cap. Satisfactio. Dominicum Sotum in 4. d. 19. cum Magistro & alijs Doctoribus. Petrum à Soto de instit. sacerdotum in tract. de sacramento pœnitentiæ. Ioan. Medinam in C. de pœnit. tract. 3. Andream Vegam de iustificatione lib. 13. à c. 36. & Summistas in verb. Satisfactio.

Satisfactio, est quædam recompensatio, pro iniuria Deo facta, cum proposito amplius eum non offendendi.

Satisfactio in primis est duplex, vna, quæ voluntariè à quolibet pœnitente potest assumi, qua proprio arbitrio, iuxta admonitionẽ sacrarum literarum, vult dignos pœnitentiæ *Satisfactio duplex.*

fructus facere. Alia, est sacramentalis, quam minister Christi, ex potestate clauium in foro conscientiæ pœnitenti iniungit, pro qualitate peccatorum, & dispositione ipsius. Hæc satisfactio cùm trahat suum fructum, & effectum à sacramento, quod ex opere operato operatur, multò præstantior priori est, quæ tantùm à virtute pœnitentiæ procedit. Ad hæc sacramentalis, si impleatur in peccato mortali non uiuiscit, & suum effectum consequitur, remota fictione, vt Theologi loquuntur, quod celebres Doctores, contra aliquorum Theologorum sententiam tenent: Sic Caietan. tom. tract. 6. quæst. 2. Nauarr. de pœnit. d. 6. cap. 1. princ. num. 48. Petrus à Soto lect. 2. de satisfactione, prope finem, Franciscus à Victoria de sacramentis in tract. de satisfactione, num. 201. Quod nequaquam competit illi, quæ non imponitur in sacramento.

An dimisso peccato, quo ad culpam, maneat aliqua pœna, pro qua satisfaciendum sit in hac vita, vel purgatorio?

NEGAT Lutherus cum suis, vt est videre apud Episcopum, & martyrem Ioannem Roffensem in art. 5. Quo fundamento falso posito, destruit satisfactionem, purgatorium & indulgentias.

Conclusio Catholica est. Non semper dimissa culpa remittitur tota pœna, etiam in sacra-

cramento pœnitentiæ. Dictum in conclusione non semper: quia non est negandum, posse aliquando tam magnam esse contritionem, vt cum culpa tota pœna remittatur, vt constat de Latrone in cruce, Maria Magdalena & alijs. Conclusio dicta, est Conc. Trident. sess. 14. cap. 7. & can. 12. & in sess. 6. cap. 14. Hæc Conclusio probatur testimonijs sacrarum literarum. 2. Reg. 12. à Dauide Dominus transtulit peccatum, vt patet ex dicto Nathan ad eum, tamen pœna non dimittebatur, nam subiungit. Verum tamen filius tuus morietur, & Num. 10. & 14. Moysi & Aaron peccatum diffidentiæ dimissum esse legitur, sed in pœnam, non poterant ingredi terram promissionis, quam desiderabant. Idem confirmatur exemplo Niniuitarum, & aliorum, qui in cinere & cilicio pœnitentiam egerunt, vt passim in libris veteris testamenti videre licet, quorum exercitium, commendat Dominus in Euangelio. Matth. 11. Væ tibi Bethsaida, Væ tibi Chorozaim, quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in te olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent. Apocalyp. 2. Memor esto, vnde excideris, age pœnitentiam, & prima opera fac. 2. Corinth. 7. Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, & in Euangelio, pœnitentiam agite: & facite fructus dignos pœnitentiæ. In sacramento ergo *Matth. 5. & 4. Luc. 3.*

pœnitentiæ, virtute absolutionis culpa peccati dimittitur, & pœna infinita & perpetua, in finitam & temporalem mutatur, vt communiter Doctores sentiunt. Hæc pro veritate sufficiant, qui voluerit legere latam probationem, tam ex scripturis, quàm patribus contra hæreticos, videat Andr. Vegam loc. cit. Cardinalem Hosium latissimè in confessione Catholicæ fidei capit. 48. Catechismum magni acerrimi defensoris fidei in Germania, P. Petri Canisij Theologi Societatis Iesu, in tract. de Satisfactione. Dominicum Sotum lib. 3. de natura & gratia cap. 6. Bellarmin. tomo 2. lib. 4. de pœnitentia, & alios alibi. Omnis autem nostra satisfactio suam virtutem trahit à satisfactione Christi, cuius meritis & gratiæ innititur. Quare nostra satisfactio beneficium redemptionis nõ obscurat, vt aduersarij calumniantur, sed magis commẽdat & illustrius reddit, pretium enim sanguinis Saluatoris infinitum fuit, & copiosissimum pro satisfactione omnium quantum ad sufficientiã, non quantum ad efficaciam: quod Christus voluit nobis applicari per sacramenta & opera nostra quibus gratiæ in cruce partæ cooperamur. De his longius Doctores controuersiarum.

De operibus satisfactorijs.

OMNIA opera satisfactoria ad tria reducuntur. Ieiunium, Orationem, & Eleemo-

mosynam. Ad ieiunium omnia, quæ carnem affligunt, vt vigiliæ, peregrinationes, flagellationes, &c. Ad orationem opera misericordiæ spiritualia, & ad Eleemosynam corporalia.

Sunt etiam flagella, & calamitates à Deo immissæ, patienter toleratæ satisfactoriæ pro peccatis, vt docet Concil. Trident. loc. cit. cap. 9. & can. 13. Idem dicendum de alijs malis, quę secundum generalem concursum, ex naturalibus causis oriuntur: Hæc tamen cum non tam actualibus peccatis, quàm originali respondeant, & sint quasi naturalia, secundum quantitatem patiētiæ sunt satisfactoria: Quare quidam podagra laborantes, si cum magna patientia dolores perferant ęquo animo, satisfaciunt pro peccatis: Si autem vt nonnulli facere solent, ex impatientia iurent, execrentur, & mala, tam sibi quàm alijs imprecentur, pœnas maiores merentur, vel in purgatorio, vel in inferno soluēdas. Ex dictis colligitur quod flagella à Deo inflicta, magis sunt satisfactoria, quàm huiusmodi naturalia mala, vt rectè Dominicus Sot. in 4. d. 19. q. 2. art. 2. tradit. Patientiæ etiam sunt admonendi, qui extremo afficiuntur supplicio ordine iuris, quia si huiusmodi mors cum patientia, & bono animo acceptetur, mirum in modum est satisfactoria: Si verò iniquo animo, & per impatientiam homo resileat, meram rationem vindictæ, & non satisfactionis habet. Imò Petrus

à Soto de instit. Sacerdotum de satisfactio
sacramentali sect. 2. ex S. Thom. in 4. senten
d. 15. quæst. 1. adfert, per mortem violentam
omni pœnæ satisfieri, nec maiori purgation
egere etiam grauissimum peccatorem: Quo
memorabile dictum, non tamen ab omnibu
tanquam verum recipitur.

Qualia debeant esse opera satisfactoria?

QVAMVIS optimum consilium sit, vt
pera satisfactoria sint pœnalia, tam
id ad satisfactionem non necessariò requi
tur: prima pars constat, ex communi omn
um sententia, quia satisfactio imponitur
corrigendum culpam, quæ non corrigi
nisi per pœnam. Quare quo magis operal
tisfactoria sunt pœnalia, eo magis satisfac
unt pro peccatis. Secunda pars etiam ma
festa est, quia ditissimus & liberalissimus p
test satisfacere per eleemosynam, & tempe
tissimus per ieiunium: & tamen neuter e
rum sentit ex talibus actibus pœnam, aut
stitiam. Satis enim est ad satisfactionem,
sit priuatio alicuius boni vtilis, aut delectab
lis. His etiam adiungimus, quod quamuis
gulariter, satisfactio fieri debeat opere aliàs
debito, tamen consideratis rerum circumst
tijs, possunt etiam imponi opera aliàs debit
quia vnico actu, duplici obligationi possun
satisfacere: Sic in quadragesima alicui raròi
iunanti secundũ pręceptum, posset pro pœn
tentia imponi ieiunium aliquorum dierum,

Quis modus seruandus in imponenda satisfactione siue pœnitentia?

DE hac materia vide Nauarr. in Manuali confessariorum cap. 26. à num. 15. & in commentario de Iubilæo & Indulg. notab. 32. in Extrauag, Gregorij 13. num. 20.

In hac re plus valet prudentia confessarij, quàm certa regula. Attendenda tamen, in hoc negotio dispositio Conc. Trident. sess. 14. ca. 8. & seruanda, vt Sacerdotes Domini, quantum Spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & conuenientes satisfactiones iniungãt, ne si fortè peccatis conniueant, & indulgentius, cum pœnitentibus agant, leuissima quædã opera, pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Sit autem satisfactio quę imponitur, non tantum ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam in præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.

In impositione pœnitentiæ ergo videndum, vt non æqualis, & eadem omnibus satisfactio imponatur, hoc enim iniquum esset, quia iuxta magnitudinem delicti debet esse quantitas pœnæ, cum in Deuter. 25. scriptũ sit. Secundum mensuram delicti debet esse plagarum modus, proinde sequentia benè considerentur. Magnitudo & paruitas peccatorum, Contritio & qualitas pœnitentis,

an debilis vel fortis, iuuenis vel ſenex, an bẽ vel malè affectus ad pœnitentiam, an ver militer eam ſit impleturus, & his conſider faciat, quod prudentia dictat. Quia ſi im neret Eleemoſynam pauperi, aut ieiunium qui perpetuis inſiſtere debet laboribus, à tione alienum foret. Aduertendæ etiam ſp cies peccatorum, quia peccata carnalia alia requirunt pœnitẽtiam, quàm ſpiritualia: Si gulis enim morbis conuenientia ſunt adh benda remedia. Inſinuandum eſt etiam pœ nitenti, iuſtam pœnitentiam peccatis condig nam, ſoli Deo eſſe cognitam, & antiquitus ho mines Deum timentes, & propriæ ſaluti con ſulentes, ad vitandum grauiſſimas pœnas a terius vitæ, pro maiori peccato mortali ſep annorum pœnitẽtiam feciſſe, vide apud Gra tianum in 33. quæſt. 2. cap. Hoc ipſum. & 1 quæſt. 1. cap. prædicandum. Gloſſ. ibid. & Na uarr. loc. cit. & in Concil. Nicæno legitu quod ſi quis metu perſecutionis coactus, fi negaſſet, decem annis pœnitere debebat. Hu iuſmodi tamen canones pœnitentiales, no ſunt amplius in vſu, ſalutare tamen eſt, vt pœ nitentes admoneantur, & quantum fieri po teſt, ad eos reuocentur.

An pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam?

QVANDO pœnitentia eſt neceſſaria ad exeundum à ſtatu peccati, & ad cauendo

pec

peccata futura, pœnitens tenetur eam acceptare: etsi renuat non est absoluendus, quia nõ est sufficienter contritus. Idem etiam probatur, quia de ratione huius iudicij est, ligare & absoluere, ergo sicut confessarius absoluit à peccatis, & perpetua pœna, sic potest ligare ad temporalem. Eadem est ratio, quando pœnitentia moderata imponitur, pro peccatis præteritis in satisfactionem: Quamuis si quis omnino vellet, pœnam reseruare in purgatorio persoluendam, suo iudicio relinquendus esset. Si quis ergo pœnitentiam impositam & acceptam pro mortalibus, sine iusta causa non implet, mortaliter delinquit, vt tradunt Scotus in 4. d. 18. & 19. Paludanus d. 20. quæst. 2. Gabriel. d. 16. quæst. 2. dubio 1. Sylvest. in verb. Confessio 1. numero 25. & 29. Sotus in 4. d. 20. quæst. 2. art. 2. Nauarrus in manuali confessariorum. c. 21. num. 43. & alij communiter, non tamen ideo, vt supra diximus tota confessio reiteranda, sed satis est, vt in sequenti confessione culpam confiteatur. His addo, cũ Nauarr. in Manuali cap. d. num. 22. & alibi, ꝙ pœnitentia iniuncta, & acceptata mutari, & diminui potest ex iusta causa, vt si bona fide pœnitens præsumat, se non posse adimplere, aut non sine periculo salutis animę, vel corporis, aut præiudicio tertiæ personæ, & hoc etiã alius confessarius facere potest, quando aut

non est, aut non ita facilis aditus ad Confe-
sarium, qui eam imposuit.

Quid remedij, si pœnitens pœnitentiæ obliuiscatur?

DVo restant remedia. *Primum*, vt suo, Confessarij iudicio tantam agat pœ-
tentiam, quantam probabiliter existimat, i-
positam fuisse pro peccatis præteritis. *Se-
dum*, vt seruet pœnam in alia vita soluend
in purgatorio, vel inferno: vel in hac vita
piet operibus satisfactorijs & indulgentijs
firmis in articulo mortis, quando tanta est
firmitas, vt eam implere non possint, nulla
imponenda pœnitentia, vel tam parua, vt e
statim possint facere, & reliqua eis significa-
da, vt impleant, si conualuerint.

Pœnitentia secundum melius consilium
imponenda est ante absolutionem, vt se
Glossa in Clemen. dudum. §. statuimus. v
Audire. de sepult. quod tamen non est de
cessitate, quia quæ post imponitur, etiã v
Quæ enim in continẽti fiunt inesse videm

Tandem admonendi sunt tam confes
quam pœnitentes hîc, vt ex ignorantia n
credant, propter pœnitentiam & pœnam
positam à Confessario, aliquem liberari à
stitutione alieni, de qua Aug. Non condo
tur peccatum, nisi restituatur ablatum, q
alia est satisfactio, per quam Deo pro pecc
satisfacimus, alia restitutionis obligatio, q

proximo reddit, quod suum est, vt latius suo loco patebit.

An vnus pro alio possit satisfacere?

VIDE Sotum in 4. d. 19. q. 2. art. 4. & Scholasticos in d. 20. Iosephum Angles in 4. part. 1 de satisfactione. 3. difficult.

Prima Conclusio. De fide est, quod vnus pro alio potest satisfacere, probatur ex symbolo fidei, in quo confitemur communionem sanctorum, & ad Galat. 6. Alter alterius onera portate, & vnus viuus pro defuncto in purgatorio satisfacere potest, &c. Hæc tamen Conclusio intelligenda de satisfactione offensæ commissæ.

Secunda Conclusio. Vt aliena satisfactio prosit, oportet vtrumque, satisfacientem scilicet, & illum pro quo fit satisfactio, in charitate, & gratia existere. Quia satisfactio debet fieri per opus Deo gratum, & acceptari pro alio ratione beneuolentiæ diuinæ, quæ non est in peccatore. Adhæc, satisfactio vnius pro alio à Deo admittitur, quatenus ambo sunt viua membra corporis Christi, per gratiam & charitatem.

Tertia Conclusio. Quando pœnitentia imponitur, in remedium pro peccato futuro & in medicinam, tunc vnus pro alio satisfacere non potest. Quia medicina non est opus nisi

malè

malè habentibus, & non prodest nisi ei cui a
plicatur, præterea pœnitentia iniuncta, esto
ligatio personalis, quæ pro delicto imponit
Ideò dicitur in cap. Omnis vtriusque se
pœnitentiam proprijs viribus studeat adi
plere.

Quarta Conclusio. Potest etiam vnus in c
ritate existens, pro alio per opera supererog
tionis, applicando illi sua opera satisfacto
Deo satisfacere. Sic solent religiosi, alijs
opera applicare in satisfactionē: Quia qu
libet opus in charitate factum, non solum
meritorium, sed etiam satisfactorium, vt
tholica fides tenet, & cap. sequenti plenius
tebit, & vt satisfactoriū potest alteri applic

CAPVT XIV.

DE INDVLGENTIIS.

QVONIAM indulgentiæ materia satis
ctioni affinis est, & non raro necess
exigit, vtpote quando Iubilæum ex præscri
to Pontificis publicandum, & populo pr
ponendum, vt populus indulgentiarum v
& vtilitate instruendus sit, indulgentiaru
materiam necessariam paucis perstringim
De qua contra hæreticos legendi Hosius l
cit. Episcopus Roffensis in art. 17. 18. 19. &
co

contra Lutherum, Alphonsus à Castro de hæresibus, verb. Indulgentiæ: Dominicus Sot. in 4. d. 21. Ioan. à Turrecremata de pœnit. d. 41. cap. Quis aliquando. §. In Leuitico, Felinus Sandæus Ferrariens. in sermone de indulgentijs incipiente, hodie mecum eris in paradiso, & latè Ludouicus Bologninus in tract. de Indulgent. horum duorum tractatus habentur in 5. volum. Oceani Iuris. Omnium latissimè materiam indulgentiarum tractat Nauarr. in commentario de Iubilæo & indulgentijs.

Quid est Indulgentia?

EST remissio pœnæ temporalis, debitę pro peccato actuali iam dimisso, extra sacramentalem absolutionem facta, aut concessa à prælato Ecclesiæ ob rationabilem causam de thesauro Ecclesiæ.

Quid nomine Iubilæi intelligitur, quando iudulgentiæ in forma Iubilæi conceditur?

IVBILÆVS annus in antiquo testamento solemnis erat, vt patet ex Leuit. 25. & 27. & Num. penult. cap. & alibi. Hic annus celebrabatur semper anno Quinquagesimo, qui sanctificatus erat. Illo enim anno serui libertate donabantur, debita relaxabantur, prædia diuendita ad antiquos possessores reuertebantur, exules in patriam, & pristinam libertatem redibant, vt ex Leuit. colligere licet. Hinc Iubilæus

bilæus annus in Christi Ecclesiam secundu
similitudinem aliquam translatus : quem
modum enim in illo antiquo debita tem
ralia, ita in nostro spiritualia condonantur
illo etiam libertas temporalis, in nostro sp
tualis restituitur, in illo possessiones terr
alienatæ recuperabantur, in nostro virtut
merita per peccata deperdita restaurantur
illo exules in patriam redibant, in nostro
les à patria cœlesti, ad eandem reducuntur
illo etiam secũdum aliquos in carcerem c
iecti soluebantur. In nostro ligati vinculis
funibus peccatorum relaxantur, & soluun
Quare quando maximæ indulgentiæ in
clesia conceduntur, id fit in forma Iubilæ

An in Ecclesia sit potestas concedendi indulgentias?

CERTA fide tenendum est, in Ecc
esse potestatem concedendi indulge
as, vt patet ex Concilio Lateranen. sub
nocentio III. cap. Cùm ex eo de pœnitent
remiss. & ex Extrauag, eodem tit. & ex C
cil. Constantien. contrá Ioan. Wicleff.
Triden. sess. 21. cap. 9. & sess. 25. in decret
indulgentijs. Cùm ergo Ecclesia sit, colum
& firmamentum veritatis, impium est du
tare de hac materia. Spectat potestas con
dendi indulgentias, ad potestatem claui
quas Christus in Ecclesia reliquit Matth. 16

Ioan. 20. Deinde indulgentiarum vsus est antiquissimus, vt clarum est ex Concil. & Extrauag. cit. ex quibus colligitur ante 300. & 400. annos fuisse indulgentiarum vsum. Imò Gregorius magnus, & Primus anno 619. stationes, & cæremonias, ad quærendas indulgentias Romæ statuit, vt tradit S. Thom. in 4. d. 20. quæst. 1. art. 3. De antiquitate indulgentiarum legen. Roffen. loc. cit. Nauarr. vbi supra notab. 7. Sotus quæst. 1. art. 3.

Qui anni Iubilæi fuerunt promulgatores?

PRIMVS qui literis mandauit hunc annũ singulis centum annis celebrari, fuit Bonifacius VIII. circa annum Domini 1300. vt apertum est ex Extrauag. 1. de pœnitent. & remiss. Deinde Clemens VI. statuit, vt singulis 50. annis celebraretur, per Extrauag. Vnigenitus eodem tit. Tandem Paulus II. ad breuius tempus, nempe ad 25. annum Iubilæum reduxit, qui nunc adhuc celebratur, & celebratus postremò Anno 1575. sub fœlicissimo Pontificatu Gregorij XIII. vt patet ex eius Extrauag. quæ incipit Dominus ac redemptor noster, quam eruditè exponit Nauarr. loc. cit. à notab. 32.

Quid est Thesaurus indulgentiarum, & vnde originem trahit?

PRO fundamento huius materiæ præsup-

ponen-

ponendum id, quod egregiè Roffen. in art.
probat, opus in charitate factum, non solu
esse meritorium vitæ æternæ, sed etiam sa
factorium pro pœna. Exodi 32. Moyses su
ratione sibi præmium acquisiuit; & pop
pœnæ remissionem impetrauit; & Leui
Sacerdos orans sibi meruit, & populo po
condonationem obtinuit. Deinde Salu
noster sibi meruit, cum scriptum sit. Pro
quod Deus exaltauit illum, & dedit illi no
quod est super omne nomen; & tamen
nobis satisfecit. Esai. 53. Verè languores
stros ipse tulit, & propter iniquitates no
vulneratus est, &c. legitur etiam de S. An
Apostolo, quod pro presbytero, qui toto
suæ cursu priori, scortis deditus fuit, non
us cessauit orare, ieiunijs, & lachrymis se
gere, quam diuinitus intellexisset condo
sibi peccata. Constat etiam, quia opus est
ritorium quatenus est bonum, charitate
formatum, & meretur præmium: Satisfa
rium, prout pœnale, & pœnam infert oper
ti. Quatenus ergo opus est meritorium de
digno, cum non excedat personam operan
alteri non applicatur, at prout est satisfac
rium, potest vnus pro alio satisfacere, vt co
stat ex dictis. Quisquis autem ista secernere
nequeat, vel nolit, aut ingenij certè crassi
in causa est, aut peruersa malignitas, vt ait R
fens. in d. art. 17. Cum sæpè videamus ap
p

Ad Philip. 2.

principes ſeculares, quorum tamen haud infinita benignitas eſt, vt quiſpiam intercedens pro alterius offenſa, nõ ſolum illam obtineat, verum etiam ampliorem gratiam plerumque ſibi conciliet.

Chriſti ergo Satisfactio infinita fuit, & multæ ſanctorum ſuperabundantes, vtpote qui non omnino peccauerunt, vel peccauerunt non ita grauiter, ſed multum ſatisfecerunt. Sic Iob. 6. vtinam appenderentur peccata mea in ſtatera, & calamitas quam patior, quaſi arena maris multo grauior appareret. Ex quibus verbis conſtat, maiores pœnas fuiſſe paſſum Iob, quàm eius peccata merebantur: ſic S. Paulus ad Coloſſ. 1. Quæ deſunt paſſionum Chriſti, adimpleo in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia, ſic quoque B. Virgo paſſa eſt multa in hoc ſeculo, nullius tamen culpæ rea extitit, ſic Hieremias, Ioannes Baptiſta, Martyres, Confeſſores, Monachi, Eremitæ, atque virgines, multa bona opera præſtiterũt: quæ in abundantia, ſatisfactoria extiterunt, nec remunerata ſunt quo ad ſatisfactionem, quamuis quantum ad meritum, præmium retulerint. Sit nunc Concluſio.

Prima. Theſaurus indulgentiarum conſtat, ex ſuperabundantia meritorum Chriſti, & aliorum ſanctorum, probatur ex Extrauag. Vnigenitus, de pœnit, & remiſſ. & communi conſenſu totius Eccleſiæ.

Secunda conclusio. Ecclesiæ thesaurus non conflatur ex operibus sanctorum, quatenus sunt gratiæ & gloriæ meritoria, sed vt sunt satisfactoria. Quia indulgentiæ non dantur gratiæ & meriti augmentum, sed ad pœnæ remissionem. Quando ergo indulgentiæ concedunturur, Pontifex applicat opera satisfactoria Christi & sanctorum, in satisfactione pro alienis peccatis. Ex dictis infertur quod indulgentia sit condonatio, & solutio in ordine ad diuersa: Respectu recipientium est condonatio. In ordine autem ad Christum & Ecclesiam solutio.

Quis potest conferre indulgentias?

SVMMVS Pontifex, Concilium, Archiepiscopus, Episcopus, & alij prælati. Pontifex autem habet vniuersalem in Ecclesia potestatem. Episcopus & alij infra suos limites ad terminum præfixum tantum conferunt. communis est sententia Doctorum cum text. cap. Quod autem. & cap. Nostro. de pœnit. & remiss. & ex Extrauag. Vnigenitus.

De valore indulgentiarum.

ANTE omnia præsupponendum, vinculo indulgentiarum neminem consequi remissionem culpæ, quia indulgentiæ, presupponunt culpam dimissam in sacramento pœnitentiæ, cum secundum iura, non concedantur nisi contritis & confessis. Quando autem di-

dicitur in indulgentijs, à culpa & pœna, significatur consequenti indulgentias, remissionem peccatorum quantum ad culpam & pœnam dari, diuersis tamen respectibus: Quia culpæ remissionem obtinebit, virtute contritionis & confessionis: Pœnæ autem, virtute indulgentiarum.

Deinde quando indulgētiæ conceduntur, inspiciendus tenor Bullarum & literarum, vt nihil eorum omittatur, quæ de necessitate, & præscripto concedentis facienda sunt, quia commune pronunciatum apud Doctores est. Quod indulgentiæ tantum valent, quantum sonant: quod verum est, quando causa sufficiens est, & dispositio necessaria in recipiente.

Prima Conclusio. Indulgentiæ tantum pœnæ temporalis relaxant, quantum fuit expressè per illas concessum: constat ex Extrauag. Vnigenitus, vbi definitur, Pontificem posse virtute thesauri Ecclesiæ, aut æqualem aut partialem pœnam temporalem, pro peccatis luendam relaxare.

Secunda Conclusio. Quando in Bulla, aut literis dicitur, concedimus indulgentiam 20. annorum aut dierum de pœnitentijs iniunctis, tantum intelligitur de iniunctis. Quia indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.

Tertia Conclusio. Quando informa, aut Bulla indulgentiæ, non ponitur clausula restringens, ad iniunctas pœnitentias, indulgentiæ

intelliguntur, tam de iniunctis quàm iniungendis, & de pœnis purgatorij illis correspondentibus: S. Thom. in d. 20. Sot. in d. 21. quæ. 2. art. 1. Nauarr. loc. cit. notab. 11. num. 12. & alibi. probatur. Pontifex potest extra sacramentum, illas pœnas etiam remittere, quæ non sunt in pœnitentia impositæ; ergo in indulgentijs nulla fiat moderatio, indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.

Quarta Conclusio. Concedere indulgentiam vnius diei, vel vnius anni, est remittere tantam pœnam purgatorij, quanta remitteretur, per pœnitentiam vno die, vel anno factam, Innocent. in cap. Quod autem de pœnit. & rem. & alij ibidem. Palud. & Maior cum alijs in d. 20. Adrian. de indulg. in 4. Nauarr. vbi supra num. 8.

Quinta Conclusio. Adimplens partem eius quod pro indulgentia quærenda imponitur & faciendum est, & non totum; neque totum neque partem indulgentiæ quærit, secundum S. Antonin. 1. part. tit. 10. cap. 3. §. 4. & Nauarr. not. d. num. 2. Quia neque relictum, neque pars relicti, sub conditione quæritur, nisi totum impleta etiamsi pars impleatur, l. cui fundus ff. de condit. & demonstrat.

De causa indulgentiarum.

CVM in d. Extranag. Vnigenitus, determinetur Christum commisisse thesau-

indulgentiarum dispensandum per Petrum, & eius successores, proprijs & rationabilibus de de causis: videndum de causis rationabilibus.

Prima Conclusio. Ad indulgentias concedendas requiritur iusta & rationabilis causa, ex d. Extrauag. & communi sententia: Quia Dominus constituit Pontificem tanquam fidelem dispensatorem huius thesauri. Fidelis autem dispensator sine causa non distribuit, aliàs non dispensaret, sed dissiparet, ex quo fonte in cap. Cum ex eo de pœnit. & remissionibus, indulgëtiæ indiscretæ damnantur: hinc indulgentia sine vlla causa concessa, est nulla.

Secunda conclusio. Ad indulgentias requiritur, vt causa sit sufficiens, & non vt æquiualens, Adrian. loc. citat. Sotus artic. 2. loc. cit. Nauarr. notab. 15. num. 8. Quia si causa requireretur æquiualens, non esset remissio, aut absolutio indulgentia, sed verè commutatio, quare nihil faceret auctoritas conferentis:

Tertia Conclusio. Sufficiens & rationabilis causa indulgentiarum, est commensuranda quantitati earum, ita vt maior indulgentia, maiori causa indigeat. capit. Ex ea de pœnitēt. & remission. & in Extrauag. Vnigenitus.

Quarta Conclusio. Indulgentiæ debent conferri in vtilitatem & bonum commune Ecclesiæ. Quia cum indulgentiarum thesaurus sit communis Ecclesiæ, nō debet nisi in eius vtilitatem, & bonum expendi, vt communiter

Doctores sentiunt. Quare indulgentiæ con-
ceduntur, aut in fauorem fidei, aut ad conse-
uationem religionis, aut ad conuersionem in-
fidelium, aut in publicos & pios vsus.

Quinta Conclusio. Quando causa indulge-
tiarum non est omnino, sed ex parte tantu
sufficiens, indulgentiæ valebunt secundu
proportionem causæ, & non quo ad illa
partem, quæ causam excedit. Felin. in d. c.
mon. de indulgent. Gabriel. super can. mi
lect. 57. Caietan. in tractat. de indulgent. c.
8. Nauarr. loc. citat. numer. 3. & alij alibi. Re
esse potest. Quia indulgentia concessa sine
la causa, tota nulla est, ergo quæ conceditur
causam non sufficientem ex toto, sed ex pa
nulla erit quo ad partem, quæ causam exce
Quoniam sicut se habet totum ad totum,
pars ad partem. Hinc infertur indulgen
minima de causa concessas, non tantum va
re, quantum sonant, quia causa nõ comm
suratur quantitati indulgentiarum. Dei
sequitur, semper esse vtile quærere indulg
tias, cum semper valeant secundum prop
tionem causæ.

*De dispositione requisita in eis, qui indulgen-
tias lucrifacere volunt.*

PRIMA *Conclusio.* Qui consequi vult i
dulgentiam concessam, debet pœnite
confiteri, & subire omnia opera, quæ ad e
q

quærendam imponuntur in Bulla, aut literis, constat ex superioribus & communi sententia.

Secunda Conclusio. Eo tempore, quo quis percipere debet indulgentias, necesse est, vt sit in gratia. Quia membrum mortuum nullum suscipit viuentis corporis influxum. Qui autem in peccato mortali existit, membrum mortuũ est. Nullum ergo influxum meritorum Christi, & sanctorum per indulgentias recipit. Deinde semper in bullis additur, verè pœnitentibus, & confessis.

Tertia Conclusio. Quando idem est tempus operis, & acquisitionis indulgentiæ, tunc necessarium est, vt opus fiat in gratia. Est Caietan. in tract. de indulgent. cap. 9. Soti loc. cit. artic. 3. Nauarr. in Notab. 19. & aliorum alibi, & probatur: homo debet esse in gratia quãdo consequitur indulgentias, ergo & quando opus impositum facit, quia huiusmodi opus est proximum, & quasi intrinsecum acquisitioni indulgentiæ. Sic quando in festo Paschæ, indulgentia conceditur interessentibus solemni benedictioni Pontificis apud S. Petrum, quicunque eam capere volunt, quando benedictionem capiunt, in gratia esse debent.

Quarta Conclusio. Etsi optimum sit, vt homo semper sit in gratia, quando facit opera requisita ad indulgentiam consequendam,

non est tamen necessarium, vt omnia impl
antur in statu gratiæ, modo singulæ actio
sint moraliter bonæ, & vltima earum pars, q
proxima est acquisitioni indulgentiæ fiat
gratia Nauarr. loc. cit. num. 19. S. Antonin
part. tit. 10. cap. 3. §. 5. Felin. in d. serm. Sylu
in verb. indulgentia. quęst. 10. Sotus & alij
bi, est contra Caietan. Hinc quando in ind
gentia dicitur. Qui diebus Mercurij, Vene
& Sabathi ieiunauerit, Ecclesiam S. Matth
Visitauerit, confessus fuerit, & Dominica
quenti communicauerit, & pro tali necess
te Ecclesiæ orauerit, consequetur, plenari
indulgentiam, si die Dominico in gratia fu
rit, quando est tempus acquisitionis, rec
indulgentias, etiamsi fuerit extra statum g
tiæ, quando ieiunauit. Dictum in conclus
ne, modo singulæ actiones, quibus indulge
tiæ quærendæ, sint mortaliter bonæ: quia
ctionibus mortaliter malis, secundum co
munem sententiam nemo indulgentias a
quirit.

Quinta Conclusio. Illi, qui parum aut nil
curat operibus pœnalibus satisfacere, & po
nam purgatorij redimere, nihil prosunt i
dulgentiæ, Caietan. & Iosephus Angles de i
dulg. Quia qui sibi non fert opem cum poss
auxilio & ope amicorum est indignus. Ad h
ex ærario publico non debet succuri eis, q
cum possint de suo æs alienum soluere, n

lunt, quoniam per id daretur materia negligentiæ & delicti: cap. Ex parte, de consuet. & l. conueniri. ff. de pact. dot. Ergo ex thesauro Ecclesiæ, qui ærarium publicum est, non debet solui pro negligentibus. Persuadendum ergo omnibus Christianis, vt faciant fructus dignos pœnitentiæ, exerceant se in operibus bonis, & his studeant satisfacere pro peccatis, & quando occasio se offert indulgentias acquirere laborent.

Dubium. *An indulgentiæ possint concedi animabus in purgatorio existentibus.*

DE hoc Dubio legendi Alexand. Halen. 4. par. q. 83. memb. 5. S. Bonau. in 4. send. d. 20. q. 5. S. Thom. in d. 45. q. 2. art. 3. Richard. in d. 20. art. 3. q. 3. Palud. ibidem. q. 4. artic. 3. Gabriel super canonem missæ lect. 57. in litera L. Caietan. Tom. 1. tract. 16. quæst. 5. & 6. Nauarr. in commentario de Iubilæo, notab. 22. & alij alibi.

Prima Conclusio. Pontifex potest animas in purgatorio iuuare indulgentijs. In primis constat hæc conclusio auctoritate omnium DD. citatorum. Deinde facto Pontificum, Paschasius Quintus dedit indulgentias plenarias per modum suffragij animæ in purgatorio pro qua quis celebrauerit, aut fecerit celebrare, quinque missas in capella Ecclesiæ sanctæ Praxedis Romæ, atque has indulgen-

tias successu temporis, alij Pontifices con-
marunt. Conseruatur enim in illa Ecclesia
lumna ad quam Saluator noster in domo
lati ligatus fuit & flagellatus: Similes in-
gentiæ sunt concessæ visitantibus Eccles
S. Laurentij extra muros, singulis quart
rijs totius anni. Et pares sunt concessæ
brantibus pro animabus, in quibusdam a
bus priuilegiatis apud S. Gregorium in
Secunda Conclusio. Romanus Pontifex
potest animabus purgatorij concedere in-
gentias per modum auctoritatis, siue iu-
riæ potestatis, directè eas absoluendo.
Calderinus in cap. Nostro de pœnitent.
mission. col. 20. Richard. loc. cit. Nauarr.
notab. num. 5. Gabriel in d. lect. Ioseph.
les in florib. 2. part. in 4. in q. de indulge
difficult. concl. 2. & alij alibi: Quia anima
gatorij sunt extra iurisdictionem Eccles
litantis, in quam Pontifex solum iudicia
absoluendi potestatem habet.

Tertia Conclusio. Pontifex concedit de
ctis in purgatorio indulgentias, per mo
suffragij. Hæc Conclusio est communis
citatorum & aliorum, & aperta est, ex
auctenticis Pontificum, in quibus sic con
serunt Ecclesijs prædictis, & alijs. Nom
suffragij intelligitur auxilium Ecclesiastic
quod per opera pia, vt satisfactoria sunt,
functis conceditur: Et indulgentiæ dicu

mortuis per modum suffragij concedi, quia cōceduntur, vt prosint eis eo modo, quo suffragium Ecclesiasticum satisfactorium prodest, scilicet satisfaciēdo pro debito eorum, & soluendo pœnas ab eis debitas, Christi & sanctorum satisfactionibus in Ecclesiæ thesauro reconditis; Et ideò vt rectè Gabriel ait, per modum suffragij, non tollit efficaciam indulgentiarum, ita quod opus illud pro quo dantur indulgentiæ factum pro animabus, non plus valeat animabus, ac si pro eis factum esset seclusis indulgentijs: Sic enim frustra darētur indulgentię pro animabus, & nihil amplius proficerēt, quā si suffragiū & opus ipsum eis applicatū fuisset in satisfactionem, ꝙ est contra Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ mentem. Quod ergo additur per modū suffragij, excludit modū iudiciariæ potestatis, secundū, Conclusionem in ordine secundam. Latius Gabriel, & Nauarrus explicant.

CAPVT XV.

DE SACRAMENTO EXtremæ vnctionis.

Quid est Sacramentum extremæ vnctionis?

EST vnctio olei consecrati, à presbytero facta,

facta, in certis partibus infirmi, sub certa v
borum forma. Dicitur autem extrema
ctio, quia datur in extremis agentibus, & p
alias vnctiones.

Quæ est materia?

OLEVM oliuarum ab Episcopo consec
tum. Concil. Trident. sess. 14. cap. 1. de
cramento extremæ vnctionis.

Quæ est forma?

HÆc, est Concil. Florent. Per istam
ctionem, & per suam pijssimam mis
cordiam, indulgeat tibi Deus, quicquid
visum deliquisti, quando oculi inungun
quando aures, dicendum per auditum, q
do nares, per odoratum, quando os, per
vitium, quando manus, per tactum, quan
pedes, per incessum, quando renes, per ar
rem libidinis. Sed de modo huius vnctio
habent pastores in suis agendis.

In quibus locis debet fieri vnctio?

DE necessitate in quinque: oculis, auri
manibus, naribus, & labijs; Secundu
consuetudinem aliquarum Ecclesiarum, e
in pedibus, & renibus: Mulieribus tamen p
pter honestatem renes non vnguntur. Si
tem quis careat dictis membris, vnctio facie
da in locis vicinis. Cauendus in administ
tio

tione huius ſacramenti error quorundam indoctorum, qui tempore peſtis exiſtimant ſufficere vnctionem fieri in vna, aut altera partibus: Cum tamen ſecundum veritatem neceſſarium ſit ad ſacramenti eſſentiam quinque dictas partes vngi.

Quibus hoc ſacramentum conferendum?

INFIRMIS adultis, laborantibus periculo mortis, quando probabiliter dubitatur de vita. Non reiteratur hoc ſacramentum vno eodemque durante morbo. Si autem infirmus ſemel vnctus conualeſcat, & iterum incidat, poteſt de nouo inungi. Vt communis DD. opinio tradit, Concilium Trident. ſeſſ. 14. capite 3. de ſacramento extremæ vnctionis determinat. Dubium autem eſſe poteſt. an ſit dandum etiã vulneratis ad mortem? Reſpondetur quod ſic, Ioſephus Angles in floribus de extrema vnctione, articulo 4. & poſt alios Cãdelabrum aureum: de ſacramento vnctionis. au. 22. & Concilium Mediolan. 4. part.

Qui ſunt effectus huius ſacramenti?

REMISSIO peccatorum, collatio gratiæ, confortatio animæ contra tentationes Dæmonis in illa hora maximè inſidiantis, facilior morbi, & mortis tolerantia, ac denique ſanitas corporalis, ſi id ſaluti animæ expediat. Iacob. 5. & Concil. Trid. loc. cit. cap. 2.

Quis

Quis minister huius sacramenti?

SACERDOS ritè & Catholicè ordinatus Iacob.5. Infirmatur quis ex vobis, inde presbyteros Ecclesiæ & orent super eum, guentes eum oleo in nomine Domini, Concil. Trident.cap.3.

An Extrema vnctio sit de necessitate salutis?

NON est de necessitate salutis: Si quis men ex contemptu, vel culpabili negentia, in articulo mortis non petat, sine pa graui non est. Quando sacerdos vocat infirmum animaduertit eum iam agon & proximum morti, non seruet ordinem nualis, siue agendæ circa solemnitatem & ces antecedentes vnctionem, sed statim à ma & vnctionibus incipiat, ne sine sacram to infirmus decedat, & deinde his præm suppleant solemnitatem omissam cum p bus sequentibus.

CAPVT XVI.

DE SACRAMENTO Ordinis.

Quid est Ordinis sacramentum?

EST, quo quibusdam verbis & rebus

ditur potestas spiritualis ordinato conficiendi Eucharistiæ sacramentum, vel administrandi in ordine ad id.

Quæ est materia?

EST illud, per cuius traditionem confertur ordo. Exempli gratia Presbyteratus, porrectio calicis cum vino, & patenæ cum pane, Diaconatus, liber Euangeliorum, Subdiaconatus, liber Epistolarum, & calix vacuus, &c. Ostiariatus, claues, Lectoratus, liber lectionum, Exorcistæ, libellus exorcismorum & adiurationum, Acolitatus, candelabrum cũ candela extincta, & vrceolus vacuus, &c.

Quæ forma?

SVNT verba Episcopi, per quæ exprimitur actus traditionis, & potestatis circa rẽ traditam. Debet autem contractus materiæ simul moraliter fieri, quando verba formæ proferuntur.

Quot sunt Ordines?

SEPTEM secundum Theologos, quorum quatuor minores, & non sacri, Ostiariatus, Lectoratus; Exorcistatus, & Acolitatus, ac tres maiores & sacri, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Qui per excellentiam & antonomasiam dicuntur maiores, quia impediunt matrimonium contrahendum,

dum, & dirimunt contractum, & habent tum castitatis solemne annexum, & pro accedunt, ad conficiendum sacramen Eucharistiæ: Hæc autem minoribus min conueniunt.

Prima tonsura non est ordo, sed dispo ad ordines. Episcopatus autē est gradus Sa dotij. Est enim Episcopus summus Saacerd

Dices, Sunt septem ordines, ergo sunt septem menta, & sic maior erit sacramento- rum numerus?

RESPONDEO. Licet septem sint ord tamen vnum efficiunt sacramētum, omnes referuntur ad vnum finem, scilic secrationem corporis Christi, & in sacerd consummantur.

Quæ sunt singulorum ordinum officia?

OSTIARII officium est, claues, te conseruare, ianuam custodire, exc re ab Ecclesia indignos, & dignos admitt

Lectoris, legere in Ecclesia veteris & testamenti libros, clarè & distinctè, & fid fidei Christianæ rudimenta proponere. E cistæ, exorcizare, & super catechumenos eos, qui habent spiritum immundum, no Domini inuocare, & adiurare, vt egred Spiritus immundus.

Acolyti, Diaconum & Subdiaconum

ministerio sequi, præparare ampullas vini & aquæ, & porrigere subdiacono, ferre cereos ante Sacerdotem, & eos seruare, quando Euangelium legitur. Subdiaconi, Diacono inseruire, sacra vasa, panē & vinum præparare, Sacerdoti subministrare aquā pro abluendis manibus. Et in missa Epistolam legere, quod propriè ad Subdiaconum pertinet. Diaconi, est ministrare in sacro Sacerdoti panem & vinum, Episcopum sequi, & concionantem custodire, Sacerdoti sacrificanti assistere, legere Euangelium, & prædicare verbum Dei ex commissione, sine solemnitate Sacerdote impedito.

Sacerdotis, est consecrare corpus & sanguinem Christi, absoluere à peccatis, pascere populum Dei, opere & doctrina.

De effectibus?

EFFECTVS sunt hi. Gratia, eiusq; augmentum, vt quis idoneus sit minister & Character, qui de necessitate præsupponit characterem Baptismi, non autem Confirmationis. Vnde si quis ordinaretur non baptizatus, ordo non teneret.

De ministro?

MINISTER ordinarius, est solus Episcopus. Possunt tamen minores conferre ex commissione, vel priuilegijs, Cardinales

non Episcopi, & multi Abbates suis subditis
Si autem Episcopus sine licentia, aut literis d
missorijs ordinet alterius subditum, ordo t
net, ordinatus tamen est suspensus.

DE SVSCIPIENTIBVS Ordines.

Quæ requiruntur in ordinandis, & qui prohibentur ordinari?

IN primis necessaria est bonitas, in ordin
do: Qui enim suscipit quemcunque ord
maiorem in peccato mortali, mortaliter p
cat. Alias conditiones ponit Apostolus
Titum 1. Deinde requiritur ætas sufficie
Ad subdiaconatum 22. anni, ad diaconat
23. ad presbyteratum 25. requiruntur non p
fecti, sed incepti, & ad sacerdotium promo
ri potest qui per diem, aut duos dies incepit
annum vt docent Simon Maiolus Episco
libro 1. de irregularitate. cap. 30. & post a
Henr. Henriquez tom. 1. moralis Theolog
lib. 13. cap. 38. & dicit Salmanticæ Theolo
& Iurisperitos consultos sic respondisse. E
dem est ratio de alijs ordinibus. 3. Scientia t
ta, vt quis possit ritè exercere actus sui ordi
4. Masculinus sexus, si enim fœmina ordin
tur, ordo non tenet. 5. Necessariò præsupp
nitur Baptismus. 6. Multi alij prohibent
ordinari à iure, vt Bigami, solemniter pœ
te

tentes, Neophiti, id est, noui Christiani: Curiales, serui, corpore vitiati, Illegitimi, infames, Hermaphroditæ, excommunicati, suspensi, Interdicti, & omnes irregulares.

CAPVT XVII.

DE SACRAMENTO Matrimonij.

Quid est Matrimonium?

EST legitima maris, & fœminæ coniunctio, indiuiduam vitæ societatem retinens.

Quæ causa efficiens matrimonij?

MVTVVS coniugum & voluntarius consensus, expressus per verba, vel signa de præsenti, ex Concil. Flor. & cap. Tuas. de spōsa duorum. & can. Sufficiat. 27. q. 2.

Quæ est materia?

PERSONÆ ipsæ, & earum actus externi, quibus corporum traditio fit, & recipitur.

Quæ forma?

VERBA ipsa coniugum, vel signa, quibus consensum exprimunt, exempli

gratia, Catharina accipio te in meam v
rem, & ipsa è contra Paule accipio te in m
um virum.

Quis minister?

PERSONÆ contrahentes, quia ipsæ p
ferunt verba. Debet autem ex præscri
Concil. Tridentin. adesse proprius paroch
vel alius de ipsius licētia, vt adhibeat solem
tates consuetas in Ecclesia, cum duobus,
tribus, vel pluribus testibus.

Qui sunt effectus Matrimonij?

GRATIA, vt quis legitimè eo vtatur, p
lis procreatio, ac educatio, & indissol
le vinculum.

Matrimonium quotuplex est?

DVPLEX. Ratum, & cōsummatum. R
tum est, quod firmatum est vtriusq;
iugis consensu de præsenti, in facie Eccl
nec tamen adhuc superuenit copula carn
Consummatum est, quando accessit co
la carnalis, & opere completum est.

De sponsalibus?

Sponsalia quid sint.

SPONSALIA sunt futurarum nuptiar
promissio, & matrimonium præced
tanquam quædam dispositio. Adhibentur
tem propter magnitudinem negotij susc

endi,& cognitionem impedimentorum, quæ occurrere possunt. Dubitari à quibusdam solet. An sponsalia, de quibus hîc loquimur, clandestinè contracta, id est, sine Parocho & testibus, sint nulla & inualida post Concilium Tridentinum. Respondetur breuiter Concilium non inualidare sponsalia clandestina de futuro, sed matrimonium de præsenti. Martinus Nauarrus in Manuali confessariorum, capite 25. numero 144. & libro 4. consil. in titulum de sponsalibus consilio 38. numero 3. & post plurimos Hispaniæ DD. Henricus Henriquez tomo 1. moralis Theologiæ libro 11. capite 5. §. 8. & sic resoluit congregatio Cardinalium Anno 1570. ad Episcopum Tornacensem & Concilium Bracharense de anno 1566. actione 4. capite 33. & 36. Nec militat eadem ratio quæ in matrimonio est, quod nulla humana auctoritate dissolui potest, multis oneribus plenum, & contractus tendens in publicam vtilitatem, & ideò sine publica auctoritate & testimonio celebrari non debet.

Suntnè sponsalia dissolubilia?

SVNT, & in multis casibus dissolui possunt.

Primo partium remissione. 2. Ingressu alterius in religionem. 3. Matrimonio de præsenti contracto. 4. Si alter eorum in longinquam regionem proficiscatur, & non redeat

ſtatuto tempore. 5. Superueniente affinita
vel cognatione ſpirituali. 6. Per iudicem
defectum ætatis. 7. Si ſuperueniat morb
contagioſus, vel notabilis deformitas,
mutilatio. 8. Per votum caſtitatis, & relig
nis. 9. Si alter eorum fornicetur, poſt con
cta ſponſalia: ad hanc cauſam reducimus
reſin, quæ fornicatio ſpiritualis eſt: Idem
iudicium, quando fornicatio præceſſit ſpo
ſalia, & non fuit cognita ſecundum comm
nem ſententiam, ſi cognoſcatur ante ma
monium contractum. 10. Si ſuperuen
inimicitia capitalis. 11. Per omiſſionem ali
ius rei, quæ promiſſa eſt, ſiue ob conditio
non adimpletam. 12. Ordinis ſacri ſuſcep
ne. 13. Propter morum alterius contrah
tium aſperitatem, vt ſi ſit crudelis, nimis du
& aſper. 14. Per famam canonici alicuius
pedimenti. Tandem quoties aliqua cauſa
tionabilis ſuperuenit, quæ ſi præceſſiſſet,
fuiſſent facta ſponſalia. Tamen in his caſib
ad diſſolutionem, requiritur iudicis auct
tas, niſi cauſa diſſoluendi ſit manifeſta &
toria. De hac materia vide Nauarr. in Man
li confeſſ. cap. 22. à 25. Syluestrum, Angel
& alios in ſummis, verb. Sponſalia, & Doc
res iuris canonici in tit. de ſponſ.

An ſponſalia de futuro tranſeant, in matri-
monium de præſenti?

R

RESPONDEO, ſecundum iura antiqua, ſponſalia per copulam carnalem ſubſecutam vxorio affectu, id eſt, cum intentione Matrimonium conſummandi, tranſibant in Matrimonium de præſenti. Sed poſt Concil. Trid. ceſſat hoc, vt eſt videre in ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat. Matrimonij, per nullam ſubſequentem copulam tranſeunt, in verum Matrimonium: Quare ſi apud antiquiores legatur, ſponſalia per ſubſecutam copulam fieri Matrimonium, id intellige ſecũdum iura antiqua, quæ in hoc caſu, ſunt iuſta de cauſa reformata à Concilio.

Quæ ætas requiritur ad ſponſalia?

AD ſponſalia contrahẽda requiritur tempus ſeptem annorum in vtraque perſona: Ad Matrimonium verò deſideratur in maſculo ætas 14. annorum completorum, & in fœminis 12.

Quoniam ſponſalia etiam inducta ſunt, ad cognitionem impedimentorum, de impedimentis quod neceſſarium, exponendum eſt.

De impedimentis matrimonij.

DE hac materia vide Nauarr. à num. 32. capit. d. Sotum cum alijs in 4. ſentent. à d. 34. Summiſtas in verb. Matrimonij impedimenta. Impedimentorum materia canonica eſt, & maximè ſpectat ad exterius forum,

necessaria tamen est aliqua eius cognitio Confessario: Quare breuiter de his impedimentis agemus.

Matrimonium non solum sacramentũ est, sed etiam contractus.

Matrimonium cum non solum sit sacramentum, sed etiam contractus, potest impediri auctoritate Ecclesiæ Catholicæ, vt fides Catholica tenet, & praxis antiquissima, continuata in hæc vsque tempora testatur.

Matrimonij impedimenta sunt duplicia.

Impedimenta Matrimonij sunt duplicia. Quædam enim impediunt & dirimunt: id est efficiunt, vt non solùm contrahendo peccatum contrahatur, sed etiam contractum non valeat: & hæc impedimẽta essentiam siue substantiam Matrimonij concernunt. Quædam verò impediunt contrahendum, sed non dirimunt contractum, id est faciunt, vt sic impediti peccent, si contrahant, valet tamen Matrimonium contractum, & hæc ad solemnitatem spectant. Impedimenta impedientia, non dirimentia, sunt duodecim sequentibus versibus memoriæ gratia contenta.

ERROR, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.

DE IMPEDIMENTIS ERRORIS, Personæ, & Conditionis.

ERROR in matrimonio potest contingere: Aut ratione personæ, vt si credatur quod

quodvna persona sit alia, aut ꝓ sit primogenitus, cum tamen non sit: Aut ratione conditionis, vt si putetur liber, qui est seruus: Aut ratione fortunæ, vel aliarum qualitatum, vt si putetur diues, quæ est pauper, nobilis, quæ ignobilis, virgo quæ est corrupta, &c.

Prima Conclusio. Error personæ, matrimonium impedit, & dirimit. Quia hic error tollit consensum voluntarium, qui est causa efficiens matrimonij.

Secunda Conclusio. Error circa conditionem, dirimit etiam matrimonium. 29. quæst. 2. cap. Si quis liber. §. ijs ita, & communis opinio in capit. proposuit, de coniugio seruorum.

Tertia Conclusio. Error in bonis fortunæ, aut in qualitatibus coniugum, non dirimit, nec impedit matrimonium: Quia hic error non est circa essentialia, sed accidentalia matrimonij. De ratione autem contractus est, consensus circa essentialia.

De voto.

VOTVM solemne castitatis in religione approbata, dirimit matrimonium & impedit. Solemnizatur autem votum in professione, secundum consuetudinem Ecclesiæ facta.

De cognatione spirituali.

COGNATIO spiritualis contrahitur in Baptismo, & Confirmatione. Hæc cog-

natio ſpiritualis contracta eſt in Concil. T
dent. ſeſſ. 24.ca. 2. de reformatione matri
nij, ad pauciores gradus: Quare antiqu
bris, quibuſdam agendis non eſt in hac m
ria adhærendum.

Statuit autem Concilium, vt vnus tant
vir, ſiue mulier, iuxta ſacrorum canonum
ſtituta, vel ad ſummum vnus & vna, bap
tum de Baptiſmo ſuſcipiant, inter quo
Baptizatum ipſum, & illius patrem & ma
nec non inter baptizantem & baptizat
baptizatique patrem & matrem tantum,
ritualis cognatio contrahatur, &c. poſt
ca. Ea quoque cognatio, quæ ex confirma
ne contrahitur, confirmantem & confir
tum, illiusque patrem & matrem, ac tenen
non egrediatur.

Dubium. *An exempli gratia* N. *poſſit matr
nium contrahere, cum vxore patrui
ſui defuncti?*

AGENDA Treuiren. in tractat. de ma
monio in linea ſpiritualis cognatio
videtur docere contrarium, dum in linea
nit ſub nigro, Tenentes cum ſuis vxori
cognitis, & baptizantes cum ſuis vxoribus
tandem ſubijcit. Concilium rubra abro
Reſpondetur, ſecundum iura antiqua
potuiſſe: At nunc poſt Concilium Tri
tinum poſſe. Quia Concil. vt ex dictis p

restrinxit cognationem spiritualem ad baptizatum & baptizantem, patrinum, baptizatiq; patrem & matrem, nullam faciens mentionē vxorum baptizantis, aut patrini, contra dictam agendam. Quare Concil. non solum rubra ibi posita abrogauit, sed etiam nigra, secundum illam lineam, quantum ad vxores baptizatis, & tenentium, vt rectissimè Nauarr. in Manuali, vbi sup. num. 36. & 38. & 39. tradit. Error ergo, vel vitio scriptoris, aut incuria Typographi, in dicta agēda commissus est.

De consanguinitate & affinitate.

CONSANGVINITAS est aliquarum personarum vinculum, ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum.

Affinitas est propinquitas duarum personarum, quarum vna, cum consanguinea alterius copulam habuit.

Affinitas autem efficitur per copulam naiuralem, tam licitam, quàm illicitam. 35. q. 3. cap. Extraordinaria.

Consanguinitas & affinitas, ex licita copula vsque ad quartum gradum inclusiuè, impediunt matrimonium. cap. Non debet de consanguinitate & affin. & dirimunt etiam contractum: dictum (affinitas ex licita copula) quia ex illicita copula, tantum in primo & secundo gradibus dirimit, post Concilium

lium Trident. vbi supra cap. 4. Hic notand. ex Clement. 1. de consang. & affinit. eos q scienter in gradibus consanguinitatis, vel a nitatis matrimonialiter contrahere non rentur, excommunicationē incurrere. Q etiam locum habet in clerico in sacris ord bus constituto, qui celebrat huiusmodi co tractum.

Pro faciliori modo cognoscendi gradus consang tatis sequentes regulæ notentur.

PRIMA. Supposita arbore quanto gr distant personæ à communi stipite, tan distāt inter se, exempli gratia, duo fratres in primo gradu, quia à patre tantum gradu distant.

Secunda. Quando duæ personæ inæqu ter distant à communi stipite, quoto gradu motior distat à stipite, tanto gradu distant ter se, vt Petrus distat à Ioanne duobus gra bus, & Nicolaus distat à Ioanne tribus, i Petrus distat à Nicolao in tertio gradu. c fin. de consang. & affinit.

Tertia regula. In linea, quot sunt perso tot sunt gradus, vna dempta, vt pater, fil nepos, vna dempta, persona, duæ restant, & sunt duo gradus.

De cognatione legali.

VIDE in iure Canonico eod. tit.

Cog

Cognatio legalis eſt propinquitas ex adoptione alicuius in filium præueniens.

Ad adoptionem requiritur, vt perſona adoptata, ſit extranea, & aſſumatur ſecundum legis conditiones.

Cognatio legalis eſt triplex. Prima aſcendentium & deſcendentium ſcilicet, adoptantis & adoptati, & deſcendentium eius, hęc durat etiam diſſoluta adoptione, nec emancipatione tollitur. *Cognatio legalis triplex.*

Secunda eſt quaſi tranſuerſalis, inter adoptatum & filios naturales adoptantis, hæc durat durante adoptione, & filio naturali exiſtente ſub patris poteſtate, aliàs non, ca. 1. de cog. leg.

Tertia eſt quædam legalis affinitas, inter vxorem adoptati & adoptantem, & inter adoptatum, & adoptantis vxorem, & hæc etiam ſemper durat: Quælibet harum impedit & dirimit Matrimonium, iuxta Gloſſam & Doctores in d. cap. 1.

De impedimento criminis.

VIDE Sotum in 4. d. 37. artic. 4. Nauarr. vbi ſupra numer. 46. Doctores cum textu in capit. Propoſuit, de eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium.

Tria ſunt crimina ad mortem coniugis relata, quæ Matrimonium non modò impediunt, ſed etiam contractum dirimunt.

Pri-

Primum. Est adulterium cum machinatio nem mortem alterius coniugis.

Secundum, Adulterium cum fide, quia adulter dat adulteræ, quod eam post mortem coniugis in vxorem ducet.

Tertium, Quando qui vxorem habet cum altera de facto contrahit, si tamen adulterium interueniat.

De disparitate cultus.

DISPARITAS cultus est quando fidelis contrahit cum infideli, idest, non baptizatus cum baptizato, vel contra.

Disparitas cultus modo dicto, impedit Matrimonium, & contractum est nullum, etiam si fidelis cum catechumeno contraheret, 28. quæst. 2. cap. Caue. & communis sententia tenet. Quia quamuis Matrimonium esse possit inter infideles, prout est contractus, cap. Gaudemus, de diuortijs, non tamen quatenus sacramentum, quia omnia reliqua sacramenta præsupponunt Baptismum, iuxta cap. Veniens, de presbytero non baptizato, & communem sententiam. Si autem Catholicus hæretica, aut schismatica contrahat, licet peccet contrahendo, tenet tamen matrimonium. Gloss. communiter recepta 28. quæst. 1. cap. Non oportet. S. Thom. & alij in 4. d. 39.

De vi, siue impedimento violentiæ.

MATRIMONIVM contractum violentia, aut metu iusto, siue cadenti in constantem virum, est nullum. cap. Veniens 1. & cap. Cum locum, de sponsalibus.

Metus autem cadens in constantem virum est, qui merito mouet virum fortem & constantem, vt faciat, quod cessante metu non faceret, huiusmodi est metus mortis, aut mutilationis, perpetuæ seruitutis, amissionis status, grauis & longi carceris, &c. Si autem quis alio metu leui, & cadente in inconstantem virum inducatur ad contrahendum matrimonium, tenet.

De impedimento Ordinis.

ORDO sacer, est impedimentum matrimonij, & dirimit contractum. Sunt autem vt supra dictum, tres ordines sacri, quos maiores appellamus, hinc omnes constituti in sacris, secundum fidem Catholicam, quicquid hæretici latrent, sunt inhabiles ad matrimonium, cap. 1. & 2. Qui clerici vel vouentes, matrimonium contrahere possunt, & cap. 1. de cleric. coniugat. ad quod accedit vniuersalis Ecclesiæ traditio.

De impedimento ligaminis.

PER ligamen, intelligitur matrimonium præcedens, iuxta illud Pauli, alligatus es vxori,

vxori, noli quærere ſolutionem. Nullus en
poteſt contrahere cum alia, viuente prim
ſi quis fecerit, fortaſsè quia primam mort
putauit, certior factus de vita, tenetur re
ad primam, quia cum ſecunda matrimon
eſt nullum, quod etiam locum habet, ſi
prima tantum matrimonium ratum fui
& cum ſecunda conſummatum.

De impedimento iuſtitiæ publicæ honeſtatis.

HOc impedimentum oritur ex ſponſ
bus validis poſt Concilium Trid
num. Eſt autem impedimentum inter ſp
ſum, aut maritum, & omnes cognatos ſpo
ſuæ, aut mariti, ab Eccleſia propter quan
honeſtatem inductum: Exempli gratia,
trus & Maria cõtraxerunt ſponſalia, ante
trimonium Maria moritur, Petrus ob hoc
pedimentum, non poteſt contrahere cum
rore Mariæ relicta: Olim extendebatur
impedimentum, vſque ad 4. gradum, nunc
excedit primum, Concil. Trident. ſeſſ. 24.
3. de reformatione matrimonij.

De impotentia coeundi.

DE hoc impedimento agunt Doctores
canones in tit. de frigidis & maleficiis
Theologi in 4. d 34.

Prima Concluſio. Quando frigiditas ſiue
po

potentia coeundi alterius coniugis, perpetua est, marrimonium est nullum, & sic scienter contrahens peccat. capit. Consultationi de frigidis & malefic. Quia qui ita est impotens, non potest reddere debitum, quod est contra finem & vsum matrimonij. Hinc matrimonium contractum cum Eunuchis, est nullum, si seminare non possint.

Secunda Conclusio. Quando impotentia coeundi sequitur matrimonium ratũ, ante eius consummationem non dissoluit illud. Quia matrimonium ratum, secundum Catholicam & communem sententiam, non soluitur nisi per ingressum religionis.

Tertia Conclusio. Quando impotentia est temporalis, & accidentalis, ita quod possit illi per artem medicorum, sine periculo mortis subueniri, Matrimonium est validum, capit. Ex literis, & cap. Fraternitatis, de frigid. & malefic.

Quarta Conclusio. Si impotentia potest cognosci statim, quod sit perpetua, statim iudicio Ecclesiæ sunt separandi: Si verò nisi per cohabitationem, expectandum est triennium, quo tempore debent actui coniugali fideliter operam dare: quo finito si matrimonium non fuerit consummatum, vtroque vel altero tantum petente, separandi sunt, vt definitur in cap. Laudabilem, de frigid. & malef. à Cælestino. 3.

Quinta Conclusio. Maleficium perpetu
etiam impedit & dirimit matrimonium, q
do impotentia, arte Diaboli effecta est, cap.
eod. tit. Si autem temporale sit non impe
quia sic impeditus, sublato impedimento p
test debitum reddere.

Maleficium autem non est maleficio diss
uendum, vt alibi traditum, sed ieiunijs, o
tionibus, Eleemosynis, alijsque pijs op
bus. can. Si per Sortiarias atque maleficu
tes, & c. 33. q. 1.

Sexta Conclusio. Si alter coniugum sit im
tens, & ambo simul velint habitare, poter
in d. cap. Laudabilem, vbi dicitur. Si am
consentiant simul esse, vir eam, etsi non
rem, habeat sororem.

Septima Conclusio. Si impotentia iudica
perpetua, etsi cohabitare possint, iuxta p
tam conclusionem, mortaliter tamẽ pecc
amplexus, & mutua oscula sibi inuicem
dentes: Quia tales actus sunt illiciti, nisi
inter coniunctos matrimonio: at vbi est
potentia perpetua Matrimonium antece
non potest esse Matrimonium. Alia tamen
tio est, quando impotentia est temporalis,
Matrimonium iam ratum, aut etiam consu
matum subsequitur.

Hic quari potest: An furia siue amentia dirimat Matrimonium?

R

RESPOND. si amẽtia sit perpetua, & Matrimonium antecedit, nullum reddit Matrimonium, quoniam amens non potest habere consensum legitimum ad contrahendũ, qui est causa efficiens matrimonij. Si autem perpetua amentia succedat matrimonio rato, aut consummato, Matrimonium est validum, nec quo ad vinculum dissoluitur nisi morte, aut si tantũ ratum, religionis ingressu. Quando autem amentia est per lucida interualla, vel quando ratione amens vtitur, potest contrahere Matrimonium: quia tunc habet sufficientem consensum. Quæret aliquis circa hæc matrimonij impedimenta: Quid si quis in facie Ecclesiæ seruata forma Concil. Trident. Matrimonium bona fide contraxit, sed post contractum elapso dimidio anno, aut integro, aut annis deprehenditur aliquod, occultum impedimentum, e. g. consanguinitatis, vel affinitatis in quarto gradu: ob quod matrimonium contractũ nullum fuit, & adhuc est, quid remedij in casu occurrenti adhibendũ?

Quoniam hic casus vt experientia didicĩ aliquando occurrit, & pastores ignorant nonnunquam quid consulere debeant, statui hic latius declarare, quæ faciant ad decisionem, pro qua sequentia sunt mente tenenda.

Primum. Quod si impedimentum impediens & dirimens licet occultum fuit tempore contractus, Matrimonium est nullum &

inualidum, ideoque alter coniugum simul atque impedimentum cognouerit, non potest debitum petere, nec etiam temporis diuturnitate tale Matrimonium conualescit.

Secundum. Tale Matrimonium nullum impedimentum, non incipit valere per dispensationem Papæ, aut alterius habentis potestatem ab eodem ad dispensandum etiam cohabitent deinceps: Quia dispensatio tantum tollit impedimentum, habilitatque personas, vt aptæ sint ad contrahendum. Pontifex, aut alius cui commissa est dispensandi potestas, non potest supplere consensum in naturæ requisitum ad matrimonium. Panormitan. & Ioan. Andr. per cap. Ex nouo. Qui filij sint legitimi. Nauarr. in Manuali confessar. capit. 22. nu. 86. Vnde sequitur quod habita dispensatione, aut alias sublato impedimento necessarium sit, de nouo contrahere Matrimonium, vt communiter de hac re sentientes tradunt & praxis Romanæ curiæ docet.

Tertium. Ad contrahendum sufficit, vt alter coniugum qui scit impedimentum, occultè impetret dispensationem. Nauarr. in d. cap. 22. num. 47. & ex professo lib. 4. consil. in tit. de sponsalib. consil. 14. nu. 2. & Henric. Henriquez. tom. 1. moralis Theologiæ cap. 3. § lib. 11. Quod his fundamentis Nauarr. in cons. comprobat. Primo, quia qui vult vti

vide

videtur etiam velle id quod necessariò sequitur ex illo. l. 2. de iurisdict. omn. iudic. capit. præterea, de offic. deleg. At dispensatio concessa vni personæ ad contrahendum cum alia, nihil valeret, nisi extenderetur ad illam, vt clarum est. Secundò, dispensatio extenditur ad id quod necessariò illi annexũ est. Gloss. notab. in capit. Si quis in clero. 7. quæst. 1. & cap. Quia in tantum, de præbend. Tertio. Cum Papa dispensat cum altera contrahentium persona, intendit etiam dispensare cum vtraq; argum. capit. Translato. de constitut. capit. Si quis abiecerit. 2. quæstione 3. cum illæ dispensationes sint inseparabiles.

Quartum. Habita dispensatione ad iterum contrahendum non requiruntur de nouo denunciationes, nec præsentia Parochi, & duorum testium, sed sufficit quando vterque coniugum de impedimento sciunt, vt occultè inter se consensum renouent adhibito aliquo signo, vt Pius Quintus, teste Nauarro in Manuali confessariorum, capit. 22. num. 70. declarauit. & ait, Nauarr. sacrum pœnitentiariæ prætorium frequenter hac declaratione vti: aut saltem per copulam carnalem affectu maritali reualidare intendant. Quod si autem alter coniugum ignoraret impedimentum fuisse, nec Matrimonium inualidum, oportet vt ignoranti significetur saltem in genere Matrimonium esse nullum, & virtute illius non

esse obligationem ad continuandum, & sic de nouo necessarium fore consentire in Matrimonium ad conscientiæ tranquillitatem: & tunc consensum mutuum ambo verbo, aut signo exprimant, & renouent Matrimonium contrahitur. Pro his faciunt Scot. in 4. d. 27. Richard. ibidem. Supplementum Gabriel, in cad. d. quæst. 1. art. 2. conclus. 3. Caietan. tomo 1. opusc. tract. 12. quæst. 2. Nauarr. in d. cap. 1. num. 47. & in d. titulo de sponsalibus Consilio 37. Henriquez vbi supra. Quando autem periculum foret, quod impedimentum publicum fieret, probaretúrque in iudicio, autagretur ad dissolutionem in foro exteriori, tum fieri deberet reualidatio coram parocho & testibus. Sed eo periculo cessante id non de necessitate requiritur, sicut nec noua licentia Episcopi: Cum hic casus censeatur de iure exceptus, nec contineatur generali decreto Concilij, vt latius Henriquez prosequitur.

De impedimentis impedientibus, non autem dirimentibus.

SVNT hæc sequentia.

1. Interdictum Ecclesiæ. Non enim licet Matrimonium contrahere, ab Aduentu Domini vsque ad diem Epiphaniæ, & à feria 4. Cinerum, vsque ad octauam Paschatis inclusiue. In alijs temporibus licitum est celebrare nuptias, vt statuit Concil. Trident. sess. 24. cap.

24.cap.10. de reform.Matrim. Huc etiam refertur, quando Episcopus, Iudex, aut Parochus alicui prohibet ob aliquod impedimentum, aut iustam causam.

2. Votum simplex castitatis. cap. Si nupserit virgo d.72. & cap. Rursus. Qui clerici vel vouentes: Quia vouentibus virginitatem attestante S. Hieronymo, non solum nubere, sed etiam velle nubere damnabile est.

3. Sponsalia iusta, secundum iustitiam impediunt Matrimonium cum alia, quia fit iniuria priori sponsæ, frangendo illi fidem.

4. Catechismus, vt qui tenet aliquam ad Catechismum ante Baptismum, prohibetur cum illa contrahere.

5. Incestus, tam cum cognata, quàm affini, cap. 1. & 2. de eo, qui cognouit consanguineam vxoris suæ.

6. Vxoricidium, cap. Admonere 33.q.2.

7. Raptus alienæ sponsæ, cap. Statutum 27.q.2. Quod tamen per Concil. Trident. vbi supra cap.6. factum est dirimens, quam diu rapta in potestate raptoris manserit.

8. Proprij filij de fonte susceptio eo animo, ne vxor debitum exigere possit. 30.q.1.ca. Eos

9. Presbytericidium, cap. qui presbyterum, de pœnit. & remiss.

10. Solemnis pœnitentia iniuncta & facta, cap. De his, &c. Antiqui, 33.q.2.

11. Matrimonium ſcienter cum moniali contractum.27.q.1.cap. Si ergo qui.

CAPVT XVIII.

DE MATRIMONIO CONTRACTO ſine conſenſu parentum.

QVONIAM aliquãdo minus exercitati in Theologia & iure titubant circa tale Matrimonium propter variorum variam doctrinam, quid catholicè ſentiendum, paucis hic ſtatui reſoluere.

Prima Concluſio. Filius & filia grauiter peccant, ſi abſque ſcientia & conſenſu parentum ſub quorum cura ſunt, Matrimonium contrahant, niſi iuſta & rationabilis cauſa excuſet. Hæc eſt communis DD. Paludan.in 4.d.27. q.vlt.Soti d.29.q.1.art. 4. Victoria in ſumma de ſacram. de Matrim. num. 250. Nauarr. in Manuali confeſſ. cap.14. nu. 15.Bellarm. tom. 2.controuerſ.lib.de Matrim. c. 19. & aliorum alibi. Probatur in primis auctoritate præcepti de honore parentum. Neque enim negandum eſt filium magnam iniuriam parenti inferre, ſtatum Matrimonij immutabilem ſine eius conſilio & conſenſu aſſumat niſi cauſa iuſta vrgeat. Confirmatur cap. Honorantur.32.q. 2. ex D. Ambroſio in lib.1.de Abraham.cap. vlt.& ibidem capit. Mulier. & fortius prohibet

bet capit.1. & capit. Nostrates, & concordant leges ciuiles.l. Viduæ.& l.In coniunctione. C. de Nuptijs.l.2.ff. de ritu nuptiarum.§.1. Institut. de nupt. & alibi. Imo & naturalis ratio suadet,vt parentum consensus accedat,vt Plato libr.6.de legibus, & illud Euripidis allegatum à D. Ambrosio vbi supra. Cum in persona mulieris ait: Sponsaliorum meorum pater meus curam subibit. Hoc enim non est meũ, satis indicant. Exempla etiam nobis suppeditant sacræ litteræ. Isaac accepit vxorem quam pater approbabat.& Rebecca eius vxor patris consilium itidem secuta, dum eum in virum duceret. Genes. 24. Ambros.loc. cit. His accedit quod parentibus commendatur cura de Matrimonio prolium.Exod.34.& Deuteron. 7. Filiam tuam non dabis filio eius: nec filiam illius accipies filio tuo. Dictum (nisi iusta & rationabilis causa excuset) Quia quando causa subest iusta, aut pater irrationabiliter est inuitus, filius potest etiam sine peccato contra eius voluntatem nubere. Eadem est ratio, si pater negligeret prospicere filijs de honesto Matrimonio, aut non esset tanti iudicij, vt possit consulere vtilitati suorum.

Secunda Conclusio. Matrimonium in facie Ecclesiæ contractum secundum Ecclesiæ Catholicæ formam absque consensu parentum est validum, & firmum. Hanc amplectuntur omnes Catholici loc. cit. & confirmata est à

Concilio Tridentino sess.24. cap.1. de Ma
monio. Ratio etiam manifesta est, Ad Ma
monij essentiam requiruntur consensus c
trahentium, intentio ministri, Materia &
ma, quę omnia habentur in Matrimonio
tracto absque parentum voluntate. Co
conclusionem tenent multi hæreticiac
aliqui iurisperiti. Lutherus, Kemnitius,
uinus, & alij quos Bellarmin. vbi supra co
tat, & eorum argumenta dissoluit, & ex
peritis Chassan. in Catalogo gloriæ mu
part.12. considerat. 36. Ioan. Odeldorp.
se action.26. act. Ioan. Schneideuin. in
de nupt. & alij alibi. Ex hac conclusione
citur etiam à veritate alienam esse eorum
tentiam qui volunt matrimonium absque
rentum consensu à filijs contractum, res
sententia posse, modo per carnis cop
non fuerit consummatum, aut vt alij loqu
tur, quando res adhuc est integra, & conc
tus nec dum subsecutus est. In hanc fal
& à fide alienam sententiam inerunt
ras. lib.1. Miscellan. cap.17. Molinæus in ad
ad Decium in cap. Ecclesia S. Mariæ de c
stit. Duarenus in ca.2. tit. Soluto matrimo
& alij quidam, sed veritas in contrarium
Matth.19. Quod Deus coniunxit, homo n
separet. Ergo etiamsi concubitus non in
cesserit humana sententia non potest res
di contractus Matrimonij, cum sit indisso

bilis, & sic Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ auctoritas sanciuit in Concil. Trident. in d. cap.1. his verbis: Sancta Synodus anathemate damnat eos, qui falsò affirmant Matrimonia à filijs familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse. Etsi videantur aliquæ leges ciuiles obstare, eæ tamen interpretandæ sunt, quod sentiant honestum non esse Matrimonium contrahere sine consensu eorum, sub quorum cura viuimus, nō tamen irritant, etsi irritarent, tamen in hoc non haberent effectum, & canonibus ecclesiasticis essent abrogatæ.

Tertia Conclusio. Filia Matrimonium contrahens in facie Ecclesiæ, etiam sine licentia patris, non potest ab eodem iure exhæredari; Probatur Conclusio. Si filia possit exhæredari eam ob causam, tolleretur ea libertas quæ ad Matrimonium requiritur, non enim auderet nubere cui vellet: Atque sic sentiunt Hostiens. Panormitan. & alij in cap. 1. de desponsat. impuberum. Ias. in Authent. Sed si post col.2. C. de inoffic. testam. Alexan. cons. 97. volum. 1. & hæc communis est opinio, auctoribus Panorm. in d. cap. 1. Decio in d. cap. Ecclesia S. Mariæ, num.39. Felin. ibid. num. 59. Couarr. in 4. de Matrim. 2. part. cap. 3. §. 8. num. 5. qui addit hunc communem locum habere, etiamsi filia nubat turpi, vel indigno

ante

ante ætatis annum vigesimum quintum pater vellet eam tradere in vxorem æquè no viro congrua constituta dote: ob hanc bertatem quæ in coniugali consensu requ tur. Potius enim permittenda est hæc in quæ patri indirectè videtur fieri, quam libertas Matrimonij impediatur. Ita Ioan mol. & Alexand. in l. 1. num. 32. ff. soluto trim. Deciusin l. Nuptias. ff. de reg. iuris. peg. in tract. de dote. part. 1. q. 13. Couarr. quidam contra Gloss. in cap. De raptor 36. q. 1. & aliam in d. Authent. Sed si post etiam quidam Doctores sequuntur sem filiam à patre posse exhæredari, quæ tum indigno ante 25. annum sine patris con nupserit.

Quarta Conclusio. Quando filia contra tris voluntatem nupsit viro ignominiose ter non tenetur ei dotem constituere, eam cam filia marito promisisset. Gloss. in d. De raptoribus, & ibidem Archidiac. Ca & Anton. in cap. Accedens. de procurat. in l. 1. ff. Soluto Matr. Couarr. qui post alios tetur hoc communiter receptum. Quod men procedit, si filia, vel maritus esset in ues, vt congrua alimenta vterque haberet tamen pauperes essent pater cogendus ad præstandum alimenta filiæ, arg. text. in Cum haberet de eo qui ducit in Matrim.

Q

Quinta Conclusio. Quando filia sine parentis consensu etiam ante vigesimum quintum annum nupsit digno, si filia dotem marito promisit, pater tenetur & iure compellitur ad eiusdem solutionem. Panormit. in d.cap. 1. de desponsat. impuber. & in consil. 12. incip. Casus talis est. vol. 1. Decius in d.l. Nuptias. Ias. in d. Authent. Sed si post. Campeg. & Couarru. vbi supra. Capella Toloss. decis. 289. & alij cõmuniter alibi: De his omnibus conclusionibus latius Couarr.

CAPVT XIX.

DE BONIS MATRIMONII.

DE hac materia lege S. Augustinum in lib. de Nuptijs & concupisc. cap. 11. & in lib. de bono coniugali, & lib. 9. super Genes. ad litteram c. 7. Magistrum cum DD. in 4. d. 31.

Quænam & quot sunt bona Matrimonij?

TRIA. Fides, Proles, & Sacramentum. In fide attenditur, ne coniunx cum alio aliaue sese commisceat. In prole, vt amanter suscepta religiosè educetur. In sacramento, vt consummatum coniugium, quo ad substantiam non dirimatur, tametsi coniuges, seu fornicationis causa, seu gratia religionis, thoro separari valeant.

Nota,

Nota, in diſſolubilitatem, ſiue vinculum diſſolubile, vocari bonum ſacramenti, o gationem procreandi prolem, & religio ducandi, bonum prolis appellari: & mut obligationem ſeruandi fidem, fidei bo nuncupari, ſcilicet vt nullus coniugum admiſceatur. Nunc circa hæc bona Matri nij, mouendæ ſunt aliquæ difficultates.

Prima difficultas. *An ſecluſo fine prolis, a coniugalis ſit licitus?*

ADVERTENDVM in primis, aliqu de cauſis concubitum coniugalem contingere. Aut cauſa generandi, aut d tum reddendi, aut ſolius libidinis ſiue vo tatis explendæ gratia: aut ad vitandam fo cationem in ſe, vel conſorte; aut ob mort aliudúe incommmodum cauendum.

Prima Concluſio. Exercere actum coni lem cauſa generandi prolem, aut redden bitum, nullum eſt peccatum, ſed quand in gratia, cum alijs debitis circumſtantij actus meritorius: Probatur, quia in tali ſeruatur debitus finis, & bona fidei, & p concurrũt, & præcepto Apoſtoli ſatis fit, ri vir debitum reddat, & vxor viro: ergo a iuſtitiæ eſt reddere.

Secunda Concluſio. Accedere ad coniug generationis cauſa, cum voluptate, & d ctatione adhærente & placente, niſi nim

ex

excessus voluptatis procuretur, nullum est peccatum. Sot. in 4. d.31. quæst. 1. artic. 3. Ioseph. Angles in 4. de Matrim. in quæst. de soluendo debito quæst. 5. difficult. 3. & alij alibi. Quia finis huius actus est rectus & honestus, & natura delectationem tali actui, propter necessitatem conseruandi speciem adiunxit, veluti sumptioni cibi & potus, ob necessitatem conseruandi indiuidui, ergo sicut cibum & potum cum delectatione capere, nulla est culpa, nisi nimius sit excessus, ita etiam coniugalem actum exercere cum delectione, culpa carebit.

Tertia Conclusio. Concubitus habitus solo animo explendi voluptatem, & quærendi delectationem, cum coniuge, est peccatum veniale. Est S. Augustini expressè, de bono coniugali c. 6. & lib. 1. de nuptijs & concupiscentia cap. 4. & in Enchiridio, cap. 78. & DD. cit. & S. Thom. Richar. & aliorum in d. 31. Quia huiusmodi actus est inutilis, & otiosus, non relatus in debitum finem.

Quarta Conclusio. Marito licitum est debitum petere ab vxore, causa vitandæ fornicationis in illa, & è contra, vxori licet à marito exigere, causa vitandi in illo. S. Augustin. de bono coniugali. cap. 7. & 10. Bedæ 1. Corinth. 7. Magistr. & S. Thom. & aliorum in d. 31. Quia huiusmodi redditio spectat ad fidem coniugij.

Quinta Conclusio. Quando coniunx in
sarium arbitratur ad vitandum fornicati
in se ipso, licitum est ei debitũ exigere. R
ard. in d. 31. art. 3. q. 1. Durand. q. vlt. Cai
summa verb. Matrimonium. cap de vsu
trimonij. Sylvest. in verb. debitum coniug
Ioseph. Angles. 4. difficult. loc. cit. *Ratio.* Q
Matrimonium non solum est in officium
curæ, sed etiam in remedium concupisce
& si est actus charitatis exigere debitum
pter vitandam in alio fornicationem, m
magis erit propter vitandam fornicatio
in semetipso, quia charitas incipit à seipso
cedit sententia S. Pauli 1. Corinth. 7. Pro
fornicationem vnusquisque propriam
habeat, & vnaquæque proprium virum.

Sexta Conclusio. Abusus actus Matrimo
lis, est peccatum mortale, quoties est co
naturalem ordinem, aut ex seminis effic
prolis generatio impeditur, 1. pars consta
man. 1. vbi Apostolus reprehendit fœm
gentilium, quæ cum proprijs viris mut
runt vsum in eum, qui est contra natura
pars patet, quia finis principalis Matrimo
qui est prolis generatio, impeditur.

Septima Conclusio. Amplexus, & osc
quando honestè fiunt & amoris ergò i
coniuges, si absit periculum pollutionis,
sunt peccata: Alias peccatum committ
mortale, si periculum pollutionis sit.

Osc

Octaua Conclusio. Coniunx qui, vel quæ, cum coniuge eo animo actum habet, quod haberet, vel vellet habere illum, etiamsi non esset sibi coniunx, mortaliter peccat. Palud. in 4. d. 32. quæst. 3. S. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 20. §. 1. Nauarr. in Manuali cap. 16. num. 23.

SECVNDA DIFFICVLTAS DE Fide mutua coniugum reddendi sibi inuicem debitum.

Quando obligentur, & quando excusentur?

VIDE Magistrum cum Doctoribus in 4. dist. 32.

Prima Conclusio. Vterque coniugum, est alteri de necessitate præcepti obligatus, vt debitum ei reddat, constat 1. Corinth. Vir vxori debitum reddat: Similiter & vxor viro: ratio redditur ab Apostolo, quia mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir: Similiter & vir potestatem sui corporis nõ habet, sed mulier.

Secunda Conclusio. Vnus coniugum non reddendo alteri debitum, excusatur à mortali, vel quando remissè petitur, vel quando rogatus iuri suo cedit: Ratio, quia in debitis ciuilibus in his casibus, quis excusatur à solutione debiti.

Tertia Conclusio. Vnus coniugum non tenetur alteri reddere debitum, quando ex eo mortis, grauis infirmitatis, aut abortus peri-

culum timetur, vt Doctores sentiunt. Hi peccatum est secundũ aliquos mortale, tem pore menstrui petere debitũ, & etiam redde re: quia proli generandæ grauissima iniuria.

Deinde etiam infertur, coniugem sanam non teneri, ad reddendum debitum leprosi quando periculum probabile est contagij, infirmitatis.

Aduertendum in hac materia, quod vxor cum sit maioris verecundiæ, quam vir, non solùm explicitè semper, sed etiam nutibus, signis interpretatiuè quandoque debitum petit, vt DD. tradunt.

Quarta Conclusio. Non licet in diebus solemnitatum præcipuarum; vt Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Ascensionis, & Vneris sanctæ debitũ petere. can. Quotiescunque 33. quæst. 4. his verbis. Quotiescunq; Natalis Domini, aut reliquæ festiuitates aduenerint, est ab vxoribus abstinendum. Non putamen Sotus, plusquam veniale esse; prædictis festiuitatibus petere.

Quinta Conclusio. Reddere quocunque tempore debitum est licitum, patet, 1. Corinth. 7. Vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier: Sotus in d. 32. q. 1. art. vlt. Nauarrus Manuali cap. 17. num. 24. & alij alibi.

Sexta Conclusio. Tempus sumptionis Eucharistiæ ad 24. horas, & orationis ex consensu vtriusque, secundum Pauli consilium, in

pe-

pedit ex decentia, & honestate petitionem debiti. Conclusio satis nota est.

TERTIA DIFFICVLTAS DE separatione Matrimonij & diuortio.

An iuncti Matrimonio separari possint?

NOTANDVM, aut hoc potest intelligi, quantum ad vinculum Matrimonij, aut quantum ad thorum, & cohabitationem. Deinde aut loquimur, de Matrimonio rato; aut consummato.

Prima Conclusio. Matrimonium ratum, necdum consummatum, dissoluitur etiam, quo ad vinculum, per ingressum & professionem religionis approbatæ, est de fide, cap. Ex publico. & alijs. de conuersione coniugatorum, & in d. cap. Ex publico, adferuntur de hac re exempla sanctorum Macharij, & Alexij, qui post Matrimonium ratum ingressi religionem sunt. Hæc autem dissolutio per ingressum religionis, fit potius auctoritate Dei quàm Ecclesiæ. Quos enim Deus coniunxit, homo nõ separet. 27. q. 2. Can. scripsit: Per professionem religionis, homo quasi moritur mundo. Hinc alter coniunx manens in seculo post professionem consortis, potest iterum contrahere, ex d. cap. Ex publico.

Secunda Conclusio. Matrimonium consum-
matũ nullo modo est separabile, quoad vin-
culum, nisi per mortem alterius coniugis, cõ-
stat. Matth. 19. Quos Deus coniunxit hom
non separet. 1. Corinth. 7. Præcipio non ego
sed dominus vxorem à viro non discedere
quod si discesserit, manere innuptam, & in
rum, Mulier quæ sub viro est viuente viro, a
ligata est legi viri: Si autem mortuus fuerit v
eius, soluta est à lege, & ca. Ex literis, de diuo
tijs, de hac materia latius infra.

Tertia Conclusio. Certissimum & de fide
quod Matrimonium consummatum pot
separari, quoad thorum, patet. Matth. 19. D
minus permittit fornicationis causa virum
vxore discedere, & toto titulo de diuort.
communis est hæc DD. sententia in 4. d. 36.

Quarta Conclusio. Integrum est viro, vxo
dimittere fornicationis causa, quantum
thorũ, probatur auctoritate Saluatoris Ma
19. & communi omnium Christianorum
consensu. Quia frangenti fidem, fides fra
gatur eidem.

Quinta Conclusio. Vxor quoad thorum v
rum adulterum dimittere, eique debitum ne
gare potest, probatur 32. quæst. 5. Can. Chri
stiana, vbi dicitur, quod Christiana relig
adulterium in vtroque sexu, pari ratione con
demnat, & ibidem quæst. 7. can. Apostolus, &
can. Vxor à viro. Idem patet auctoritate Apo-
stoli

ſtoli, qui tribuit etiam viro, quod poteſtatem ſui corporis non habeat, ſed vxor. Iudicantur ergo in cauſa diuortij vir & vxor ad paria. Cõtrarium huius Concluſionis, ſed malè, videtur docuiſſe Caietan. ſuper Matt. 19. Qui hoc priuilegium, tantum viris conceſſum autumat. Sed omnes DD. ſunt in contrarium. Non tamen tam vel honeſtum, vel conſuetum eſt, vxorem diuortium petere, quàm virum, vt Sotus in d. 39. quæſt. 1. art. 4. rectè ait.

Sexta Concluſio. Etſi vir poſſit vxorem dimittere ob fornicationem, non tamen tenetur ſi pœnitentia ducta emendatur, & nõ perſeuerat in crimine. Quia verba Chriſti Matth. 19. non inſinuant præceptum, ſed conſilium.

Septima Concluſio. Quando maritus, nullo modo poteſt euitare apud homines, ſuſpicionem participationis in crimine, vxorem retinendo, tenetur eam relinquere: Quia tenetur euitare ſcandalum, ne iudicetur conſentire in peccatum vxoris. Hæc concluſio ponitur à Magiſtro & DD. in d. 36. Eadem eſt ratio, quãdo dimiſſio iudicaretur neceſſaria ad correctionem, & emendationem vxoris, can. Si vir, de adult. & ſtup.

Octaua Concluſio. Ceſſante ſcandalo, & ſpe emendationis, vir non tenetur vxorem etiam perſeuerantem in crimine relinquere, præſertim ſi dimiſſa deterior futura credatur. Quia cum ceſſet ſcandalũ, vir ſuo iuri cedere poteſt.

Nota nomine fornicationis, hîc intelligitur etiam adulterium & coitus contra naturam, vt Panormit. in capit. Maritus, de adul. S. Thom. & Paludan. in d. 36. Sylvest. in verb. Diuortium, quæst. 7. & alij alibi attestantur.

Octaua Conclusio. In sequentibus casibus non potest vxorem adulteram dimittere.

Primus, Si vir quoque adulterium commiserit, cap. Intelleximus, & cap. fin. de adul. Quia propria delicta mutua compensatione tolluntur.

Secundus, Si vir vxorem prostituerit, cap. Discretionem, de eo, qui cognouit consanguineam vxoris suæ.

Tertius, Quando vxor bona fide existimauit primum maritum mortuum nupsit altero à primo dimitti non potest, 34. q. 2. can. cum per bellicam.

Quartus, Quando aliquis fraudulenter, sub specie mariti illam cognouit, can. in lectum 34. quæst. 2.

Quintus, Si vxor vi & violentia opprimatur 32. q. 5. can. Ita ne. & can. Propositio. Quia vi non est culpa, pœna esse non debet

Sextus, Si post commissum adulterium, vir adulterij conscius eam cognouit, 32. q. 5. can. Si quis vxorem.

Septimus additur. Quando repudiata fuerit vxor ante Baptismum, si ambo ad fidem conuertãtur, licet fuerit à secundo viro ante Baptismum

tismum cognita, priori nihilominus erit reconcilianda, cap. Gaudemus, de diuortijs. De his vide Magistrum cum DD. in d. dist. 36. 4. libri.

Nona Conclusio. Quando vir cognoscit vxorem in adulterio deprehensam, potest eam priuata auctoritate è suo thoro repellere, eique debitum negare. Quia quando vxor viro fidem fregit, vir iuxta diuinam legem absolutus est, ab obligatione reddendi debitum. Sot. in d. dist. quæst. 1. artic. 3. Ioseph. Angles de Matrimonio in q. de diuortio ob adulterium, 3. difficult. & alij alibi. Idem est iudicium de vxore.

Decima Conclusio. Nemini licet, quantum ad cohabitationem sine iudicio Ecclesiæ, ab vxore adultera recedere: Quia nemo in propria causa potest esse iudex, & accusator. Idem statuitur in capit. Porro, de diuortijs. Hæc Conclusio intelligitur, nisi adulterium sit omnino publicum & notorium, tunc enim absque alio iudicio potest pellere, cap. Significasti, de diuortijs.

Vndecima Conclusio. Facto ob fornicationē, aut adulterium diuortio, neutri coniugum licitum est, viuente altero ad secundas nuptias transire, siue aliam vxorem, aut virum ducere: Quare constans & Catholica veritas est, ob fornicationem alterius coniugis diuortium factum, non soluere Matrimonium quo ad

vinculum. Hæc veritas probatur testimonij adductis in 2. Conclus. & Matth. 19. Qui dimiserit vxorem nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur. Vbi Christus duo præcepit. Primum, ne Christiani dimittant vxores dantes eis libellum repudij more Iudæorum. Secundum, ne illis repudiatis alias ducant, nunc exceptiua particula (nisi) tantum refertur ad prius præceptum, & non secundum. Deinde probatur canonibus, cap. Ex literis, de diuortijs, 32. q. 7. can. placuit, & can. fidelis. in Concil. Florent. his verbis. Quamuis ob causa fornicationis liceat thori separationem facere, non inde aliud Matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonij vinculum legitimè contractum perpetuum sit. Pro hac vide multas auctoritates Patrum, apud Sotum loc. cit. artic. 5. & Alphons. Castrens. de hæres. verb. Nuptiæ, hæres. 5. Hinc confutatur error Erasmi in annotationibus in capit. 19. Matth. & in paraphrasi 1. Corint. 7. affirmantis propter adulterium vxoris, Matrimoniũ quo ad vinculum dissolui, ita vt liceat coniugi vtrique ad secundas nuptias transire. Erasmi error damnatus est, ab vniuersitate Parisien. Erasmo adhęsit Caietan. in d. cap. Matthæi, sed malè.

Duodecima Conclusio. Præter fornicationem carnalẽ, sunt alia peccata, propter quæ potest fieri separatio quo ad thorum, sunt autẽ hæc, fornicatio spiritualis, vt hæresis, & Apostasia, aut

aut idololatria, capit. Quæsiuit, de diuortijs Inimicitiæ capitales: aut si alter alterius vitæ insidietur nimis, dura & sæua tractatio alterius coniugis, capit. literas de restitutione spoliatorum; aut etiamsi alter coniugum, alium inducat ad peccatum mortale aliud, & non potest ab inducendo retrahi: iuxta Palud. in 4. d. 39. quæst. 1. Panormit. Anthonium à Butrio & alios in d. cap. Quæsiuit. Nauarr. in Manuali confessar. cap. 22. num. 22. Ponitur autē in Euangelio, sola causa fornicationis, quia hæc dat causam perpetuæ separationis, quantum ad thorum, etiam post pœnitentiam alterius. Reliqua verò peccata, quàm diu durant, sunt impedimenta.

Decimatertia Conclusio. Cessante scandalo vir potest, quamuis non teneatur, sibi reconciliare vxorem adulteram. Patet ex B. Paulo dicēte, maneat innupta, aut suo viro reconciliatur. *1. Cor. 7.* Hæc de sacramento Matrimonij: Qui latiorem voluerint doctrinam, hauriant ex fontibus, vnde hos riuulos deduximus.

Atque his præmissis prima tractatus pars absoluitur?

SECVNDA PARS, DE PECCATIS IN GENERE, CAPITALIBVS ET EORVM FILIABVS.

CAPVT I.

DE NECESSARIIS PRO INTELLIGENTIA definitionis peccati.

CVM omnis pastoralis cura versetur circa actus humanos, ne ex ignotis, delabamur in cognitionem ignotorum, à definitione & cognitione actus humani incipiendum duximus.

Quid est actus humanus, siue moralis?

EST actus voluntarius, vel omissio eius. Quæ definitio colligitur ex S. Thom. 1. q. 6. art. 1. 2. & 3.

Dicitur in definitione (voluntarius) excludendum actus hominis violentos, qui inferuntur ab extrinseco, nullam confere

vim passo, exempli gratia. Si Petrus ab hoste vi trahatur ad idolum, Petro non est actio voluntaria, nisi cooperetur.

Voluntarium enim est, quod procedit à principio intrinseco, cum cognitione finis. Qua ex parte, actus puerorum, amentium & aliorum, qui sine deliberatione agunt, perfectè non sunt voluntarij, quia non sunt cum cognitione finis, (vel omissio eius) quia voluntarium potest esse in omissione, sine actu vt sanctus Thom. in dicto art. 3. tradit. Vt omissio autē sit voluntaria, & ad culpam imputetur, tres conditiones requiruntur, nempe vt possit quis facre, & teneatur, & non agat, siue omittat.

Quid sit, voluntarium.

Quæ requiruntur ad omissionē voluntariam.

Quoniam ad actum humanum requiritur voluntarium, & quantum actus talis habet de voluntario, tantum participat bonitatis, vel malitiæ, quæ augent, vel diminuunt voluntarium.

VIOLENTIA, quo ad actus imperatos siue exteriores, si voluntati inferatur, omninò tollit voluntarium, & peccatum. Vnde optimè Beata Lucia Tyranno dixit. Si me inuitam violari feceris, mihi castitas duplicabitur ad coronam. Ad violentiam proximè accedit metus, qui quoniam sæpius in actibus hominum locum sibi vendicat, videndum, quomodo se habeat in ordine

Quomodo metus se habeat in ordine ad voluntarium.

ordine ad voluntarium. Aduertendum aut in primis, magnam esse differẽtiam inter tum, & violentiam, violentum enim dicim quod fit ab extrinseco nullam conferente passo, neque etiam eo cooperante: vt si vi ligata manibus & pedibus, propria renit voluntate violetur. Ex metu autem fit, q habet quidem impulsionem ab extrinseco tamen cui metus infertur cooperatur, ex pli gratia. Si Tyrannus minetur mortem gini, nisi se patiatur corrumpi, si se offer corruptionem, ad euitãdum mortem: ex tu, & non violentia corrumpitur. Metus uiditur in cadentem in constantem virum in inconstantem. Metus cadens in cons tem virum, quo perturbari potest homo tis & constans. Cadens in inconstantem, q concutitur homo meticulosus & incons

Quid violentum dicatur.

Quid ex metu fiat.

Metus duplex, cadẽs in constantem virum & non cadens.

Quæ ex metu fiunt, mixta sunt ex volu rio & inuoluntario, & simpliciter sunt vol taria, & secundum quid inuoluntaria, & sic totaliter tollunt rationem peccati, sed di nuunt, exempli gratia, vt clarius fiat. Si q fidem negat, seriò à Tyranno interroga minis mortis, negatio fidei est voluntaria: q simpliciter vult negare, est inuoluntaria sec dum quid, quia non negaret, si metus mo abesset, & sic non tam graue est peccatum, q liberè sine vllo metu negaret. Quid autem homo ex metu sine peccato facere possit, & q

non, tribus regulis breuiter explicari poteſt, quarum.

Quid ex metu fieri poßit, aut non.

Prima ſit. Ea quæ ſunt intrinſecè mala: vt Idololatria, fornicatio, ebrietas, & ſimilia, quocunq; metu fiant, ſunt peccata, quia ſunt ſimpliciter voluntaria.

Secunda. Ea quæ fiunt ex metu cadente in conſtantem virum contra legem diuinam poſitiuam, non imputantur ad culpam, licet voluntaria ſint, exempli gratia. Eſt præceptum diuinum poſitiuum, vt in Dominica nullum fiat opus ſeruile, pauper qui fame premitur, poteſt laborare, vt vitam conſeruet. Sic 1. Machab. cap. 2. Matathias pugnauit feſto Sabbathorũ extrema neceſſitate compulſus.

Tertia Regula. Ea quæ prohibentur iure poſitiuo humanæ legis, non obligant cum periculo vitæ, exẽpli gratia; ſi quis periculo mortis perculſus, comedat feria ſexta carnes, quia leges humanæ non obligant, cum tanto periculo. De his vide latius Bartholomæũ à Medina in 1.2. S. Thom. quæſt. 6. artic. 6.

Concupiſcentia etiam qua voluntas impellitur ad volendum, auget voluntarium: Quia ea impellente, voluntas promptius fertur in obiectum. Ignorantia verò actum antecedens, efficit eum inuoluntarium tribus concurrentibus conditionibus. 1. Vt non ſit illius rei, quam quis ſcire tenetur. 2. Vt non ſit affectata vel procurata. 3. Vt ſine ea non fieret

ret actus: Si autem vna harum conditionum de sit, ignorantia non tollit voluntarium.

Quot, & qui sunt actus præcipui concurrentes ad actus humanos perfectos?

HI; quibus præponitur cognitio finis. Voluntas, quia volumus finem. Intentio, quæ est per media in finem. Electio, quæ actus voluntatis circa ea, quæ sunt conuenientia ad finem. Consilium, quod est inquisitio rationis resolutoriæ, inquirentis media eligibilia magna, & alicuius momenti, & non necessaria. Consensus, quo se voluntas determinat, per complacentiam ad media. Vsus, qui est applicatio mediorum, & tandem fruitio, qua quis fine adepto quiescit in illo.

Quotuplex actus, humanus siue moralis?

Actus humanus Bonus aut malus est.

DVPLEX. Bonus, & malus. Bonus, qui nulla lege, neque in se, neque ob suas circumstantias prohibetur, vel vt clarius dicatur, est actus virtutis. Ad actionem moraliter bonam requiritur, vt sit bona ex obiecto, fine, & circumstantijs, quia vt D. Dionysius ait. Bonum non fit nisi ex integra causa. Ex quo fundamento eruitur, non dari actum humanum in singulari & individuo indifferentem, id est, neque bonum neque malum: Quia omnis actus humanus de

De diuinis nominibus, cap. 4.

deliberatus, vel ordinatur in debitum finem, circa obiectum debitum, cum rectis circumstantijs, vel non. Si sic, ergo bonus, si non, ergo malus. Nec etiam fieri potest, vt idem actus in genere moris, sit bonus & malus.

De actionibus humanis bonis, id est, virtutibus, parũ in hac introductione agemus, remittimus enim ad morales. Inter reliquos doctissimè tractant, S. Thom. 1. 2. & 2. secundæ, & eius commentatores. Guilhelmus Lugdunensis Episcopus in summa virtutum & vitiorum, parte prima, & Aristoteles in Ethicis. Nos Confessarios instruimus, quibus pœnitentes ratione peccatorum subijciuntur.

Actus moralis malus, nil aliud est, quam peccatum, quod nunc definitione diligenter explicabitur. *Actus moralis malus quid sit.*

Quid est peccatum?

EST dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Hæc definitio omissis multis alijs, S. Augustini, quam eligit Magister senten. lib. 2. d. 15. & explicat. S. Thom. 1. 2. quæst. 17. art. 6. vt definitio intelligatur. Notandum in primis, quod dictum, factum, vel concupitum, non accipiuntur pro rebus dictis, factis, vel concupitis, sed pro actibus ipsis dicendi, faciendi, vel concupiscendi, his particulis includuntur tria peccatorum genera: factorum, vt non fura- *Lib. 22. cõtra Faustum, c. 27.*

furaberis, non mœchaberis, &c. dictorum Matth. 5. Qui dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio, &c. & concupiscentiæ, vt est desiderium siue voluntas peccandi, quamuis non sequatur actus, vt Matth. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est, &c. & concupiscentia etiam omnis, prohibetur duobus vltimis præceptis.

Quomodo omissio cõtineatur in definitione peccati.

Non solum hic comprehenditur peccatum commissionis, sed etiam omissionis, vt ait D. Thom. loco d. tradit, quia affirmatio & negatio reducuntur ad idem genus: Nam omissio non fit, dictum, vel factum, vel concupitum, est tamen, non dictum, quod debebat dici: aut non factum, quod debebat fieri, vel non concupitum, quod debebat concupisci: (contra legem Dei) complectitur legem Dei, non solum diuinam, positiuam, naturalem, sed etiam positiuam humanam, quia qui operatur contra humanam, operatur etiam contra diuinam, præcipientem legum humanarum obseruantiam. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Roman. 13.

Veniale etiam comprehenditur in hac definitione.

Sub illa particula, comprehenditur etiam veniale, quod aliquo modo est contra legem Dei, quia non accedit ad perfectionem legis, & hoc est, quod à quibusdam adiungitur, vel præter legem.

CAP

CAPVT II.

DE DIVISIONIBVS PECCATI actualis, ac modis distinguendi mortale à veniali.

IN primis diuiditur actuale, in mortale, & veniale. Mortale sic dictum, quia mortem infert peccanti. Anima enim, quæ peccauerit, ipsa morietur. Veniale, cui facilè venia datur. *Ezech.8. Sap.16. Hier.31.*

Deinde in peccatum cogitationis, locutionis, & operis. Item, peccatorum aliud est ex infirmitate, quale Petrus commisit, quando ex timore Saluatorem negauit, aliud ex ignorantia, quo peccabat Saulus, quando Ecclesiam Dei persequebatur. Misericordiam, inquit, Dei consecutus sum, quia ignorans feci. *1.ad Timoth.1.* Aliud ex certa malitia, siue industria, quo genere Iudas peccauit, quando redemptorem vendidit. Potest etiam diuidi ex Ioanne, vel ex concupiscentia carnis: vel ex concupiscentia oculorum: vel ex superbia vitæ; vel aliud est peccatum omissionis, aliud operis; vel peccatum ex parte obiecti, committitur in Deum, proximum, & semetipsum.

Reliquis diuisionibus omissis, de mortali & veniali agendum.

Quis modus distinguendi mortale à veniali?

Lib.21. de ciuit. c. 27. S. AVGVSTINVS fatetur difficillimu esse definire & inuenire, quæ ista pecc sint, quæ impediunt aditum ad regnum D & verissimum est eius iudicium, præsertim affectionum quantitate, diuitiarum appe tu, aut honorum ambitione. Sed quia cog tio peccati mortalis, & venialis, maxime n cessaria est Confessario & iudici conscien vt possit discernere inter leptam, & non lep aliquot regulas ex Doctoribus subijcien ex quibus iudicium sumendum de venia mortali.

De hac materia legendi, Ioannes Ger in tractatu, de distinctione peccati mort & venialis. Richardus de S. Victore de di rentia venialis à mortali, & Andreas Vega alijs doctius & clarius hanc materiam tract lib.14. super Concil. Trident. de Iustificatio præsertim cap.12. quē sequitur Iosephus A gles in Floribus part.2. in 2. sent. d.37. q.3 ar

Prima Regula. Quando sacræ literæ d dunt, aliquod pecccatum execrandum, D exosum, dignum morte spirituali, vel te porali, pœna æterna, vel igne puniend excludere à regno Dei, vel comminan væh, iudicandum est sine dubio pecca mortale. De his qui voluerit exempla ex ctis literis legat. Prouerb. 6. Ezech. 18.

ut. 24. Isaiæ 5. Rom. 1. ad Galath. 5. Matth. 5. & alibi passim in sacris litteris. Hanc regulam S. August. ponit in Enchiridio ad Laurētium, cap. 78. & 79. & Vega loc. citat. illustrat.

Secunda Regula. Est traditio Ecclesiæ, & Doctorum virorum auctoritas. Si Doctores Ecclesiæ, & pij viri, vnanimi consensu docent aliquid esse mortale, pro mortali habendum est: Si veniale, pro veniali iudicandum: si verò dissentiunt, & dubitant in aliquo, securior pars in conscientia eligenda est, Securior autem pars est, agnoscere culpam vbi non est.

Tertia Regula. Est ratio naturalis. Quæ enim directè & grauiter charitati Dei & proximi repugnant, mortalia censenda sunt: Quæ verò parum à ratione exorbitant, & leuiter charitatem Deo, & proximo debitam lædunt, venialia existimanda: Nam veniale est præter legem: hac enim regula, recta ratio iudicat vnā esse magnam ægritudinem, vel iniuriam, siue offensam, aliam verò paruam. Ex hac regula, communis doctrina originem sumit, quę tradit circa quæcunq; præcepta, dupliciter contingere veniale, nempe ex surreptione, & paruitate materiæ. Quare optimè Richard. in fine dicti tractatus, asserit mortale esse, quod non potest à quoquam committi sine gtandi corruptione sui, aut contemptu Dei, aut graui læsione proximi, reliqua verò omnia venialia.

Hic dubium esse possit. An idem numero veniale, etiam possit fieri mortale?

RESPONDETVR quod non, quia cum veniale non auertat à Deo, mortale au auertat, & impossibile sit idem à Deo auertere, & non auertere, haud fieri etiam poterit, idem numero veniale fiat mortale. Dispo tamen non rarò, vnum veniale ad morta quia qui spernit minima, paulatim decidit.

Eccles. 19.

Quot modis peccatum mortale ex genere, potest fieri ex accidenti veniale?

TRibus, *Primo* ex surreptione, propter defectum deliberationis. Sic ira, quæ ex su genere est mortalis, fit venialis ex subito mo tu: & acedia, quæ hominem subitò corripit, de similibus simile est iudicium.

Secundo, ob paruitatem rei siue materiæ his, quæ sunt contra præcepta, exempli grat furari ex suo genere est mortale, quia contra præceptum. Non furaberis. furari autem tri aut quatuor denarios veniale, quia res mi ma iudicatur.

Tertio, ex defectu iudicij sufficiētis ad mor tale, vt contingere possit in semidormiente bus, pueris, & non abundè ratione vtentibus.

An etiam veniale ex genere, possit fieri mortale?

RESPONDETVR, etiam ex accide contingere.

1. Quan

1. Quando conſtituitur in veniali vltimus finis.

2. Si quis veniale ordinaret ad mortale, exempli gratia, diceret verbum otioſum directum ad fornicandum.

3. Ex conſcientia dictante eſſe mortale.

4. Ex contemptu.

5. Diſpoſitiuè ratione periculi, quod qui amat peribit in illo.

Quoniam plurima ſunt peccata venialia, quibus etiam iuſtorum vita conſpergitur, & quidam craſſa ignorantia laborantes, (vt experientia compertum habemus,) ne minimũ quidem veniale in particulari, ſi interrogentur, dare poſſunt, gratia exẽpli placuit ex DD. aliqua venialia ſubiungere, vt de ſimilibus iudicium ſumi poſſit.

In primis S. Auguſtin. de decem chordis cap. 11. tradit, quod quotidiana, ſiue venialia peccata, per linguam facilè committuntur, vt eſt, inquit, verbum durum, aut cum labitur aliquis in riſum immoderatum, aut in huiuſmodi nugas quotidianas, &c. His adduntur ab eodem. Si vir cum propria vxore coëat voluptatis explendæ cauſa, & plus quàm neceſſitas procreandorum liberorum cogat. In ipſis etiam alimentis, quæ vtique conceſſa ſunt, ſi fortè excedis modum, & amplius accipis, quàm neceſſe eſt, peccas. Quotidiana ſunt iſta,

ait, quæ dico, sed tamen peccata sunt, & non leuia, quia plura.

Idem in sermone 4. de animabus fidelium defunctorum. Quæ autem, inquit, sunt minuta peccata, licet omnibus nota sint, tamen quia longum est, vt omnia replicentur, opus est, vt ex eis aliqua nominemus. Quoties aliquis in cibo, aut in potu plus accipit quam necesse sit, ad minuta peccata noueritur pertinere: quoties plus loquitur quam oportet, aut plus tacet, quàm expedit. Quoties pauperem importunè petentem exasperat. Quoties cum corpore sit sanus, alijs ieiunantibus prandere voluerit, aut somno deditus ad Ecclesiam tardius surgit: Quoties, excepto desiderio filiorum, vxorem suam cognouerit. Quoties in carcere clausos, & in vinculis positos tardius requisiuerit, infirmos tardius visitauerit; Si discordes ad concordiam reuocare neglexerit: Si plus, aut proximum, aut vxorem, aut filium, aut seruum exacerbauerit, quàm oportet. Si amplius fuerit blanditus, quàm expedit: Si cuicunque maiori personæ, aut ex voluntate, aut necessitate adulari voluerit. Si pauperibus esurientibus cibum non dederit, aut nimium delitiosa, aut sumptuosa sibi conuiuia præparauit. Si se in Ecclesia aut extra Ecclesiam fabulis otiosis, de quibus in die iudicij ratio reddenda est, occupauerit. Si dum incautè iurauit, & hoc

& hoc per aliquam necessitatem implere non poterimus, vtique periuramus. Et cum omni facilitate, vel temeritate, maledicimus, & cum aliquid suspicamur temerè, quod tamen plerunque non ita, vt credimus probatur, sine vlla deliberatione delinquimus. Hæc, & similia his, ad minuta peccata pertinere, non dubium est, quæ sicut iam dixi, enumerari vix possunt, & à quibus non solum populus Christianus, sed etiam nullus sanctorum immunis esse potuit aliquando, aut poterit. Hæc Augustin, Circa quinque modos gulæ, quos enumerat S. Gregorius libr. 30. moralium capit. 27. etiam frequentissimè venialiter peccamus: continentur autem hi modi memoriæ gratia hoc versu.

Præproperè, lautè, nimis ardenter, studiosè.

HARVM specierum explicationem infrà cap. 10. de Gula ex S. Thom. ponemus, & habetur etiam de his de consecrat. d. 5. cau. Quinque. vbi Cardinalis à Turrecremata latius hanc materiam persequitur. Contingunt etiam peccata venialia, circa singula peccata mortalia, & transgressiones præceptorum, vt ex dicendis, & dictis, constabit. Quandoque ratione materię, si leuis sit, culpa venialis committitur, quandoque ob defectum iudicij, vt si ratio non plenè aduertat. Ex his radicibus, furta minimarum rerum sunt venialia, pri-

mi motus, multæ mentis euagationes, terre-
næ & immundæ cogitationes, leues suspicio-
nes, motus acediæ parui circa diuina, vani &
otiosi sermones, curiositates, & sic de simili-
bus. Ex dictis quilibet, iudicium sumet de alij
infinitis venialibus.

An peccata venialia sint vitanda, & quibus remedijs remittantur, & expientur?

PECCATA venialia etsi minima homini-
bus videantur, tamen omni studio sunt vi-
tanda omnibus qui curam salutis propriæ
habent, aut ad perfectionis gradum tendere
satagunt. Pro huius rei veritate faciunt egre-
gia sanctorum patrum dicta. D. Hieronymus
in epist. ad Thesiphont. & in Epitaphio Ne-
pot. Vt, inquit, enim creatorem non in cœlo
tantum miramur, & terra, sole, oceano, ele-
phantis, equis, bobus, pardis, vrsis, leonibus
sed etiam in minutis quoq; animalibus, for-
mica, calice, muscis, vermiculis, & istiusmodi
genere, quorum magis scimus corpora quàm
nomina, eandemque in cunctis veneramur
solertiam: Ita mens Christo dedita æquè & in
maioribus, & in minoribus intenta est, scien-
etiam pro otioso verbo reddendam esse ratio-
nem. D. Augustin. tract. 12. in Ioannem. Quo-
modo minuta plura peccata, si negligantur
occidunt. Minutæ sunt guttæ quæ flumina
im-

implent, minuta ſunt grana arenæ, ſed ſi multa arena imponatur, premit, & opprimit. Hoc facit ſentina neglecta, quod facit fluctus irruens. Paulatim per ſentinam intrat, ſed diu intrando, & non exhauriendo mergit nauim. Quid eſt autem exhaurire, niſi bonis operibus agere, vt non obruant peccata, gemendo, ieiunando, tribuendo, ignoſcendo. Idem in epiſtola 108. ad Seleucianam: Illa dimitti volumus nobis peccata quæ humanæ fragilitati quamuis parua, tamẽ crebra ſubrepunt. Quæ ſi collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & oppriment ſicut vnum aliquod grande peccatum. Quid enim intereſt ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim ſubrepens aqua in ſentinam & per negligentiam derelicta atq; contempta impleat nauem atque ſubmergat. Idem in libro de decem chordis. capit. 11. Noli peccata contemnere quia minora ſunt, ſed time quia plura ſunt. Attendite fratres mei, minuta ſunt, non ſunt magna: non eſt beſtia quaſi leo, vt vno morſu guttur frangat, ſed beſtiæ plerumque minutæ multæ necant. Si proijciatur quiſquam in locum pulicibus plenum, nunquid non moritur ibi? Non ſunt quidem maiores, ſed infirma eſt natura humana quæ etiam minutiſſimis beſtijs interimi poteſt. Sic & modica peccata attendite, quia modica ſunt, & cauete, quia plura ſunt. Quam

minutissima sunt grana arenæ, quæ si ampli
in nauem mittantur, mergunt illam vt pere
Quam minutæ sunt guttæ pluuiæ, non
flumina implent & domos deijciunt? Er
ista nolite contemnere, & sermone 244
tempore. Noli despicere peccata tua, q
parua sunt, nam & pluuiarum guttæ sunt,
flumina implent & moles trahunt, & arb
res cum suis radicibus tollunt. Tu qui d
quia paruum peccatum est, velim scire q
ties tale peccatum admittis, si tot paru
plagas in corpore, & tot maculas aut scis
ras in vestibus tuis fieri velis? Cum ergo
corpore plagas, nec in veste tua scissuras,
maculas fieri acquiescis, qua conscientia h
facere in anima tua non metuis? ac sic q
cunque hoc fecerit plus amat vestem & c
nem suam, quam animam: Cùm enim
imaginem Dei facti simus, quoties aliq
turpe, aut loquimur, aut facimus, toties D
imaginem sordidamus. Haud dissimilia h
bet conclus. 3. super Psalm. 118. & tractat. 1
Epist. Ioannis, & lib. 21. de Ciuit. Dei, ca
27. Chrysost. hom. 87. in Matth. D. Greg
lib. 10. moral. cap. 14. allegans illud Ecclesiast
ci 19. Qui spernit modica, paulatim decid
& ita subiungit: Si curare parua negligim
insensibiliter seducti audenter etiam maio
perpetramus. Et S. Thom. 1. 2. quæst. 88. a
3. docet quomodo peccata venialia dispon

ad mortalia. Et ad propositum pulchra est illa Plutarchi similitudo: Vt qui desperat se fore diuitem, largius impendit, at qui iam spe vicinus est opulento, is nec pusillum contemnit lucellum, nec minimis parcit: ita qui confidit se fore bonum virum & minima vitia studet corrigere, & nihil negligit, quod aliquo modo conducat ad bonam mentem. Hæc & his similia ostendunt non esse negligenda peccata venialia, sed maximo studio cauenda. Nunc quoniam peccata venialia multa & quasi quotidiana sunt, videndum etiam quæ sint remedia, quibus curantur & remittuntur.

Primo, Omnia septem sacramenta Ecclesiæ valent ad remissionem venialium, modo recipiens sacramentum non habeat formalem, aut virtualem complacentiam in venialibus, S. Thom. in 3. part. q. 87. articulo 3. & commentatores ibidem. Nauarrus de pœnit. d. 3. capit. De quotidianis. & latè Henricus Henriquez lib. 4. moralium Theologiæ cap. 15. Turrecrem. in d. 25. cap. Nunc autem. num. 4. nec in hac re apud Catholicos est dubium.

Secundò, Per orationem Dominicam, quando dicimus: Dimitte nobis debita nostra: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, delentur. S. Augustin. in d. epist. 108. & in Enchirid. ad Laurent. cap. 71. Concil. Toletanum 4. can. 8. & de consc. d. 3. cap. De multis. S. Thom. loc. cit. & communiter DD. Ora-

tioni, pectoris humilem tonsionem adinuenire possumus.arg. illius publicani Lucæ 18. qui pectus percutiebat dicendo : Deus propitius esto mihi peccatori. S. Thom.vbi supra. Turrecrem. & alij.S. Augustin.in lib.de pœnitentiæ medicina.

Tertio. Aqua benedicta mundat etiam peccatis venialibus, de consecrat.d.3. cap. quam sale, in quo loco Turrecrem. virtutem aquæ benedictæ colligit,& communiter Doctores ita tradunt. Aquæ benedictæ annumerantur cet alia sacramentalia. Benedictionem Prælati.Confessionem generalem,vnctiones sacrum & similia. De quibus Turrecrem. Nauarr. & alij ad longum.Item oratio in Ecclesia consecrata facta.S. Thom.in 3. part. quæst. 83. art. ad 3. Sotus in 4. d. 13. quæst. 2. art.3.& audire missæ.

Quarto. Eleemosyna & ieiunio etiam pro gantur quotidiana peccata. D.Augustin.in epist. 108. & in d.cap.11. de decem chordis. adijcere licet alia misericordiæ opera, humilitatis & mortificationis exercitia spōte suscepta , & in remissionem quotidianorum delictuum ordinata. Circa prædicta recolendum quod nec sacramentalia , nec actus orationis Eleemosynæ, ieiunij , & similium, remittunt venialia nisi homo sit in gratia, quamuis non requiratur noua gratiæ infusio ad eorum remissionem, prout tradunt S.Thom.in d.q.

art.2. & 3. & eius commentatores Petrus à Soto de instit. sacerdotum. Nauarr. in d.cap. De quotidianis & alij alibi. Sed sufficiat aliquis actus ex gratia procedens, quo peccatum veniale explicitè, vel implicitè detestatur.

Postremò, venialia peccata tolluntur per feruentis charitatis actus, vt communiter Theologi sentiunt.

CAPVT III.

DE CAVSIS PECCATORVM interioribus, & circumstantijs.

TRES interiores præcipuæ à Doctoribus peccatorum assignantur causæ. In intellectu ignorantia, In appetitu sensitiuo infirmitas siue passio, & in voluntate malitia.

De ignorantia.

IGNORANTIA, quando tollit scientiam prohibentem actum peccati, causa est eiusdem, nam si scientia esset, peccatum nõ committeretur. Est autem triplex ignorantia. Inuincibilis siue iusta, quæ à Doctoribus canonum, dicitur probabilis. Affectata, & Crassa, siue supina.

Quid ignorantia inuincibilis.

Inuincibilis ignorantia est, quando quis ignorat, quod non potuit scire: vel si potuit, non

non tenetur ſcire, & talis non eſt peccatum ſed excuſat à peccato.

Quid affectata. Affectata eſt, quando quis ignorat ea, q ſcire tenetur, ex electione, vt liberius pecc vel vt habeat cauſam excuſationis, de hac Pſalm. Noluit intelligere vt benè ageret. H ignorantia peccatum eſt, & auget rationem peccati, propter maiorem voluntatis com

Quid craſſa ſiue ſupina. Craſſa ſiue ſupina, quando quis ignorat quod facili negotio ſciri poteſt, & homines plurimum ſui ordinis ſciunt.

Quando ignorantia vinci poteſt, & eſſe rum, quæ quis ſcire tenetur, eſt peccatum. *1.Cor.14.* Scriptum eſt enim, Ignorans ignorabitur. Dauid, ignorantias meas ne memineris Domine. Quod ſi ignorantia non antecedat, ſed conſequitur, peccatum non diminuit, neque auget, ſed impertinens eſt. Ignorantia autem antecedens, niſi ſit affectata, cæteris paribus ſemper diminuit peccatum, vt patet ex Euan *Luc.12.* gelio. Seruus qui neſcit voluntatem ſui domini, & facit digna plagis, vapulabit paucis. Sciens autem & peccans, multis.

Si quis roget. Quæ homo tenetur ſcire ad hoc vt non peccet?

RESPOND. ſecundum S. Thom. 1. 2. q. 76. artic. 2. Omnes tenentur ſcire communiter ea, quę ſunt fidei, & vniuerſalia iuris praecepta: Singuli autem ea, quæ ad eorum ſtatum & officium ſpectant.

De peccato ex Paſsione.

PECCATVM ex paſſione dicitur ex infirmitate, ad ſimilitudinem infirmitatis corporis, quod infirmum eſt, quando ob inordinationem membrorum, in ſuis actibus impeditur, vel debilitatur. Sic anima infirma eſt, quando in operatione ſua impeditur, vtpote quia partes rationis ordini non ſubſunt.

Quando itaque appetitus concupiſcibilis, aut iraſcibilis, extra ordinem rationis aliqua paſſione trahitur, peccatum ex infirmitate denominatur. Ad hanc cauſam reducitur amor ſui ipſius. Omnes tandem paſſiones cõcupiſcibilis, & iraſcibilis, referuntur tanquam in cauſas ad concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ. Paſſiones autem peccatum præcedunt, aut ſequuntur. *Quare peccatum ex infirmitate dicatur.*

Paſſiones præcedentes, quo ſunt fortiores, eo magis malitiam diminuunt: Quia voluntarium, quod de ratione peccati eſt, extenuant. *Quædam paſsiones peccatum præcedunt,*

Paſſiones ſequentes, quo vehementiores ſunt, eo magis aggrauant; quia ſunt ſigna promptioris voluntatis. Si antem paſſiones tam vehementes ſint, vt planè tollant voluntarium, totaliter excuſant à peccato: alias à tanto, & non à toto: Quando autem quis ſua culpa in paſſiones incidit, tunc culpæ cauſa examinanda eſt. *quædam ſequuntur.*

De

De peccato ex malitia.

Quid sit peccare ex malitia.

PECCARE ex malitia nihil aliud est, qu peccare ex scientia, electione, industria habitu. Hoc peccatum grauius est eo, quod passione proficiscitur, cum sit maximè volu tarium, diuturnius, & ex peiori dispositio

De circumstantijs peccatorum.

CIRCVMSTANTIARVM cognitio, tu necessaria est Theologo & confessar benè S. Thom. tradit 1.2.q.7.art.2. Idem p ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. & cap. Con ret, de pœnit. d. 5. Latius ergo de circumst tijs hîc agendum.

Quid est Circumstantia?

Quid circumstantia sit.

EST accidens, vel conditio extra subs tiam actus humani, ipsum tamen al modo attingens. Ea enim quærem circu stant, aliquo modo attingunt.

Quot sint circumstantiæ.

Septem sunt circumstantiæ positæ ab A 3. Ethic. cap. 1. quas ad propositum S. Th adducit in 1. 2. quæst. 7. art. 2. & Theolog 4. d. 16.

Compræhenduntur breuiter, hoc vers

Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quom Quando.

Ad maiorem intelligentiam, Quando citur, Quis; non intelligitur agens princ le

le operationis, ſed conditio, vel accidens operantis, e.g. quod Petrus peccans ſit monachus, Sacerdos aut miles, &c. Quid; etiam non eſt obiectum principale, à quo actus ſumit ſpeciem, ſed conditio extrinſeca obiecto, vt furari alienum, alienum non eſt circumſtantia, ſed obiectum; Verum furari in Eccleſia alienum, locus eſt circumſtantia; Vbi namque denotat circumſtantiã loci: Quibus auxilijs: vt ſi quis ſuperſtitione, vel incantatione velit recuperare ſanitatem, & maleficium ſoluere per miniſterium malefici. Cur; eſt circumſtantia finis, vt ſi quis eleemoſynam det ad vanam gloriam. Quomodo: diligenter, vel negligenter, ex induſtria, vel ignorantia, &c. Quando: pertinet ad tempus actioni accommodatum.

Dices. Quare, Quoties, id eſt numerus, non refertur inter circumſtantias?

QVIA numerus peccatorum non eſt circumſtantia, ſed additio peccati ad peccatum, circumſtantia enim verſatur circa eundem actum; at numerus diuerſas facit operationes, & multiplicat: Secundum enim furtũ non eſt circumſtantia primi, ſed aliud diuerſum peccatum eiuſdem ſpeciei. *Numerus non eſt circumſtantia, ſed additio peccati noui.*

Circumſtãtiæ diuiduntur in primis in mutantes ſpeciem, & non mutantes.

Speciem mutant, quæ vltra malitiam eiuſdem operis, habent ſpecialem repugnantiam *Circumſtãtia, aut*

mutant speciem, aut non.

cum ratione: Vel diuersis specialibusque p-
ceptis prohibentur, præter actum princip-
exempli gratia, furari in loco sacro, furari p-
hibetur præcepto. Non furaberis, Circu-
stantia etiam loci sacri, alio præcepto prohi-
betur. Circumstantiæ mutantes speciem,
necessitate in confessione sunt aperiendæ
saluetur integritas, ex Concilio Trident.
cit. & communi Catholicorũ consensu. Qu-
dam non mutant speciem, sed peccatum
eadem specie, vel augent, vel diminuunt,
quis diues furetur nulla pressus necessitate
iuuenis victus libidine admodum form-
mulieris, fornicetur. Aliæ adhuc sunt circu-
stantiæ, quæ neque augent, neque diminuu-
sed sunt impertinentes: vt si quis rapiat m-
dextra, vel sinistra: Percutiat clericum a-
vel post meridiem, sic de similibus.

Nunc quædam sunt ponendæ Regu-
quibus declarandum, quando circumstan-
mutent speciem, ita vt de necessitate in co-
fessione manifestandæ.

Prima. Quando obiectum est bonum
genere suo, & circumstantia finis mala, ad
est in specie mali, & tunc si finis sit mortal
actus erit mortalis: vt si quis det eleemosyn
ad quærendum occasionem fornicandi: Si
rò circumstãtia finis, venialis, actus erit ve
lis, vt si quis det eleemosynam propter
vanam gloriam.

Secunda. Si obiectum sit malum, & finis bonus, vt si quis furetur, ad pauperibus subueniendum, actus est in specie mali, quia bonum constat ex integra causa; malum autem ex singularibus defectibus.

Tertia. Quando circumstantia dicit nouam deformitatem, comparata ad rectam rationem: vel diuersa lege prohibetur, Constituit nouam peccati speciem: Sic circumstantia loci sacri mutat speciem, quando est peccatum furti, vel fornicationis, vel violenta sanguinis humani effusio, quia peculiariter hæc in canonibus sunt prohibita: Sic etiam ferendum iudicium, si persona Deo consecrata fornicetur, vel occidat, &c.

Quarta Regula. Omnis circumstantia, quæ mutat actum de bono in malum, tribuit nouam speciem, iuxta doctrinam S. Thom. 1. 2. q. 18. art. 3. ad 4. Circumstantia enim non faceret actum de bono malum, nisi rectæ rationi repugnaret.

Dicet quispiam contra dicta in tertia regula, Quomodo non mutatur species, si quis in Ecclesia irascatur, vel mentiatur in perniciem alterius. Item si religiosus mentiatur aut irascatur, &c. Respondetur ex mente Caietan. 1. 2. quæst. 7. art. 1. & Nauarr. in cap. Consideret, de pœnitent. d. 5. quod circumstantia loci sacri, quamuis omnia peccata per accidens grauet, illa tamen sola in sacrilegium con-

Quare circumstãtiæ Loci sacri, in furto, fornicatione, &c. tra

hic peccatum in aliam speciē, & non in ira, odio, mendacio, &c.

conuertit, quæ loci sanctitati directè oppo-
nuntur, aut his quæ annexa sunt immunita-
At huiusmodi non sunt ira, inuidia, menda-
um, &c. in Ecclesia commissa, sed alia in ter-
regula enumerata. Sic etiam circumstan-
personæ non transfert in aliam speciem, a
peccatum voto, vel statui eius directè aduer-
tur, vt si religiosus fornicetur, committit
crilegium, si autem irascatur, solius ire reus

Dubium. *Quid de circumstantia sacri temporis*
etiam mutet speciem? vt si quis fornicetur
die Dominico.

Circumstantia sacri temporis, regulariter non mutat speciem peccati.

QVAMVIS viri in Theologia doctiss
teneant affirmantem partem, inclinan
tamen in negantem, cum communiori
tentia, quod licet circumstantia sacri tempo-
ris aggrauet in eadem specie, non tamen tra-
hat in alienam differentem, nec etiam de ne-
cessitate est in confessione aperienda. Sic tenet
Caietan. 1. 2. loc. cit. & 2. secundæ, quæst.
art. 4. Sylvest. in verb. Circumstātia, & in verb.
Dies Dominica. Dominicus à Soto lib. 1.
iustitia & iure. quæst. 4. art. 4. Nauarr. in m
nuali cap. 6. num. 10. & in d. cap. Consider
latè à num. 21. Iosephus Angles in flori
Theolog. qq. in 1. part. in 4. sentent. in q.
Confessione, difficultate 5. & alij alibi. Si q
tamen in die festo peccaret in contempt
temporis sacri, esset circumstantia aperien

Ad

Addo etiam cum Bartholomæo à Medina 1.2. q.8. artic. 3. Circumstantiam temporis adeò aliquando augere peccatum, vt necessariò sit in confessione explicanda, vt si quis in die parasceues grauissimè offendat, aut in die sacræ communionis adulteretur, quia huiusmodi circumstantia comparata ad rectam rationē, grauissimam haberet adiunctam deformitatem.

CAPVT IV.

DE COMPARATIONE PECcatorum ad inuicem, & effectibus peccati.

CVM secundum fidem Catholicam contra Stoicorum, & Ciceronis doctrinam in paradoxis, & Iouiniani hæresin, peccata nō sint paria, sed alia alijs grauiora, videndum de grauitate peccatorum vnde sumenda sit.

Quæ mensura sit humanarum actionum.

In primis præsupponendum, mensuram perfectionis humanarum actionum esse lumē rationis, & sic quanto magis humana actio consentanea est rationi, tanto perfectior, & à contrario, quāto minus accedit ad rationem, tanto imperfectior & deterior, peccatum autem minus accedit ad lumen rationis, quando perfectiori fini repugnat, & in imperfectius

obiectum fertur. Ex quo fundamento sequitur, grauitatem peccatorum mutari secundũ varietatem obiectorum. Sic cæteris paribus, grauiora sunt peccata, quæ committuntur in Deum, vt infidelitas, blasphemia, odium Dei, hæresis, &c. eis quæ in creaturam perficiuntur. Peccatis in Deum immediatè commissis in grauitate succedunt, quæ sunt contra humanitatem Christi, vt indigna communio, &c.

Grauitas peccati mutatur secundũ varietatem obiectorũ.

Inter ea, quæ in proximum diriguntur, maiora sunt quæ animæ saluti aduersantur, eis quæ corpori inferuntur: quia anima corpore dignior: Sic cæteris paribus, grauiora sunt spiritualia carnalibus: quia illa in Deum, & proximum, hæc in proprium corpus, quod minus bonum est, exercentur. Ex eodem capite augetur peccatum, secundum dignitatẽ personæ, in quam peccatum committitur. Grauius enim est conuicium coniectum in Imperatorem, quam in militem. Hinc etiam deducitur grauius esse peccatum, quod excellentiori virtute directè opponitur, quia bonitas sumit etiam specificationem ab obiecto.

In peccatis, quæ in proximum committuntur maiora sunt, si cætera sint paria, quæ maius nocumentum inferunt, maximè si intentum & præuisum sit. Nocumentum autem tanto maius est, quanto maior bonum aufertur. Cum autem triplex sit bonum. Animæ, Corporis, & Exteriorum rerum, ex inæquali-

qualitate horum bonorum, inæqualitas nocumenti commensuranda est. Bonum animæ non potest, nisi occasionaliter tolli per persuasionem, quæ necessitatem non infert. Alia bona, violentia possunt auferri. Præstant autem corporis bona exterioribus: Qua ratione, homicidium grauius furto, vel rapina, & inter res exteriores, melius nomen bonum, quàm diuitiæ multæ, quo pacto detractio grauior furto simplici.

Bonũ triplex, & quod præstantius.

Aggrauatur etiam peccatum ex causis: quæ vel iudiciũ rationis, vel liberæ voluntatis motum impediunt, diminuunt: quæ promouẽt, aggrauant: Sic maius est peccatum ex malitia, quam ex passione, & peccatum ex passione maius eo, quod ex ignorantia, & peccatum ex consuetudine his omnibus grauius. De hac materia legendi S. Thom. 1.2. quæst. 73. & 2. 2. quæst. 73. art. 3. & in 3. part. quæst. 80. artic. 5. Caietan. in locis. S. Thom. & Bartholomæus Medina ibidem in 1.2. & in 3. part.

De effectibus peccati.

LOQVIMVR de peccato mortali.

1. Tollit vitam animæ, scilicet gratiam, & infert mortem. Stipendium, ait Apostolus, peccati mors est.

2. Animam macula inficit, hinc in Psalm. Beati immaculati in via, &c. & Beatus dicitur vir, qui inuentus est sine macula; Hæc macula nihil

Macula peccati quid sit.

nihil aliud est, quàm priuatio nitoris, qui erat in anima ex lumine gratiæ, & virtutum ornamentis.

3. Bonum naturæ diminuit, id est, inclinationem & promptitudinem ad virtutes.

4. Excæcat intellectum, & vulnerat potentias alias hominis.

5. Nocet corpori, vnde Apostolus, 1. Cor. 11. de indignè communicantibus. Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Christus in Euangelio, iam sanus factus es, noli amplius peccare, ne deterius quid contingat.

6. Reddit hominem Deo exosum. Altissimus odio habet peccatores.

7. Facit seruum Diaboli: A quo quis superatus est, eius & seruus est.

8. Efficit reum æternæ pœnæ. Præter hos sunt multi alij effectus, qui varijs methaphoris, similitudinibus, ac sententijs in sacris literis depingũtur. De effectibus peccatorum legendus S. Thom. 1. 2. à. q. 85. & Commentatores eius ibidem.

CA-

CAPVT V.

DE GRADIBVS, QVIBVS AD peccatum peruenitur, & de peccato cogitationis.

TRES sunt huiusmodi gradus. Suggestio, Delectatio, & Consensus. Hi gradus ducuntur ex tentatione primorum parentum. Tria hæc, inquit Augustin. similia sunt illi rei gestæ, quæ in Genesi scripta est, vt quasi à serpente fiat suggestio, & quædam suasio. In appetitu autem carnali tanquam in Eua delectatio: in ratione tanquam in viro consensio: De his latius Magister lib. 2. sentent. d. 24. cum Doctoribus.

Lib. 1. de serm. Domini in mõte, cap. 23. & lib. 12. de Trinit. cap. 12.

Suggestio est, dum à mundo, carne, aut diabolo cogitatio siue tentatio offertur, vel obijcitur. Delectatio, quando placet & delectat id, quod suggestum est: Quando enim suggestio facta est, tunc sensualitas mouetur & incipit delectari, præcipuè in carnalibus, quæ facilius mouent hominem exteriorem. Consensus autem est, quando voluntas delectatione rei suggestæ inducta, & allecta, consentiendo determinat faciendum, & tunc peccatum in mente perficitur, etiãsi non procedat in opus. Nunc breuiter de his gradibus agendum.

Quid suggestio, delectatio, & consensus.

An omnis tentatio sit peccatum?

NON loquimur de tentatione actiua, quæ in suggerente est, nam hæc cum ad fallendum instituta sit, mala est, sed de passiua quæ recipitur à tentato.

Tentatio à Dæmone, vel mundo obiecta, nõ semper est peccatum.

Si agamus de ea tentatione, quæ à Dæmone, vel mundo obijcitur, non semper est peccatum, quia in tentationibus est locus victoriæ, & meriti: Dum enim viriliter resistimus, coronamur. Quod si autem de tentatione carnis agamus, difficillimum est iudicare quãdo incipiat esse, vel sit peccatum veniale: Quia quidam existimant, vt vocant, motus primo primos esse veniales, Alij negant. Deinde ad omne peccatum etiam veniale, aliqua libertas requiritur: At quis in his motibus tam oculatus, qui perspicere possit, quando libertas sit sufficiens ad veniale, vel non? Quando autem motus carnis ex imaginatione, vel apprehensione sensus oriuntur, vt plurimum non transeunt, sine culpa veniali. Homo enim facillimè ponit causam, vel non præcauet, quando potest: & minima libertas ad veniale etiam sufficiens est.

De cogitatione.

Homo in cogitatione quatuor se modis

QVATVOR modis homo se potest habere, quando mala cogitatio obijcitur. *Primo*, vt statim resistat cogitationi repellendo, & tunc culpa nõ est, sed meritum, *Secundo*

vt

vt non statim resistat, sed paululum immoretur sine plena deliberatione, & tunc est peccatum veniale. *Tertio*, ita vt placeat cogitatio, & velit opere complere id, in quo delectatur, tunc si est peccatum mortale res, quam cogitatione voluit, cogitatio etiam est mortalis, & eiusdem speciei cum operatione, quia interior voluntas aliquid faciendi, & actus exterior ei respondens, sunt vnum peccatum iuxta S. Thom. 1.2. quæst. 20. art. 4. *Quarto*, ita vt non velit opere perficere peccatum cogitatum, delectatur tamen in ipsa cogitatione aduertenter, & deliberatè, & tunc si res cogitata, in qua delectatur est mortalis, ipsa delectatio etiam erit mortalis: Si venialis, venialis etiam erit delectatio, & à Theologis dicitur delectatio morosa. *habere potest.*

De delectatione morosa.

DELECTATIO morosa est, quando homo voluntariè delectatur, in aliquo actu malo sine proposito, & voluntate eum perficiendi. Dicitur morosa propter moram, quã facit ratio in ea expellẽda, vel quia homo animaduertit se delectari, & adhuc moram trahit in delectatione.

Ad hoc vt talis delectatio mortalis sit, quatuor requiruntur conditiones. *Quatuor requirũtur ad hoc, vt delectatio*

Prima. Vt actus, de quo habetur delectatio sit mortalis, verbi gratia, de fornicationis

aut

morosa sit mortalis.

aut vindictæ actu, &c. *Secunda.* Vt cum deliberatione animaduertat, se delectari in huiusmodi cogitatione. *Tertia.* Vt non resistat repellendo, vel reprimendo. *Quarta.* Vt absque rationabili causa, omittat eam à se reijcere. De hac materia legendi S. Thom. 1.2. q. 47. art. 8. Caietan. in summa. verb. Delectatio morosa. Nauarr. in Manuali, cap. 11. num. 12. Sed notandum ex S. Thom.

Primo. Quod delectatio duobus modis potest esse, vel de cogitatione, vel de re cogitata, verb. gratia, de fornicatione. De cogitatione, quia anima naturaliter delectatur in inueniendo, & conferendo, quando noua occurrunt circa obiectum, & talis cogitatio potest esse venialis, quando est otiosa & inutilis: quandoque meritò coniuncta, quando quis cogitat ad docendum alios, vel vt melius intelligat ad rectius discernendum.

A quibus committatur peccatum morosa delectationis.

Secundo, Peccatum morosæ delectationis non tantum solet comitti à benè dispositis, sed etiam ab eis, qui consuetudinem ducunt in peccatis, quique semper parati essent ad complendum peccatum in opere, nisi infamia, & humanus respectus prohiberent. Quilibet autem facilè peccat morosa delectatione in illa materia, in quam animus multum inclinatur: quia vt benè S. Thom. loc. cit. docet, quod aliquis consentiat in talem delectationem rei cogitatæ, hinc prouenit, quia nullus dele-

delectatur nisi in re, quæ est conformis suo appetitui. Vnde homo carnalis facilè cadit in delectationem peccati carnis. Iracundus in materia iræ, vindictæ, percussionis, &c. Superbus circa ambitionem honoris, &c.

Dubium. *An sit peccatum morosæ delectationis, delectari in visione pulchræ mulieris?*

RESPONDETVR. Si delectatio est de opere bono, est bona: Si de malo, mala. Vnde visus pulchræ mulieris, si est coniunctus libidine ad concupiscẽdum, delectatio est mala iuxta doctrinam Christi: qui viderit mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus est eam in corde suo: Si autem aspectus sit honestus, delectatio etiam de tali aspectu erit honesta, nisi accedat periculum libidinis. Quia delectatio trahit suam bonitatem, & malitiam, ab obiecto circa quod versatur. Idem iudicandũ est de tactu. Hinc infero cum Nauarro in capit. Si cui, de pœnitent, d. 1. num 11. non peccare mortaliter illum, qui tangit, nisi tactus fiat in secretioribus, aut videt pulchram mulierẽ causa vanitatis, leuitatis, aut curiositatis, &c. Si non dirigantur hæc ad libidinem carnalem, vel delectationem veneream; Si autem oscula, tactus, visus, & similia ordinentur in turpem amorem, & libidinem, peccata sunt mortalia, nisi contingant inter coniuges cum debitis circumstantijs. Longiorem qui quærit doctrinam

Matth. 5.

Quando oscula, tactus, & visus, sint peccata mortalia.

nam, legat Summiſtas in verb. Cogitatio, & Delectatio moroſa: Hæc pro introductione ſufficiunt.

CAPVT VI.

DE DIVISIONE PECCATI IN ſeptem capitalia, de ſuperbia & eius filiabus.

SEPTEM ſunt peccata quæ capitalia nominantur, & memoriæ cauſa continentur dictione, Saligia, & ſunt hæc. Superbia, Auaritia, Luxuria, Ira, Gula, Inuidia & Acedia. Capitalia nominantur, quia alia ex his oriuntur. Diuiduntur in Carnalia, & Spiritualia. Carnalia ſunt, quæ perficiuntur in delectationibus carnis, vt luxuria & gula. Spiritualia, quæ cõplentur in appræhenſione animæ, & delectationibus ſpiritualibus, vt ſunt reliqua quinq;

Vnde peccata capitalia nominentur, & quomodo diuidãtur.

De ſpeciebus Superbiæ.

QVATVOR ſunt ſpecies ſuperbiæ ex S. Gregorio lib. 23. moral. cap. 7.

Prima. Cum bonum, quod arrogantes habent, à ſeipſis habere exiſtimat.

Secunda. Quando ſibi datum deſuper credunt, ſed proprijs meritis accepiſſe putant.

Ter-

Tertia. Cum iactant se habere, quod non habent.

Quarta. Cum despectis cæteris, singulariter videri appetunt habere, quod habent. His quatuor superbiæ speciebus, vt tradit Fulgentius, Diabolus velut quadrigis vehitur, & ad gehennam miserorum, quibus insidet, mortifero cursu raptatur.

Quot sunt filiæ superbiæ?

OCTO. Inanis gloria, Inobedientia, Iactãtia, Hypocrisis, Contentio, Pertinacia, Discordia, & Nouitatum præsumptio.

De vana Gloria.

SICVT superbia est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, ita vana gloria est inanis manifestatio talis excellentiæ apud homines. Vanæ gloriæ appetitus, est inordinatus, vel ex parte rei, cum quis quærit gloriam de eo, quod non est, vel non est gloria dignum: vel ex parte eius, à quo quis gloriam quærit, scilicet hominis, cuius iudicium non est certum: vel quando quis gloriam appetit, & non refert in debitum finem, scilicet in honorẽ Dei, & salutem proximi. Ex his capitibus mortaliter peccat, qui gloriatur in peccato, vel concionator, qui non vult dicere veritatem, quando tenetur, ne amittat gloriam hominum. In eodem gradu est iudex, qui ne per-

Quibus modis peccatur vanæ gloriæ com-

perdat nomen ſuum apud magnates, iudicat contra iuſtitiam. Accedunt his, qui orationes dicunt, aut eleemoſynas dant, principaliter ob vanam gloriam.

Qnid ambitio ſit.

Ad vanam gloriam referri poſſunt ambitio & præſumptio. Ambitio eſt appetitus inordinatus honoris, & eſt peccatum mortale, quando quis appetit honorem de excellentia, qui non habet, vel de re, quæ eſt peccatum mortale, vel ponit in honore vltimũ finem; ſic peccant mortaliter, qui Eccleſiaſticas ambiunt dignitates, vel beneficia curata, quibus ſunt indigni ratione ſcientiæ, aut alterius defectus. Hic enim notandum Ariſtotelis documentũ approbatum à S. Thom. 2. 2. quæſt. 132. art. 1. ad 3. Illi qui ſolum propter honorem, vel bona faciunt, vel mala vitant, non ſunt virtuoſi.

3. Ethic. cap. 8.

Præſumptio quid.

Præſumptio, vt hoc loco de ea agimus, eſt appetitus inordinatus eorum, quæ vires noſtras; vel merita excedunt, & eſt peccatum mortale, ſi ex ea ſequatur aliquid, in notabilem irreuerentiam Dei, aut damnum proximi ſpirituale, vel corporale: Sic peccant qui præſumunt exercere aliquod officium, quod neſciunt, vt cum quis vult audire confeſſiones ſine ſufficienti ſcientia, agere medicum ſine arte, cauſis patrocinari abſque iuris ſcientia. Eodem peccato peccãt, qui vſurpant iuriſdictionem, quam non habẽt in abſoluendo, vel diſpenſando. Inobedientia, eſt, quando homo non

Quomodo præſumptione peccatũ committatur.

non vult exequi superioris præscriptum in eo, in quo est superior. Inobedientia peccat aliquis mortaliter, quando deliberato animo, præcepto superioris iusta, & recta præcipientis, non vult subdi, cum superior intendit obligare ad mortale. Qui enim potestati resistit, diuinæ ordinationi resistit: Si autem superior aliquid præciperet contra præceptũ Dei, Ecclesiæ, aut superioris in altiori ordine constituti, non esset obediendum, quia in his casibus non est superior. De hac re legendus S. Bernardus in tractatu de præcepto & dispensatione cap. 12. *Rom. 13.*

Iactantia, est manifestatio propriæ excellentiæ per verba, quando quis se extollit supra id quod est, vel supra id quod alij de eo opinantur: quo ad actum exteriorem est species mendacij, & sic iudicium ferendum secundum naturam mendacij, quod perniciosum, iocosum, & inofficiosum esse potest: Quantum autem ad actum interiorem, est filia superbiæ. Si iactantia sit contra gloriam, aut reuerentiam Dei, aut charitatem proximi, est mortalis, aliàs solum venialis. *Quando iactantia mortalis, vel venialis.*

Præsumptio, siue inuentio nouitatum, est directa manifestatio propriæ excellentiæ per verba, vel res habentes aliquam admirationem: homines enim admirantur noua, & insolita: Est mortalis, quando est in contemptum diuini cultus; aut damnum notabile

proximi. Sic peccant, qui nouas & insolitas procurant vestes, quibus alios ad libidinem prouocant, vel quibus vtantur in contemptũ religionis. Item qui magnificas supra suum statum procurant vestes, vel epulas, non soluendo debita, ad quæ tenentur.

Curiositas quid.

Ad præsumptionẽ proximè accedit curiositas, quæ est appetitus inordinatus sciẽdi, siue per intellectũ, siue per sensum, & cõmuniter est venialis, ex adiunctione tamen circumstantiarum potest fieri mortalis, vt si quis vellet scire ad finem mortalem, aut per media mala: vt artes magicas, aut à quibus non licet, vt à Dæmonibus, aut appetat scire periculosa, vt legere libros hæreticos: aut si curiositate adductus negligat ea, quę tenetur ratione officij, aut status scire, & sic de similibus.

Hypocrisis quãdo mortalis sit.

Hypocrisis est, quando quis per falsa facta, vel signa exteriora, simulat se habere, quod non habet: aut aliquid quod habet, significat se excellentius habere, quam habeat. Est mortalis, quando quis vult videri sanctus, & non curat habere sanctitatem, & sic in sacris literis, vt plurimũ sumitur, quando dicitur, væ vobis hypocritæ: Si autem hypocrisis, sit solùm simulatio sanctitatis, tunc eius malitia attendenda est ex fine: Si finis repugnet charitati Dei, vel proximi, erit mortalis, vt si quis simulet sanctitatem, vt falsam doctrinam seminet: vel vt adipiscatur Ecclesiasticam

ſticam dignitatem, qua indignus eſt: Alias eſt venialis.

Pertinacia eſt, quando homo ad oſtentandum ſuum iudiciũ, in propria perſeuerat ſententia, nolens credere meliori. Eſt mortalis, quando in rebus fidei, vel ſpectantibus ad bonos mores, aliquis pertinax eſt contra communem Doctorum ſententiam, vel Eccleſiæ auctoritatem: aut eſt in notabile damnũ proximi: alias in rebus leuibus eſt venialis.

Diſcordia eſt, quando quis non vult à propria voluntate diſcedere, vt alijs concordet: Eſt enim ſignum ſuperbiæ, quando quis vult ſua alijs præferre. Eſt mortale peccatum diſcordia, ſi quis ſcienter, & ex intẽtione diſcordet à proximo, circa doctrinam pertinentem ad charitatem Dei, vel ſalutem propriam, aut alienam.

Contentio, eſt inordinata contrarietas in locutione, quando contendentes aliqui ex hoc, quod vnuſquiſque verbo, id quod ſibi videtur, defendit. Eſt mortalis, ſi quis impugnet ſcienter veritatem, quia eſt mendacium perniciosum contra honorem Dei, & ſalutem proximi: vel ſi fiat ita inordinatè vt proximus ſcandalizetur. Vnde Apoſtolus. Noli contendere verbis, ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium: Si quis autem honeſtæ, & vtilis exercitationis gratia contendat, vt fit in ſcholis, nullum eſt peccatum, 2. ad Timoth. 1.

tum, nisi fiat excessus in modo, ad scandalum tendens.

Quoniam confessarius cognitionem etiam habere debet remediorum contra peccata, vt remedia contra Capitalia peccata in promptu habeat, peccatis ea subijciemus.

Remedia contra superbiam & eius exercitium.

Quinq; remedia ex S. Bernardo contra superbiam.

D. BERNARDVS in sermonibus paruis serm. 3. Sunt quinq;, ait, quæ ad remedium tam mortiferæ pestis à Domino rationali animæ sunt posita. Locus, corpus, tentatio Diaboli, prædicatio Christi, & eius conuersatio. Locus, quia exilium: Corpus, quia onerosum: Tentatio, quia inquietat, Christi prædicatio, quia ædificat, & eius conuersatio, quia informat. Ad reprimendum superbiam plurimum faciunt, quæ hominem propriæ infirmitatis admonent. In sacris literis vocamur terra, caro, fœnum, cinis, sanguis, flos, vmbra, fumus, &c. quæ imbecillitatem & miseriam humanam exprimunt. Vide S. Thomam 2.2. quæst. 162. artic. 6. ad primum.

CAPVT VII.

DE AVARITIA.

Vide S. Thom. 2. 2.

AVARITIA est appetitus inordinatus diuitiarum: Dupliciter auaritia accipitur. Vno

Vno modo, vt ſignificat inordinatum appetitum diuitiarum, quo aliquis acquirit pecunias, vltra debitum aliena retinendo, vel rapiendo, & ſic eſt contra iuſtitiam, & ad hoc auaritiæ genus ſpectant rapina, fraus in emptione & venditione, furtum, &c. Alio modo, ſignificat immoderatum appetitum circa interiores affectiones diuitiarum, vt quis nimis amat, aut deſiderat diuitias, aut eis delectatur, & ſic opponitur liberalitati, & quando hic amor in tantum creſcit, vt ex amore diuitiarum non vereatur contra amorem Dei vel proximi facere, eſt peccatum mortale.

quæ. 118. art. 2. Auaritia dupliciter accipitur.

Ex auaritia vitio capitali hæ generantur filiæ. Proditio, Fraus, Fallacia, Periurium, Inquietudo, Violentia, & contra miſericordiam obduratio.

Gregor. 3. moral. capit. 37.

Proditio, eſt dolus, qui committitur in opere, quo ad perſonas, vt patet de Iuda, qui ex auaritia prodidit Chriſtum.

Fraus eſt, quando deceptio committitur facto quo ad res.

Fallacia eſt, quando quis doloſis verbis decipit proximum, vel retinendo, vel acquirendo aliena.

Periurium, quando auarus addit confirmationem iuramenti, vt dolo aliena acquirat, vel retineat, hoc mercatoribus familiare eſt. Violentia, qua aliena vt acquiruntur: Hæ auaritiæ filiæ, quando notabiliter tendunt in

damnum proximi, ſunt peccata mortalia, & quia læditur iuſtitia, naſcitur obligatio reſtitutionis pro quantitate damni illati.

Inquietudo mentis, oritur ex auaritia, & eſt inordinata ſolicitudo, qua homo torquetur, vel in acquirendo, aut conſeruando diuitias. Quare in Euangelio, diuitiæ ſpinæ nominantur, quia curis pungunt mentem poſſidẽtis. Eſt communiter peccatũ veniale, niſi quis ratione talis inquietudinis omittat aliquid, ad quod obligatur ſub peccato mortali.

Obduratio cordis, eſt contra miſericordiam, quando cor auari non emollitur, vt diuitijs, pauperum neceſſitati ſubueniat, & eſt pecccatũ mortale, quando quis de præcepto tenetur ſubuenire, & non facit, de quo dicetur infra de eleemoſyna.

Remedia contra auaritiam.

PRIMVM, Comminatio ſcripturæ, quæ toties væh minatur diuitibus, & auaris, Eſaiæ 5. Abac. 2. Amos 6. Lucæ 6. Iudæ 2. &c.

1. ad Timoth. 6. *Secundum*, Conſideratio periculi. Qui volunt diuites fieri incidunt in laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia, &c. Radix omnium malorum eſt cupiditas. Ad idem referri poteſt difficultas ſalutis. Facilius eſt Camelum pertranſire foramen acũs, quàm diuitem intrare regnum cœlorum.

Tertium, Memoria paupertatis Christi, vnde D. Bernard. Magna abusio, & nimis magna, quod diues velit fieri vermiculus, pro quo Deus Maiestatis pauper fieri voluit.

Quartum, Mortis meditatio. Facile ait, Hieron. contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum.

Quintum, Consideratio æternarum diuitiarum. Gregor. Vilescunt temporalia, cum considerantur æterna. Alia passim habentur apud Doctores.

CAPVT VIII.

DE LVXVRIA.

LVXVRIA, est appetitus inordinatus libidinosæ, & carnalis voluptatis; dicitur inordinatus, quia potest inter coniuges esse ordinatus. Luxuria ex suo genere est peccatum mortale. Ad Galath. 5. numeratur inter opera carnis, de quibus dicitur, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Quot sunt species luxuriæ?

SEx: Fornicatio, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, & vitium contra naturam.

De simplici fornicatione.

FORNICATIO, est inordinatus vsus venereorum soluti cum soluta. Aduertendũ non solum debent esse soluti à Matrimonio, sed etiam à cognatione, affinitate, ordine sacro, religione, & voto, si alter eorum aliquo horum sit ligatus, alia grauior species consurgit. Fornicatio est peccatum mortale, 1. Corinth. 6. Ephes. 5. & ad Galat. 5. excludit è regno cœlorum.

De Stupro.

STVPRVM est, quando virgo defloratur, & virginalis integritas corrumpitur. Hoc peccatum grauius est simplici fornicatione: tum quia puella impeditur à legitimo Matrimonio consequendo: tum quia ponitur in via meretricandi, propter amissum virginitatis signaculum: his accedit, quia etiam parentibus virginis irrogatur iniuria, qui eius solicitudinem gerunt. Notandum hic ex Caietan. 2.2. quæst, 154. artic. 6. Si masculus confiteatur de luxuriæ peccato, non est opus quærere, si erat virgo, quia vt stuprum committatur, exigitur, vt mulier sit virgo.

An qui virginem stupro affecit, teneatur ad aliquam restitutionem, & ad quid?

IN primis certum est, quod qui dolo, fallacia,

cia, vel deceptione virginem corrupit, teneatur ad restitutionē, vt patet Exodi 22. & Deuteronom. 22. & habetur cap. 1. & 2. de adulter. & stupro. Si autem virgo sponte se obtulit, aut leuiter rogata consensum præbuit, in foro cōscientiæ non tenetur ad aliquam restitutionē, quia scienti & consentienti non fit iniuria, c. Scienti. de regulis iuris lib. 6. In foro tamen exteriori decepta præsumitur, & sic eam tenetur dotare, & in vxorem ducere. ex d. c. 1. & 2. & DD. ibidem. Qui autem importunis precibus, aut falsis promissionibus decepit virginem, in foro conscientiæ, aut tenetur in vxorem ducere, aut ita componere cum ea, vt contenta maneat: Si quis autem ad decipiendum promittat virgini, quod eam in vxorem ducet, tenetur ad explenda promissa, tam in foro interiori, quàm exteriori, nisi inter eos sit notabilis inæqualitas: vt si vir potens aut diues, virgo autem infimæ sortis: in tali enim casu præsumptio esset, quod virgo fingeret se deceptam. De hac materia legendi, Canonistæ loc. citat. S. Thom. 2. 2. quæst. 154. artic. 6. ad vltimum. S. Antonin. 2. part. tit. 5. cap. 6. Nauarr. in Manuali capit. 16. à num. 16. Angelus, Syluester & alij in verb. Stuprum. Præter hæc iustum, & æquum est, vt pro iniuria illata satisfiat etiam parentibus virginis, vt docent S. Thom. loc. cit. Caietan. ibidem, & Nauarr. In foro autem exteriori qui virginem seduxit &

Ad quid teneatur, qui virginem stupro affecit.

deflorauit, tenetur eam dotare, aut in vxorem ducere, alternatiuè pro ſua optione, vt ſatis deducimus & probamus in cap.1.de iniurijs,q. 8.concluſ. quinta. Quod ſi autem clericus in maioribus virginem decepit, iuxta Panormitan.in cap.de adult.& alios alibi, cum eam non poſſit in vxorem ducere, tenetur dotare, & ſatisfacere pro verecundia & iniuria illata.

De Raptu.

RAPTVS eſt, ſi quis violenter aliquam virginem contra voluntatem eius opprimat, & patre virginis inuito è domo extrahat, etiam poſt habitam copulam animo ducendi eam in vxorem. Quomodo non poſſit eſſe matrimonium inter raptorem & raptam, vide Concil.Trident.ſeſſ.24.cap. 6.de reformatione Matrimonij.

36.q.2.c. Raptores.

De Adulterio.

In adulterio etiã iuſtitiæ laditur.

ADVLTERIVM, eſt illicitus concubitus quo coniugalis thorus violatur: & committitur adulterium ſiue vna perſona, ſiue vtraque ſit iuncta matrimonio. In hoc peccato læditur etiam iuſtitia: quoniam aliquis accedit ad non ſuam, quare etiam fornicatione grauius eſt.

De Inceſtu.

INCESTVS, eſt conſanguineorum, vel affinium abuſus: & eo grauius hoc peccatum

tum est, quo gradus consanguinitatis, vel affinitatis propinquior, & terminatur inclusiuè in quarto gradu, quia quartus gradus tantum, Matrimonium inclusiuè impedit.

De vitio contra naturam.

VITIVM contra naturam, est omnis inordinata voluntaria effusio seminis extra vas debitum, in ordine ad generationem.

Aduertendum quod propter maximam turpitudinem non conuenit in particulari loqui in vulgo, ne ignorantes doceantur, & multi deducantur in tentationem: sed in foro conscientiæ, Confessarius cognoscere debet veritatem: Nam huiusmodi species in confessione aperiendæ sunt: & quando occasio se offert ad interrogandum, non debet descendere ad actus, & modos singulares, sed quiescere in speciebus propter periculum. Neque etiam hic satis est confitenti dicere, peccaui peccato luxuriæ, sed oportet ad speciem descendere, quia vna species grauior est alia, & in peccato contra naturam sunt gradus. Contingit his modis peccatum contra naturam. *Primo*, Si absque omni concubitu, causa delectationis libidinosæ, pollutio procuretur, & vocatur immunditia, siue mollities. *Secundo*, quando non seruatur naturalis concumbendi modus. *Tertio*, per concubitum ad non debitum sexum: & hoc dicitur pro-

Quibus modis peccatũ contra naturã contingat.

propriè peccatum sodomiticum in sacris literis. Ezech. 16. Genes. 13. Leuit. 18. Roman. 1. 2. Petr. 2. *Quarto*, committitur hoc peccatum ad rem non eiusdem speciei: & hic gradus grauissimus omnium, & vocatur Bestialitas. Cum incubo, aut succubo rem habere, omnes excedit limites. Ad luxuriæ species refertur etiam Sacrilegium, quo diuino cultui deputata violatur, secundum sanctum Thomam 2. 2. quæst. 154. artic. 10. Sic peccatur, quãdo persona Deo consecrata singulari ratione violatur: nec refert an peccans sit religiosus, vel religiosa: quia Deus ita est sponsus animarum virorum qui suam castitatem obtulerunt, quàm fœminarum, quæ idem fecerunt. Ad idem peccati genus spectat, quando in loco sacro, vt in Ecclesia, vel cæmiterio aliquod luxuriæ peccatum committitur. Monasterium tamen, & dormitorium, non sunt loca sacra, quę peccatum carnis ibi commissum sacrilegium efficiant, vt Nauarr. docet in Manuali capit. 16. num. 3.

De tactibus, osculis, amplexibus, visu, chorea, similibus.

DIco primo, oscula, tactus, amplexus, & similes actus imperfecti secundum se, non sunt peccata; quia possunt fieri amicitiæ honestæ gratia, vel secundum consuetudinem patriæ, vt tradit S. Thom. loc. cit. artic. 4. Si autem

tem procedant ex libidine, aut carnali amore, vel ad similes fines referãtur, spectant ad peccatum impudicitiæ, etiamsi carnalis copula non sequatur, & sunt peccata mortalia, si deliberatè fiant. Inter coniuges autem huiusmodi actus, etiamsi fiant libidinosè, nisi accedat periculum pollutiouis extra vas debitũ, sunt veniales, vt tradit Caietan. in summa verb. Matrimonium.

Secundo, Qui recipit, vel mittit literas, aut dona cum intentione impuræ libidinis, vel turpis amoris causa, mortaliter peccat. Syluester verb. Donatio. §. 20. Angelus verb. Interrogationes in confessione circa Sextum præceptum. Nauar. in Manuali cap. 16. num. 13. Et si confessarius inueniat aliquem duci ex literis, vel munusculis in turpem amorem, obligabit vt dona det pauperibus, & literas comburat; quia huiusmodi memoriam libidinis renouare possunt.

Tertio, Chorea, etsi propter circumstantias adiacentes res sit periculosa, ex sua tamen natura non est illicita, sed signum lætitiæ. Sancti autem Patres damnant, propter periculum: Augustin, in Psalm. 31. conclus. 1. & in serm. 231. de tempore. & Ambros. in libr, de Helia & Ieiunio, capit. 18. licitæ autem sunt choreæ, quãdo fiunt debito tempore, cum honestis personis, honesto modo, non simul clerici, vel religiosi cum sæcularibus mulieribus, & tandem

quan-

quando ſonus, & cantus ſunt de honeſtis rebus. Hæc ex Albert. in 4. diſt. 16. colligit Aurea Armilla in verb. Chorea, & alij.

Dubium. An choreas ducere die Dominico, vel feſto ſit peccatum mortale. Richard. de media Villa in 3. diſt. 37. art. 3. quæſt. 4. tenet quod ſic. Angelus, Syluester & alij in verb. Chorea. tradunt, peracto diuino officio, niſi fiat ex conſuetudine, vel pro maioti parte diei, non eſſe mortale.

De filiabus luxuriæ.

EX luxuria octo naſcuntur filiæ, ex S. Gregorio 31. moral. cap. 31. quas explicat S. Thom. 2. 2. q. 152. art. 5. Cæcitas mentis, Inconſideratio, Præcipitatio, Inconſtantia, Amor ſui, Odium Dei, Affectus præſentis ſæculi, Horror futuri.

Remedia contra Luxuriam.

PRIMVM. Fuga occaſionum, 1. Corinth. 6. Fugite fornicationem.

Secundum. Abſtinentia cibi & potus: Vnde Hieron. libr. 2. aduerſus Iouinianum. Eſus carnium, & potus vini, ventriſque ſaturitas ſeminarium libidinis eſt.

Tertium. Fuga otij: otium eſt incendium libidinis.

Quartum. Iugis occupatio in ſacris literis. Hinc Hieron. ad Ruſticum. Ama ſcientiam diui-

diuinarum scripturarum, & carnis vitia non amabis.

Quintum. Custodia sensuum, maximè visus: quod Ecclesiasticus testatur, quando ait. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias mulierem alienam: propter speciem mulieris multi perierunt.

Sextum. Ex Chrysost. de reparatione lapsi. Gehennæ ignem flammis libidinis opponere: Est enim hoc mirabile medicamẽti genus, vt ignis igni extinguatur.

Septimum. Oratio, Sapientiæ 8. Sciui, quod non possum esse continens, nisi Deus det, & hoc erat sapientia scire, cuius esset hoc donũ.

Octauum. Ex Gregorio super 25. cap. Iob. Nihil adeo valet ad edomandum carnis luxuriam, quam vt vnusquisque illud quod viuum diligit, mortuum penset.

Nonum. Vestium asperitas, per quam mollities repellitur.

CAPVT IX.

DE INVIDIA, ET EIVS filiabus.

INVIDIA, est odium alienæ fœlicitatis, quo non volumus proximum nostrum nobis esse æqualem, vel superiorem; eo quod hoc nostram excellentiam diminuat. Inuidia

dia ex suo genere est peccatum mortale: Primi autem motus, & actus imperfecti, sunt peccata venialia. Ex inuidia hæ generantur filia: Odium proximi, Susurratio, Detractatio, Exultatio in aduersis proximi, & Afflictio in prosperis.

Odium proximi est peccatum mortale ex suo genere, 1. Iohan. 3. Qui odit fratrem suum, homicida est. Motus autem imperfecti veniales sunt. Si quis autē odio prosequatur proximum, quo ad peccata & scelera, quæ exercet, non peccat: quia proximum non odio habet sed peccata: Quod etiam Deus facit. Nam scriptum est. Odio est Deo impius, & impietas eius.

Quomodo susurratio differat à detractione.

Susurratio, est oblocutio mala de proximo, ad tollendum amicitiam inter aliquos. Differt à detractatione, quia hæc tollit honorem & famam: illa verò amicitiam, & cum amicitia præstantior honore sit, peccatum susurrationis est grauius detractione. Quando dicitur, quod susurro tollat amicitiam, intellige bonā, quia malam & perniciosam soluere, laudabile est. Cum hoc peccatum tendat in damnum proximi, obligat ad restitutionem amicitiæ quam abstulit, vel ad satisfactionem modo possibili, & nisi susurro hoc firmiter proponat, non est absoluendus, iuxta Angel. in verb. Susurratio, Rosellam in verb. Inuidia, & Nauarr. in Manuali, cap. 18. num. 13. Detractio est

est denigratio alienæ famæ per occulta verba. Est peccatum mortale, quando aliquis ex intentione vult famę proximi nocere, si crimen, de quo infamat, sit mortale. Grauius autem peccat, qui falsum crimen alteri imponit, quã qui reuelat verum secretum. Si quis aliquem infamet, iustè infamatum in vno loco, in alio vbi infamatus adhuc non est, sine iusta causa, mortaliter peccat contra charitatem, & non iustitiam: quia talis iustè non amplius possidet famam, vnde non obligatur ad restitutionem. De qua re vide Dominicum à Soto libr. 5. de iustit. & iure. quæst. 10. artic. 2. Neque solum peccatum est detrahere, sed etiam detrahentem audire, si possis resistere, & placeat ex odio proximi, vel mala causa. Vnde Bernard. lib. 2. de consideratione ad Eugenium, Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim. Referre alterius peccatũ alicui, qui illud scit, aut in cuius cognitionem deueniet, sine malo animo, non est peccatum mortale. Detractio cum lædat proximum contra iustitiam, obligat ad restitutionem.

Infamare autem semetipsum, & sibi imponere falsum crimen metu tormentorum, vel in grauissimis cruciatibus, ad euasiones, non est mortale peccatum, sic tradunt Dominicus à Soto loc. cit. & in lib. de tegendo & detegendo secretum. memb. 1. quæst. 3. Didac. Couarr.

lib.1. variarum resolut. cap. 2. Nauarr. in Manuali cap.18. num. 27. & 28. Angel. verb. Detractio, & alij alibi. Non desunt tamen, qui contrarium docuerint.

Exultatio in aduersis ex inuidia oritur, quando res proximi malè succedunt, exultat inuidus, eo quod opinetur gloriam suam ex hoc augeri. Afflictio in prosperis est, quando prospera proximo eueniunt contra conatum inuidentis, qui nititur impedire.

Remedia contra Inuidiam.

PRIMVM. Amor æternorum bonorum, quæ non diminuuntur per hoc, q̃ à multis possidentur sed augẽtur, hoc ponit S. Gregor. 5. moral. cap. 35. exponens verba Iob, Paruulum occidit inuidia.

Secundum. Ex Basilio in homil. de inuidia: Si nihil rerum humanarum magnum, aut supra naturam existimemus, non enim in rebus fluxis bonũ constituimus, sed ad sempiternorum, & verorum bonorum participationem vocati. Itaque nec diues æmulandus est propter diuitias, nec potens ob dignitatis, & magistratus culmen, nec fortis ob corporis fortitudinem, nec eloquens ob dicendi facultatem.

Tertium. Consideratio mali, quod prouenit homini ex inuidia. Sicut erugo ferrum, inquit Augustin. serm. 83. de tempore: Ita inuidia

dia ipsam animam in qua est, interimit, atque consumit.

Quartum. Animaduertere quomodo hominem inuidia in conditionem Diaboli conuertat, Dæmon ex hominum benefactis mœrore afficitur, eorumque malitia lætatur: Sic inuidi consumuntur aliorum fœlicitate, & pascuntur aduersitate: Nam quemadmodum scarabæi, ait D. Chrysost. alieno stercore: sic inuidi aduersa aliorum fortuna nutriuntur, cum sint communes humano generi hostes. *Hom. 4. in Matth.*

Quintum. Attendere quantæ sit infœlicitatis & miseriæ, quod dum proximus melior redditur, tu deterior fias, dumque augmenta alienæ prosperitatis inspicis, in te ipso cruciaris, & dum inspecta fœlicitas affligit; pœna tua te nequiorem reddit.

CAPVT X.

DE GVLA.

GVLA, est cibi, potusq; inordinatus appetitus. Est peccatum mortale, si quis gula motus deliberatè aliquod præceptum diuinũ transgrediatur; vel ponat in ea vltimũ finem; vel ordinet in finem mortaliter malum: vel scienter dirigat in graue damnum animæ, vel corporis. Quinq; sunt species Gulæ ex Greg. lib. 30. moral. cap. 27. quæ explicantur à S. Thom. 2.2. q. 148. artic. 4.

Species gulæ ex S. Gregorio.

1. Quando hora debita præuenitur, non necessitate, sed voluptate.

2. Quando lautiores cibos quærit homo.

3. Dum nimis accuratè cibi præparantur, diuersis coquendi modis.

4. Cum homo in quantitate cibi, aut potus excedit, & sumit plus, quàm naturæ sustentationi necessarium est.

5. Quando homo nimis auidè, vel ardenter cibum sumit. Hæ quinque species memoriæ causa versu continentur.

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, Studiosè.

De Ebrietate.

EBRIETAS, quæ ad gulam spectat, dupliciter accipitur. Vno modo vt significat ipsum defectum rationis, qui accidit ex abundantia vini, & sic significat non culpam, sed effectum pœnalem consequentem exculpa; Alio modo ebrietas denotat actum inordinatum, quo quis in hunc defectum inordinatum incidit.

Ebrietas voluntaria, peccatum mortale est, quia in sacris literis adiungitur illis, quæ à regno Dei excludunt. Vt autem hoc pleniùs intelligatur; notandum ex S. Thom. 2. 2. q. 148. art. 2. quod culpa ebrietatis consistit in inordinato vsu, & concupiscentia vini. Hoc autem tripliciter contingit. *Primo*, si quis nesciat potum

tum esse immoderatum, & in ebrietate potentem, & sic potest esse nullum peccatum: vt si quis calore æstuans ignoret vini potentiam, non aduertendo inebrietur. *Secundo*, quando quis percipit potum esse immoderatum, non tamen æstimat, quod eum debeat inebriare, & sic potest esse venialis ebrietas. *Tertio*, vt aduertat potum esse immodetatum, & facere ebriũ, non vult tamen abstinere à vino: & sic est peccatum mortale. Huius peccati etiam fit particeps, qui alterum studiosè & scienter inebriat, vel cogit ad bibendum quacunque ex causa. Si quis autem alium inuitet ad bibendum, & nõ putat, quod debeat inebriari ex ignorantia: quia ipsius consuetudinem nõ nouit, nõ peccat mortaliter, vt docet S. Thom. in quæst. d. art. 1. ad 3. De ebrietate vide August. serm. 232. & Ambros. de Helia & ieiunio. cap. 14.

Filiæ gulæ, quas explicat S. Thom. quæst. d. artic. 6. sunt quinque. Hebetudo mentis, Inepta lætitia, Scurrilitas, Multiloquium, & Immunditia. Hebetudo est, quando mentis acies hebetatur, ex immoderato cibo & potu, propter fumositates ciborum caput perturbantes, & est mortalis, quãdo homo ex ea aliquid omittit, quod est de necessitate salutis. Inepta lætitia est, quando consopito gubernaculo rationis, per immoderatum vsum cibi & potus, multæ deordinationis passiones in appetitu sequuntur, & specialiter vana quædam lætitia, ac animi dissolutio. Q 3 Mul-

Multiloquium, est multitudo locutionis cum superfluitate, præter vtilitatem, & necessitatem, & est communiter veniale.

Scurrilitas, est quædam leuitas, vel iocularitas proueniens ex defectu rationis, quæ sicut nec potest cohibere verba: ita neq; exteriores actus.

Immunditia attenditur, secundum inordinatam emissionem quarumcunque superfluitatum, vel per fluxum seminis, aut per vomitum.

Remedia contra Gulam.

PRIMVM. Est verbum Dei. De quo Matth. 4. Nõ in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei.

Secundum. Considerate singularem Christi abstinentiam, & paupertatem. Quomodo cum tuam salutem sitiret, dixerit, Sitio, & deinde acetum cum felle mixtum administratũ est: Hinc Trenor. 3. Recordare paupertatis meæ, & transgressionis, & absynthij, & fellis.

Tertium. Perpendere mala, quæ proueniunt ex delicijs, & ebrietate. Rarò qui his inseruiunt, ad portum salutis perueniunt, vt S. Chrysost. in sermone contra luxum, & crapulam ostendit. Vitam etiam gula breuiorẽ reddit. Verissimè enim dictum est. Plures occidit gula, quàm gladius.

Quartum. Æternæ cœnæ meditatio, attendere

dere quã delicata sit futura illa cœna: Si enim eius desiderium solum hominem beatum facit iuxta illud Matth. 5. Beati qui esuriunt, &c. quid faciet ipsa refectio? Quam igitur indignum est homine, quod se impleat siliquis porcorum, & de delicata illa cœlesti cœna non cogitet.

Quintum. Optimum secundum Apostolicam doctrinam, gratia stabilire cor, & non escis, quæ nõ profuerunt ambulantibus in eis.

CAPVT XI.

DE IRA.

IRA, est appetitus inordinatus vindictæ, siue puniendi eum, à quo quis se læsum arbitratur. Dicitur (inordinatus) quia ira cum sit passio appetitus sensitiui, potest esse bona & mala: Bona, si regulariter secundum ordinem rationis, & sic in Psalm. Irascimini & nolite peccare: Mala, quando mensuram rationis transit.

Ira ex parte appetibilis, quando aliquis appetit iniustam vindictam, ex suo genere est peccatum mortale; quia est contra charitatem, & iustitiam, potest tamen esse veniale ex imperfectione actus: vel ex parte appetentis, cum ira præuenit vsum rationis: vel ex

parte appetibilis, cum quis in modico vult se vindicare. Quantum autem ad modum irascendi, potest etiam esse excessus, vt si quis immoderatè iræ motu feruescat. Ita tamen quãtum ad modum, est venialis, nisi aliquis ex vehemẽtia iræ excidat à charitate Dei, vel proximi. De iræ peccato lege S. Thom. 2.2. q. 158.

De filiabus iræ.

EX ira hæ filiæ generantur. Rixa, Tumor mentis, Contumelia, Clamor, Indignatio, & Blaspemia, de quibus S. Thom. quæst. d. artic. 6. & 7.

De Rixa.

RIXA, est contradictio in factis, quando aliqui ex ira se inuicem percutiunt autoritate priuata, & est peccatum mortale in inuadente; quia contra charitatem proximo nocumentum infert, & sic ad Galath. 5. adiungitur peccatis, quæ à regno Dei excludunt. In defendente autem quandoq; potest esse nullum, si se defendit animo repellendi illatam iniuriam, cum debito moderamine: Quandoque veniale, quando leuis est excessus: Quandoque mortale, si obfirmato animo insurgit aduersus impugnantem, vt inferat ei grauem læsionem, & notabile nocumentum. Pueri communiter quando rixantur, non peccant nisi venialiter: quia leuiter faciunt, & ex paruo odio.

De

De Tumore mentis.

TVMOR mentis est, quando irascens, animum suũ replet diuersis cogitationibus amaris, quibus apud se aliquando cogitat diuersas vias se vindicandi, & habet multiplex propositum id perficiendi, est peccatum tanto grauius: quanto ex maiore ira procedit.

De Contumelia.

CONTVMELIA est, cum quis prorumpit in verba iniuriosa contra proximum. Ad contumeliam, conuitium, & improperiũ referuntur. Ista enim tria sunt contraria honori proximi, sed aliquo modo distinguũtur. Contumelia est, quando repræsentatur defectus culpæ, per verba iniuriosa contra honorem, vt cum aliquis dicit. Tu es fur, aut latro. Conuitium, quando significatur defectus culpæ, vel pœnæ generaliter: vel defectus naturales, vt si aliquis in contemptum vocat alium cæcum, aut stupidum, &c. Improperium, est significatio beneficij tempore necessitatis collati. Vel, quando reducitur in memoriam iniuriosè, auxilium in necessitate collatũ, exempli gratia dicendo. Nisi auxilio tibi fuissem, fame perijsses. Si quis notabiliter intendat lædere alicuius honorem contumelia, conuitio, vel improperio, quæ aliquando pro eodem accipiuntur, peccat mortaliter. Matth. 5. Qui dixerit, Fatue, fratri suo, reus erit gehennæ

S. Thom. 2.2.q.27. artic. 1. Contumelia, conuitium, & improperium, quomodo differant.

ignis. Dicitur (si quis intendat lædere) quia in peccatis verborum maximè consideratur, ex qua intentione, & affectu proferantur. Vnde quando quis iocosè: vel ex ira leui, aut animi leuitate, absque animo inhonorandi aliquid obijcit, est solum veniale. Superior autē absque peccato aliquando, causa correctionis, disciplinæ, instantiæ, vel humiliationis, aut alia ratione potest obijcere aliquod verbum contumeliosum ei, quem obiurgat. Hoc modo Christus discipulos, stultos vocauit, & Paulus Galathas insensatos.

Luca vlt. ad Gal. 3.

Ad contumeliam etiam referri potest maledictio, quæ ex ira nasci solet, non loquor hic de maledictione Dei. Maledicere est imprecari alicui mala.

Duobus modis maledictio exercetur.

Potest esse duplex maledictio. Bona, & Mala. Committitur communiter duobus modis Imprecando, & Optando.

Si quis imprecatur proximo malum sub ratione boni non peccat, exempli gratia, imprecor alicui persecutori Ecclesiæ mortem: Vel iuueni luxurioso & perdito infirmitatem, vt ad mentem redeat. Sic. 4. Reg. 2. Helisæus pueris sibi illudentibus maledixit. Qui autem maledicit imprecando malum, vel per modum imprecantis, vel optantis, scienter & deliberato animo, sub ratione mali, mortaliter peccat, nisi paruitas rei excuset, 1. Corinth. 6. Maledici regnum Dei non possidebunt.

bunt. Si quis autem maledicat creaturæ irrationali in ordine ad mala hominis, quæ inde proueniunt, non peccat. Sic Iob maledixit diei natiuitatis suæ, propter mala originalis culpæ. Sic quoque Dauid. 2. Reg. 1. maledixit montibus Gelboë, propter cædem populi, quæ in eis contigerat. Quando autem quis animo deliberato maledicit creaturæ, dicendo, trado te diabolo, &c. Qua ratione est creatura Dei, committit blasphemiam: Si in ordine ad hominem, cuius est creatura, idem est iudicium, ac si malediceret homini: Si autem creaturæ secundum se, non habita ratione ad Deum, aut hominem, solum committit veniale verbum otiosum, iuxta S. Thom. 2. 2. quæst. 76. art. 2. & Caietan. in summa verb. maledictio. Ex qua radice consurgit, quod Confessarius debet confitentem circa maledictionem examinare, quomodo, & quo animo maledixerit, quia diuersa ratio peccati, ex diuersa intentione oritur in hac re, vt constat ex dictis.

De Indignatione.

INDIGNATIO est, quando homo non vult videre eum, cui irascitur: nec cum eo loqui aut conuersari, quia eum indignum iudicat, sua conuersatione, & affabilitate; & communiter est peccatum veniale, nisi scandalum accedat, vel casus in quo teneatur ei loqui. Potest autē in superiore erga inferiorem,

esse

esse sine peccato, quando iusta causa facit, vt magis doleat de casu, & discat in futurum cautius mercari.

De Clamore.

CLAMOR, est inordinata, & confusa locutio, quando homo quo ad modum loquendi, exterius iram suam demonstrat; & est veniale peccatum, nisi sequatur scandalum, quando illud præuidet, aut præuidere debet, & non curat, iuxta Angelum verb. Clamor.

De Blasphemia.

S.Thom. 2.2.q.13. artic.1.

BLASPHEMARE, est dicere aliquid tacitè, vel verbo cõtra Deum, aut eius sanctos: & potest tripliciter fieri. Tribuendo Deo, quod ei non conuenit: vel auferendo ei, quod conuenit: vel tribuendo creaturæ, quod solius Dei proprium est, exempli gratia. Malè habeat Deus, non est iustus, homo potest futura prædicere, solo libero arbitrio adiutus.

Blasphemia corde, verbo, & scripto contingit.

Blasphemia potest contingere corde, & est mentalis; verbo, & est vocalis: scripto, & est scripta.

Est peccatum mortale & omnium grauissimum: quia repugnat confessioni fidei, charitati, & bonitati diuinæ: nec excusatur quis ab hoc peccato ex leuitate materiæ: quia eius materia grauissima. Vnde nullus compos mentis excusatur, aut per passionem, aut consuetudinem:

nem: Si quis autē inaduertēter ex lapsu linguæ verba blasphemiæ proferret, nō aduertendo sensum verborum, quem si aduertisset non protulisset, excusaretur à mortali, secundum S. Thom. quæst. cit.

Qui blasphemat in sanctos, nominando eorum membra pudēda iniuriosè, vel eis maledicendo, mortaliter delinquit. Quia hoc peccatum grauissimum est, statuit Concilium Lateranen. session. 9. sub Leone X. vt nullus blasphemus absoluatur in foro conscientiæ absque eo, quod arbitrio seueri Confessarij ipsi pœnitentia imponatur.

De remedijs Iræ.

PRIMVM. Consideratio Dominicæ passionis: Si enim passio Domini ad memoriam reuocetur, nihil adeò durum, ait Gregorius, quod non æquo animo toleretur.

Secundum. Ex Basilio in homil. de Ira: Ille maledixit, tu benedicas: verberauit, tu patere: expuit nihilique te existimauit, tu cogita, quomodo ex terra es, & in terram reuerteris; His namque modis & rationibus te confirmans, longè leuiora, quam reuera, &c.

Tertium. Comprimere irā interius, ne exeat. Sicut enim ignis, si non habeat motum, statim extinguitur & suffocatur: Sic ira, si silentio cōtineatur statim cessat: Sic Abbas Isaac in vitis patrum à quodam fratre interrogatus. Quare

cum

cum Dæmon timeret. Respondit, ex quo factus sum monachus, statui apud me, vt iracidia extra guttur meum nunquam procederet, & ideò timent me Dæmones.

Quartum. Consideratio finis nostri, mortis scilicet, & eorum, quæ post mortem sequuntur. Vnde Eccles. 28. Memento nouissimorum, & desine inimicari: & deinde subditur: Memento timorem Domini, & ne irascaris proximo.

Quintum. Iratus te ipsum ad alia conuerte negotia, quibus occupatum cor tuum, quiescat à perturbatione, & eiusdem obliuiscatur; & sedata tempestate, cogita quid feceris: quãtum mali fortasse proximo, & tibi ipsi intuleris, perdendo amicitiam Dei, & charitatem proximi, & incurrendo laqueos Diaboli.

CAPVT XII.

DE ACEDIA, ET EIVS filiabus.

ACEDIA, est quædam tristitia, vel tædium aggrauans mentem hominis, vt nihil ei agere libeat earum rerum, quæ salutem propriam concernunt. Acedia, quando est perfecta, est peccatum mortale, quia charitati aduersatur, cuius proprius effectus est

est gaudium de Deo, eiusque bonis. Acedia autem imperfecta, inchoata in sensualitate præter rationis consensum, veniale peccatum est.

Peccat mortaliter acedia, qui ea motus, omittit necessaria ad salutem animæ, aut corporis; vel deducitur in aliquod mortale, vt desperationem: vel deliberatè appetit mortem ex tali tristitia, vel optat esse bestia. *Quomodo acedia sit mortalis.*

Ex acedia hæ generantur filiæ. Malitia, Rancor, Pusillanimitas, Desperatio, Torpor, & Euagatio mentis. *Filiæ acedia.*

Malitia est, quando quis propter tristitiam, quam habet in diuinis, in tantum malus efficitur, vt modica, vel nulla existimet spiritualia; vel etiam impugnet.

Rancor mentis, est amaritudo contra eos, qui hominem ad spiritualia inducere volunt, & propterea desiderat, & vult malum alteri: Aliquando etiam refertur ad filias iræ.

Pusillanimitas opponitur magnanimitati; & est quando homo ex paruitate animi, se retrahit à magnis operibus, & honoribus suam potentiam non excedentibus.

Desperatio est, quando homo non sperat beatitudinem ex gratia Dei, & suis operibus, & est peccatum mortale grauissimum, quia obstruit fontem diuinæ misericordiæ, & opponitur spei.

Torpor est circa præcepta, quando homo facit

facit bona tepidè, non cum eo feruore, quo deberet. Ad torporem referuntur otium, pigritia, somnolentia, &c. Euagatio mentis circa illicita, quando homo à spiritualibus se transfert ad delectabilia exteriora: & eius malitia iudicanda est, secundum illicita, circa quæ versatur, cuius rei iudicium sumendum ex dictis, de cogitationibus. His dictis, adhuc alij peccandi modi adiungi possunt. Mollicies, quando homo nihil duri, quod carni aduersatur pati potest. Negligentia, Imperseuerantia, Remissio animi, Dissolutio, Incuria, Indeuotio, Instabilitas. Hi peccandi modi sicuti etiã plerq́que filiæ acediæ veniales sunt, nisi ex eis omittantur, quæ sunt de necessitate præcepti, vel salutis.

Remedia contra Acediam.

Serm. 3. de ascen. Domini.

PRIMVM. Consuetudo benè operandi hæc facilitatem inducit, & iucunditatem parit. Reuera, ait S. Bernardus cum inceperis, tristitia implebit cor tuum, sed si perseueraueris, tristitia tua conuertetur in gaudium: tunc enim purgabitur affectus, & voluntas renouabitur, vel potius noua creabitur, vt omnia quæ primo videntur difficilia, imò impossibilia videbantur, cum multa percurrantur dulcedine, & auiditate.

Secundum. Attendere hoc tempus esse nobis concessum, vt operemur bonum, & cogitandum

tandum, quod ita reddenda ratio de tempore, sicut de verbo otioso. Hinc de quodam deuoto legitur, qui quoties audiebat horologium sonare secum dicebat. O Domine Deus, iam iterum vnam horam temporis vitæ meæ consumpsi, de qua tibi sum redditurus rationem, quomodo expenderim. Nullum enim à te est mihi impensum tempus, cuius mihi non sit reddenda ratio.

Tertium. Varietas operum, ne homo molestia capiatur, varietas enim delectat, iuxta illud.

Nunc lege, nunc ora, nunc cum feruore labora.
Sic erit hora breuis: sic labor ipse leuis.

EXEMPLVM habemus in S. Antonio, qui spiritu acediæ tentatus dicebat: Domine saluari desidero, sed variæ cogitationes non permittunt. Quid faciam, vt saluer? ostende; & respiciens vidit quendam astantem, torquentem funiculum: deinde ex opere surgentem, & plectas facientem de palmis; & deinde ad orationem iterum surgentem. Erat autem Angelus Dei, & dixit ei. Ita faciens, Antoni, saluaberis.

Quartum. Considerare, quis locus paratus sit otioso; non cœlum, quia merces est operariorum, non paradisus terrestris, quia Deus posuit hominem in paradisum, vt operaretur iuxta scripturam: Non purgatorium, quia

qui in labore hominum non ſunt, cum hominibus non flagellabuntur: Non mundus iſte, quia ficulnea ſterilis ſuccidetur, ne terram occupet; relinquitur ergo infernus pro otioſo.

Luca.13.

Quintum. Exemplum Chriſti Saluatoris, cuius veſtigia ſequi debemus. Vnde S. Bernardus: Quam diu vixero, memor ero laborum, quos Chriſtus ſuſtinuit prædicando, fatigationum in diſcurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum, conuitiorum, ſputorum, colaphorum, ſubſannationum, exprobationum, clauorum, horumq; ſimilium; alioquin requiretur à me ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram.

Sextum. Frequens occupatio, quæ eſt clipeus contra Dæmonis ſagittas. Semper aliquid boni agendum, ne Diabolus inueniat otioſum; Hinc in vitis patrum. Seniores dicebant. Operantem monachum Dæmone vno pulſari, otioſum verò innumeris ſpiritibus deuaſtari.

De materia vitiorum Capitalium, amplam qui voluerit legere materiam, legat S. Thom. in 2. 2. ſanctum Antoninum in ſua ſumma, Guilhelmum Peroaldum Lugdunenſem de virtutibus & vitijs Tom. 2. & Methodum confeſſionis.

TER-

TERTIA PARS, DE DECEM PRÆCEPTIS DECALOGI, ET QVINQVE ECCLESIÆ.

IN hac parte hic ordo ſeruabitur. Antequam primum Decalogi præceptum declaretur, de virtutibus Theologicis, quæ à quibuſdam ad primum præceptum reducuntur; quamuis in Decalogo non contineantur, ſed ad illum præſupponãtur, vt graues Doctores tradiderunt, breuiter agetur, nec non etiam de vitijs, dictis virtutibus oppoſitis. Deinde præcepta Decalogi, ſecundum ordinem explicabuntur cum caſibus neceſſarijs, & in præcepto non furaberis; materia reſtitutionis, & contractuum, prout inſtitutionis ratio poſtulabit perſtringetur. Tandem Eccleſiæ præcepta adiungentur.

CAPVT I.

DE FIDE, ET VITIIS fidei contrarijs.

FIDES, est virtus à Deo infusa, per quam firmiter credimus omnia, quæ reuelata sunt à Deo; vel vt S. Paulus definit, est sperandarum substantia rerum, argumentum nõ apparentium. Actus fidei est duplex. Interior, & Exterior.

Hebr.11.

Interior, credere: Exterior, confiteri fidem iuxta illud Apostoli. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

Rom.10.

Quæ tenentur fideles credere?

QVILIBET fidelis tenetur implicitè in illo articulo. Credo quicquid sancta mater Ecclesia credendum præcipit & tradit: omnes fidei articulos credere: Non tamen æqualis obligatio fidei explicitæ, cunctos Christi fideles tangit: Nam maiores, quorum officiũ est alios erudire, & illuminare, pleniorem & clariorem de credendis notitiam habere tenentur: Singuli autem qui Ecclesiam ingressi sunt, & vsu rationis vtuntur, obligantur ad explicitè credendum illos articulos, qui continentur in symbolo fidei, & solemnizantur in Ecclesia, iuxta doctrinam S. Thom. receptam. 2.2.q.2.art.6.&7.

Quan-

Quantum ad exteriorem fidei actum, cum sit de necessitate salutis, quilibet seriò de sua fide interrogatus, eam confiteri tenetur, scriptum est enim. Qui me erubuerit coram hominibus, &c. Et qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor eũ coram patre meo, &c. S. Thom. 2.2. q. 3. art. 2. Caiet. ibidem. Martinus Nauarr. in comm. cap. Inter verba. 11. q. 3. præludio 3. *Matth. 10.*

Quare, si quis in persecutione suam fidem negaret, vel alienam profiteretur, quamuis id metu mortis, amissionis honoris, & bonorum temporalium faceret, grauissimè mortaliter peccaret, etiamsi in corde rectam Catholicamque teneret: Non tamen hæreticus censendus foret: quippe qui interiori actu optimè de fide sentiret, quod hæresi repugnat.

Hoc non obstante, fidẽ, necessitate & iusta ratione exigente, occultare licebit; quando seria interrogatio de fide non vrget, nec confessionem Dei honor, aut proximi scandalum exposcit, vt ex facto S. Sebastiani, qui diu Christianus fuerat, antequam religionem proderet, apertum est.

De varijs fidei oppositis.

FIDEI opponuntur, Infidelitas, Hæresis, & Apostasia. Nam aut aliquis nunquam fidẽ suscepit, & est infidelis, aut susceptam deseruit, & sic si totam fidem reliquit apostata est: Si

autem aliquam partem, aut articulum, hæreticus censendus erit.

De Infidelitate.

INFIDELITAS est duplex. Vna negatiuè, cum quis ignorat omnino fidem, nec prædicantem audiuit. Alia est, Infidelitas contrariæ, seu prauæ dispositionis: quando aliquis repugnat fidei, vel etiam contemnit, & hæc fidei opponitur. Infideles, qui nunquam fidem susceperunt, sicut gentiles, aut Iudæi, nõ sunt compellendi ad fidem: eo quod fides liberam voluntatem exigat. De Iudæis & Saracenis. cap. Sicut Iudæi, &c. Quid autem. Qui autem fidem susceptam deseruerunt, vt hæretici & apostatæ: sunt compellendi, vt impleant, quod promiserunt & teneant, quod semel susceperunt.

De Hæresi.

HÆRESIS, est error contra fidem eius, qui eam professus est in Baptismo, cum pertinacia. Pertinax intelligitur, qui scit aliquid esse contra fidem Romanæ Ecclesiæ, nihilominus, voluntariè sentit contrarium: Vnde sequitur aliquem in rebus fidei errare sine crimine hæreseos, si suum iudicium paratus sit submittere censuræ Ecclesiæ, sic Augustin. cõfidenter dixit. Errare potero, sed hæreticus non ero.

Non

Non solum hæreticus est, qui pertinaciter errat in fide, sed etiam dubius in fide, ex cap. Dubius de hæret. Tritum enim dictum est. Dubius in fide infidelis est. Si quis autem ex humana fragilitate, aut tentatione inimici, incidat in cogitationem dubiam circa aliquē articulum fidei, cui non consentit, sed resistit conformando se iudicio Ecclesiæ, non peccat; aut saltem venialiter, si negligēter resistat. Vt hoc melius intelligatur, aduertendum dubium esse duplex. Vnum affirmatiuum, cum quis affirmat esse dubium, quod Ecclesia firmiter credit, & talis dubitatio est hæresis. Aliud negatiuum, quando nihil affirmat, sed fluctuat mente nihil contrarium definiendo, & sic dubitare est fidei infirmitas. Ad fidei integritatem spectat, vt aliquis credat omnia, quæ Catholica Ecclesia credenda proponit: Sicut enim hæreticus est, qui in multis articulis recedit ab Ecclesia, sic etiam qui in vnico dissentit à definitione Ecclesiæ. Firma est enim Athanasij in principio symboli regula. Quicunque vult saluus esse, ante omnia opus est, vt teneat Catholicam fidem: Quam nisi quisque integram, inuiolatamque seruauerit absque dubio in æternum peribit.

Dubius in fide etiam hæreticus est.

Duplex potest esse dubium.

Ad hæresin refertur schisma, quod non fidei, sed vnitati & charitati Ecclesiæ opponitur. Schisma autem est, quando aliquis non quidem retrahit se ab obedientia Romanæ

Ecclesiæ, sed suam dicit esse Romanam, vt contingit, quando duo sunt electi Pontifices, & vnaquæq; pars eligentium contendit apud se esse Ecclesiam, tunc schisma committitur ab ea parte, quæ non est parata obedire illi, qui pro legitimo dignoscitur.

De Apostasia.

APOSTATA græcè, latinè desertor, vel transfuga dici potest. Apostasia autē est, quando homo recedit ab eo, ad quod iure ratione officij aut status tenetur, & est triplex. A fide, obedientia seu lege Dei, & Religione.

Apostasia est triplex.

A fide, quando aliquis recedit à fide suscepta, & alienam acceptat: vt si Catholicus à nobis ad Turcas vel hæreticos deficiat. Ab obedientia seu lege Dei, quando quis recedit à Deo, & præceptis eius, nolens ei vllo pacto inseruire, quæ quidem discessio ex parte, in omni peccato reperitur, sed propriè est, quando quis ex electione à tota lege recedit; Sicut fecit Lucifer cum suis consortibus.

Apostasia à religione, est discessio à religione, & ordine, & potest esse duplex à religione; regularium, & Clericorū secularium. De pœnis hæreticorum & Apostatarum à fide, legendi canones in tit. de hæreticis, & Apostatis, & Doctores ibidem, & Summistæ in verb. Hæresis, & Apostata.

CA-

CAPVT II.

DE SPE, ET PECCATIS contrarijs.

SPES, est virtus à Deo infusa, per quam certa cum fiducia expectamus à Deo vitam æternam, & media ad illam ex Christi gratia, & nostris meritis, quæ suam dignitatem ex gratia consequuntur. Spei actus, est sperare in Deo.

Duplex est spes, sicut etiam timor. Mercenaria, quando homo ob solum præmium cõsequendum Deo inseruit, & in Deum sperat: & filialis, quando quis liberaliter Deo inseruit, principaliter non intendens præmium, sed amorem ei debitum. *Spes est duplex.*

Tenetur autem homo sub præcepto sperare, quando pœnitere de suis vult peccatis: aut grauis desperationis tentatio pulsat, quæ contraria virtute vincenda: aut oratio facienda est: nemo enim petit, quod se consecuturum desperat.

Spei duo vitia opposita sunt: Alterum in defectu scilicet desperatio. Alterum in excessu præsumptio. *Spei opposita.*

Desperatio est, quando diffidimus de Deo, eiusque gratia, & viribus nobis desuper datis, & impossibile ducimus futurum, vt salutem

consequamur, & media ad illam. Est peccatũ in Spiritum sanctum, quia fontem diuinæ misericordiæ claudit.

Præsumptio, est vana & falsa spes, qua homo se sine medijs à Deo constitutis, ad æternam gloriam, & fœlicitatem peruenturum præsumit: vt sine pœnitentia, bonis operibus, auxilio Dei. Ad hunc ordinem spectant, qui iactitant, regnum cœlorum non bestijs, sed hominibus paratum, ignorantes ignem æternum etiam non capris, & brutis, sed Dæmonibus, & malis hominibus constructum. Præsumptio cum sit contra diuinam iustitiam, est etiam peccatum in Spiritum sanctum: hoc potissimum peccant, qui dicunt: Misericordia Domini magna est: multitudinis peccatorum meorum miserebitur.

Eccles. 5.

CAPVT III.

DE CHARITATE.

CHARITAS est virtus à Deo infusa, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum: ex qua definitione elicitur duplex charitas, Dei, & proximi, & de vtraque est præceptum Euangelicum, Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum, &c. & proximũ tuum sicut te ipsum.

Quatuor ex charitate diligenda sunt, iuxta S. Au-

S. August. lib. 1. de doctrina Christiana. cap. 23. & 26. quæ explicat S. Thom. 2. 2. q. 26. art. 12. Deus, Proximus, Corpus nostrum, & nos ipsi. Et in dilectione, sub præcepto hic ordo seruandus est, vt Deus diligatur super omnia. 2. anima nostra, anima proximi. 4. corpus nostrum. 5. corpus proximi. De hoc ordine S. Thom. loc. cit. q. 26.

Modus diligendi Deum in scriptura significatur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua. Bernard. de diligendo Deo dicit, quod modus diligendi Deum est, sine modo diligere, Ex quibus verbis constare videtur, Deum non solũ appretiatiuè, sed etiam intensiuè super omnia diligendum, vt more Scholasticorum loquar.

Modus diligendi proximum, etiam in præcepto declaratur, quando dicitur. Diliges sicut teipsum affectu, & actu, in ordine ad gratiam, & salutem in præsenti, & ad vitam æternam in futuro: significatur in dictis verbis similitudò, & nullius exceptio, non tamẽ æqualitas, vt ex ordine charitatis colligitur. *Luc. 10.*

Nomine proximi, intelligitur omnis creatura rationalis nobiscum capax æternæ salutis.

In dilectione proximi, hic ordo secundum Augustini consilium seruetur, vt quando omnibus prodesse non potes, his potissimum con- *Libr. 1. de doctrina Christ. capit. 28.*

consulendum est, qui pro locorum & temporum, & quarumcunque rerum opportunitatibus, constrictius tibi, quasi quadam sorte iunguntur.

De dilectione inimicorum.

CVM omnis homo, etiam inimicus proximus noster sit, secundum fidem Catholicam, & Euangelicam veritatem, ex præcepto oportet diligere inimicos in communi, & eis generalia charitatis signa, quæ multitudini exhibentur, impendere: vt sunt resalutare salutantem, vẽdere merces expositas sicut alijs, &c. Contra quosdam hæreticos, qui ex scriptura malè intellecta dixerunt inimicos odio habendos, de quibus Alphons. Castr. in lib. de hæres. in verb. Inimic. constat ex Euangelio. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, &c. vt sitis filij patris vestri cœlestis, ergo à contrario, qui non diligunt inimicos, nõ sunt filij patris cœlestis, sed Dæmonis.

Matth. 5.

Aduertendũ pro conciliatione sacræ scripturæ, quæ in hac materia indocto videbitur sibi contraria, quod in Inimico duo possunt considerari: peccatũ, & natura. Quo ad peccatum non sunt diligendi, sed quo ad naturam, quatenus homines eiusdem naturæ nobiscum, & ad eundem finem, scilicet æternam fœlicitatem creati. Quando scriptura insinuat inimicos odio habendos, intelligitur quantum

In inimico duo considerantur.

tum ad peccatum: Quando Saluator præcipit diligendos, quo ad naturam communem; sic enim & proximi nostri sunt, & eiusdem naturæ consortes. Dictum (in communi, & generalia charitatis signa) quia quamuis abundantioris charitatis esset, particularia charitatis officia inimicis impendere, ad id nemo tamen obligatur nisi in præparatione animi, si necessitas extrema spiritualis, aut corporalis postulet; aut ad euitandum scandalum requiratur.

Potest etiam superior suo inferiori, quandoq; correctionis gratia particularia amicitiæ signa denegare, exemplo Dauidis, qui Absoloni filio suo peccatum quidem remisit, sed ad conspectum suum admittere noluit. *1.Reg.14.*

Ad charitatem quoque Christianam spectat, vt qui iniuriam alteri intulit siue per se, siue per alium, reconcilietur iuxta præceptum Christi: Vade reconciliare fratri tuo, & tunc offeras munus tuum. Reconciliatio autem ita fiet, vt si corde offendit, corde reconcilietur: si verbis, verbis: si facto, facto satisfaciat. Non tamen obstante hac reconciliatione, potest exigere reparationem damni, si quod passus sit contra iustitiam. Superior quoque in hoc casu, modo odium animo repulerit, non teneturinferiori reconciliationem offerre, ne regendi autoritas diminuatur, pręsertim quãdo correctio hoc postulat: Quæ enim pro charitate

Matth.5.

Quomodo reconciliatio facienda.

tate instituta sunt, contra charitatem militare non debent.

De Eleemosyna, quæ est actus charitatis erga proximum.

S. Thom. 2.2.q.32. ELEEMOSYNA, est actus charitatis erga proximum, quo subuenimus alterius indigentiæ ex compassione, propter Deum. 1. Ioan. 3. Omnibus notum esse debet illud Ioan. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatē habentem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?

Duo sunt genera Eleemosynarum, Corporalia, & Spiritualia.

CORPORALIA sunt septem. Esurientes pascere, potum dare sitientibus, operire nudos, captiuos redimere, ægrotos inuisere, hospitio peregrinos suscipere, mortuos sepelire. Quæ continentur hoc versu.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

SPIRITVALIA sunt hæc septem. Peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus recta consulere, pro salute proximi Deū orare, consolari mœstos, ferre patienter iniurias, offensam remittere: In præsenti agemus de corporali eleemosyna.

De materia Eleemosynæ legendi præ cæteris

teris S. Thom. 2. 2. q. 32. Alij scholastici in 4. sentent. d. 25. & 16. Ioan. Medina in C. de eleemosyna, Iosephus Angles doctissimè in florib. Theologic. sentent. in 4. sentent. part. 1. in tractat. de eleemosyna. Summistæ in verb. Eleemosyna, & sancti patres mox citandi in præcepto de eleemosyna.

An præceptum sit de Eleemosyna, & in quibus casibus obliget?

ELEEMOSYNA est in præcepto, ex loco Ioan. cit. & Luc. 11. Quod super est, date eleemosynam, & probatur efficaci ratione, Nullus punitur pœna æterna pro omissione eius, quod non cadit sub præcepto: Sed aliqui puniuntur pœna æterna pro omissione eleemosynæ, Matth. 25. Esuriui & non dedistis mihi manducare, &c. Ite ergo maledicti in ignem æternum.

Quoniam præceptum eleemosynæ affirmatiuum est, non obligat omni tempore. Vt igitur intelligatur, quibus in casibus præceptum obliget. Notandum in primis. Superfluum aliquid dicitur dupliciter: *Primo*, Superfluum naturæ, quod alicui superest demptis necessarijs ad vitam suam, & sibi commissorum. 2. Superfluum status, quod super est alicui deductis necessarijs ad vitam, & decentiam sui status, etiam habita consideratione casuum, qui probabiliter occurrere possent: & hoc

Superfluũ aliquid duplici modo dicitur.

& hoc in loco, sub decentia status continentur etiam, quæ spectant ad sustentationem filiorum, & filiarum, famulorum, & similium rerum, prout recta ratio suadet, & vocatur etiam superfluum personæ.

Necessitas triplex. Extrema quæ sit.

Secundo, Necessitas siue indigentia triplex potest considerari: Extrema, Grauis notabilis siue arcta; & communis. Extrema censetur necessitas, quando quis in tali periculo constitutus est, vt probabiliter cadat in morbum, vel periculum mortis, nisi subsidium accipiat. Non enim requiritur ad extremam necessitatem, vt pauper iam animam agat, quia tunc amplius nõ indiget eleemosyna, sed sufficit morale periculum incidendi, & non est alius, qui subueniat.

Grauis necessitas intelligitur, quæ est citra extremam. Communis quando pauper egens est, potest tamen viuere sine vrgenti necessitate, licet non ita commodè. Nunc pro resolutione, præceptũ eleemosynæ, in duobus casibus obligat sub peccato mortali.

In duobus casib. præceptum Eleemosynæ obligat.

Primus, Quando aliquis habet superfluum naturæ, & petens eleemosynam est in extrema necessitate: In hoc omnes Doctores conueniunt.

Secundus. Quando quis habet superfluum naturæ & status, etiamsi pauperes non sint in extrema necessitate, sed alia notabili. Probatur d. 42. capit. 1. Ex Hieronym. & d. 46. cap. Si quis

ex Ambroſ.& 14. quæſt.4. cap. Quid dicam? Hanc ſententiam citra dubium tenet S. Thomas.2.2.quæſt.32.art.5.& q.66.art.7. in corpore.& quæſt.87.art.1.ad 4.& in 4. ſentent. d. 15. quæſt.2.art.1.quæſt. 2. Quare malè pro ſe torquent Panorm. in cap. Si verò, de iureiurand. Antonin. 2. part. tit. 1. capit. 14.& Roſella in verb.Eleemoſyna. Contra quos S. Thomam defendit Caietan. Tom. 2. tractat. 5. de præcepto Eleemoſynæ. S. Thomã ſequuntur Nicolaus Lyranus, & Dionyſius Carthuſianus ſuper Ioan.3.in illa verba. Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habentem, &c. Conrard. de contractibus q.19. concluſ.3. Richard.in 4. ſentent.d.15.artic.2.q.2.Ioan. Maior, ibid. q.5. Angelus, Sylueſt. & Aurea Armilla in verb. Eleemoſyna. Nauarr. in Manuali, capit. 24. num.5.& ante hos Sancti Patres Hieronym.in Epiſt.150.Chryſoſt.homil.34.ad populum, & hom.75.in Matth. Ambroſ.clarius omnibus in ſermon. 81. Baſil. homil. 6. in diteſcentes auaros, Gregor.3.part.curæ paſtoralis admon. 22. Hæc ſentẽtia plurimũ valet ad concutiendos animos auarorum, qui magis de theſauro faciendo, quàm auxilio pauperibus pręſtando cogitant: prædicta ſententia maiori confirmatur autoritate, & validioribus rationibus fulcitur.

In contrarium, quod habens ſuperflua naturæ, & ſtatus, teneatur niſi dare extremè e-

genti ex præcepto; tenent Panorm. Antoninus, Rosella locis citat. Gerson in regulis moralibus, & Durandus in 4. & alij nonnulli recentiores, quorum autoritas minor est, & rationes parui momenti.

Omittens dare eleemosynam, etsi mortaliter peccet non tamen tenetur ad aliquam restitutionem.

Cum dare eleemosynam spectet ad charitatem, omittēs largiri in casu præcepti, quamuis mortaliter peccet: non tamen tenetur ad restitutionem, quia iustitiæ violatio & non charitatis, inducit restitutionis obligationem, vt optimè tradit Nauarr. in Manuali, capit. 24. num. 7. & in Apologia de reditibus Ecclesiasticis. quæst. 2. monitione 2. & alij alibi.

Ex quibus bonis Eleemosyna fieri debet?

Prouerb. 3.

EX rebus proprijs. Scriptum est enim: Honora Dominum de tua substantia, ac de iustis laboribus tuis. Hinc deducitur, quod eleemosyna non debet fieri ex bonis restitutioni obnoxijs; vt sunt, quæ acquiruntur furto, rapina, vsura, fraude, dolo, alijsque iniustis titulis, & modis. Potest tamen fieri ex bonis per fornicationem, meretricium, aut modum turpem acquisitis: & ratio huius est, quia licet turpiter & malè acquisita sint, tamē iustè possidentur: nam acquiritur per huiusmodi turpes modos dominum, nec competit repetitio danti. S. Thom. 2. 2. quæst. 32. artic. 7. Sylvest. in verb. Eleemosyna. Ioannes Medina in cap. de Eleemosyna, quæst. 1. Iosephus Angles in flo-

floribus in 4.1.part. in tract. de Eleemos. q. 6. & alij alibi.

Quis potest dare Eleemosynam?

OMNIS, qui est sui iuris, & alterius potestati nõ subiectus, & possidet bona propria. Qui autem alteri subiectus est, non potest dare nisi ex licentia, aut commissione eius, qui dare potest. Hinc filij familias, serui, ancillæ, vxor, & similes non possunt dare nisi minima, in quibus præsumitur voluntas Domini: aut ex licentia Domini. Ponuntur autem casus à summistis in verb. Eleemosyna, in quibus vxor potest dare Eleemosynam, nempè si det, aut in extrema necessitate; aut pro consuetudine patriæ parum panis, vini, aut esculenti: aut in absentia mariti: aut pro salute spirituali, vel temporali eius: aut quando non vtitur ratione: vel si habeat propria bona.

De ordine dandi Eleemosynam.

SICVT ordo in charitate est seruandus; sic etiã in elargitione Eleemosynæ. Sanctiori necessitatem patienti, & ad commune bonũ magis vtili, prius subueniendum est: Deinde propinquiori, & eis, quorum cura nobis incumbit. Debet autem Eleemosyna fieri hilari animo, recta intentione, in charitate, iuxta proportionem facultatum dantis, & necessitem recipientis. iuxta consilium Tobiæ. Si mul-

S. Thom. q. d. art. 9.

Tobiæ. 4.

multum tibi fuerit abundanter tribue. Si exiguum tibi fuerit, libenter impertiri stude.

Non sunt tamen indigentes ad hunc effectum iudicandi, qui cum possint laborare, vacant otio, in colligendis Eleemosynis.

De Correctione fraterna.

Vide S. Thom. 2. 2. q. 33.

CORRECTIO duplex est, vna iudicialis, quæ superioribus conuenit erga inferiores, & est actus iustitiæ, qua mali puniuntur ad conseruationem publicæ iustitiæ. Alia dicitur fraterna, quæ est actus charitatis, quo spiritualis fratris necessitati auxilium fertur, & hæc ad præsens institutum pertinet.

Cõditiones requisitæ ad correctionis obligationem.

De fraterna correctione est præceptum, Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum: Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, &c. Vt hoc præceptum sub mortali obliget, quatuor conditiones requiruntur. *Prima*, vt constet fratrem in peccato mortali esse, vel veniali periculoso. *Secunda*, vt sit probabilis spes emendationis, ne deterior reddatur. *Tertia*, Opportunitas personæ, & temporis: Personæ, vt non sit alius, qui melius possit facere: Temporis, quando discretio dictat consideratis circumstantijs, cum maiori fructu posse fieri. *Quarta*, vt correctio commodè fieri possit absq; notabili damno salutis, honoris, fa-

mæ,

mæ,& fortunarum corrigentis, nisi frater esset in extrema necessitate.

Finis correctionis fraternæ, est emendatio, & lucrum animæ fratris, vt constat ex præcepto: dirigenda ergo correctio prout congruit huic fini. Si animaduertitur, quod obsit, omittenda: Si profutura speratur, adimplenda est: Alia ratio est correctionis Superiorũ: hæc cum sit actus iustitiæ tendens in bonum Reipubl. etiam sine spe emendationis delinquentis, quandoque infertur. De correctione fraterna, legendi S. Thom. 2.2 q.d. Caiet. ibidem. Summistæ in verb. Correctio. Nauarr. in Manuali cap. 24. à num. 12. & in commentario ca. Nouit. de iudicijs. notabili 4. & 5. Dominicus à Soto de ratione tegendi & deteg. secretum. membr. 2.

Quis ordo in corrigendo seruandus?

ORDO est ex Euangelio, vt prius secretò admoneatur frater, intellige si peccatum est secretum: Si secreta admonitione non corrigitur, adhibendi testes: Quod si nec sic melior redditur, denunciandus est Ecclesiæ, id est, prælato siue superiori; hic ordo omnium iudicio est in præcepto. Matth. 18. & capit. Si peccauerit. 2. quæst. 1. nisi damni periculum sit in mora, & non sit certitudo emendationis ex secreta admonitione. Hinc vt plurimum in criminibus, quæ sunt contra bonum *Matth. 18.*

ſpirituale, vel temporale Reipubl. non ſeruatur dictus ordo, ſed ſtatim proceditur ad denunciationem, vt in hæreſi, proditione, coniuratione, maleficarum crimine & ſimilibus: Quia periculum eſt in mora, & rarò corriguntur huiuſmodi admonitione ſecreta; proinde ſecundum ordinem charitatis, & rectam rationem magis conſulendum bono communi, quam famæ priuatæ perſonæ. De hoc ordine legendi S. Thom. quæſt. d. art. 7. Sotus loc. cit. quæſt. 4. Adrian. in 4. in quæſt. de correct. & Ioſephus Angles reſolutoriè in Florib. ſentent. Theolog. in 2. part. in 4. in quæſt. de correptione. 4. difficult. & Nauarr. in d. cap. Nouit. notab. 5. Ex hoc pręcepto elicitur, grauiſſimorum doctorum iudicio errare religioſos, qui in viſitationibus denunciant fratres de crimine correctos Viſitatoribus, vel non ſeruato ordine fraternæ charitatis. Diducitur etiam praxis pro viſitatoribus, vt admoneant ante inquiſitionem, ne fratres denuncient de ſecretis peccatis correctis: Aliàs dum ad corrigendos defectus proceditur, charitatis præceptum de correctione præſcriptum à Chriſto, ab hominibus temerariè infringitur. Modus enim in Euãgelio, de ordine correctionis, æquè ligat religioſos atque alios Chriſtianos.

De Scandalo.

CHARITATI fraternæ ſcandalum opponi-

ponitur, quia præbet alicui occasionem, vt labatur in peccatum. Definitur autem scandalum dictum, vel factum minus rectum, præbens occasionem ruinæ spiritualis. Quod Tertullianus dicit alijs verbis; Rei malę exemplum, ædificans ad delictum. Vt hæc definitio intelligatur, notandum scandalum esse duplex. Actiuum & passiuum. Actiuum, quod est in operante & inducente alium ad peccatum. Passiuum est in eo, qui ruit in peccatum propter dictum, vel factum alterius minus rectum. Definitio conuenit scandalo actiuo, quod interdum inuenitur sine passiuo, vtpote cum aliquis verbo, vel facto alium ad peccandum inducit, qui propter constantiam non cadit: Vnde dicitur quod in perfectos non cadit scandalum. Potest etiam aliquando esse passiuum sine actiuo, vt quando aliquis per accidens, præter intentionem, & conditionē operis accipit occasionem ruinæ, exempli gratia, aliquis malæ dispositionis, videt fratrem suum fœliciter in virtute proficientem, accipit occasionem inuidiæ aut temerarij iudicij. Quandoque contingit, quod sit simul actiuū in vno, & passiuum in altero: Quando scilicet ad inductionem vnius, alter peccat.

Quid scandalum sit.

Scandalū actiuum, & passiuum.

Speciale scandali peccatum committitur, quoties aliquis ex intentione vult alterum trahere ad peccatum, exempli gratia, aliquis vult se inebriare, vt alium etiam inebriet. Si quis

Quando scandalum speciale sit peccatum.

quis autem præter intentionem, & per accidens ex cupiditate, vel mala consuetudine, alium inducat ad peccandum, non est speciale peccatum, sed circumstantia aggrauans in eadem specie.

Quæ omittenda propter scandalum?

Scandalũ duplex, Pharisæorum, & Infirmorum.

DVPLEX est scandalum. Pharisæorum, quod nascitur ex pura malitia, quale erat quando Pharisei scandalizabantur ex factis, & doctrina Christi: de quibus Christus dicebat. Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum. Propter tale scandalum nihil omittendum est, quia nascitur ex malitia, & prauitate. Aliud vocatur infirmorum & pusillorum, quod nascitur ex ignorantia, & infirmitate: & propter tale scandalum nihil omittendum, quod est de necessitate salutis: Ea verò quæ sunt consilij, differenda sunt, donec de veritate fiat instructio: Si verò post instructionem adhuc aliquis perseueret in scandalo, nihili faciendum est.

CAPVT IV.

DE EXPOSITIONE PRIMI præcepti Decalogi, & virtute Religionis.

EXODI 20. His verbis describitur. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de

terra

terra Ægypti, de domo seruitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, vt adores illud, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlis desuper. Pro intelligentia notandum, priora illa verba vsque ad negationem, parare dispositionem, & attentionem ad præcepta.

Præsens præceptum, est de vero & debito Dei cultu: vnde pertinet ad virtutem religionis, quæ omnium virtutum moralium præstantissima est: Ex quo capite sequitur, quod peccata, quæ contra hoc præceptum committuntur, sunt grauissima inter ea, quæ præceptis moralibus aduersantur, cæteris paribus.

Primum præceptum quamuis negatiuè sit traditum, à contrario tamen sensu est etiam affirmatiuum. Prohibet enim cultum falsorũ Deorum, & præcipit honorem vero Deo exhibẽdum, & proinde in sacris literis etiam sub forma affirmatiua proponitur. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Quoniam autem negatio ex affirmatione tanquã notiori melius cognoscitur, prius agendum de Religione. *Matth. 4.*

De Religione.

RELIGIO est virtus, quæ Deo debitum cultum, & honorem in primis exhibet, deinde etiam eius sanctis. De hac virtute S. Thom. 2.2. q. 81. agit.

Tres species religionis sunt.

Religio has sub se complectitur species. Latriam, Duliam, & Hyperduliam.

Latria est cultus, qui debetur Deo tanquá omnium primo principio creationis & gubernationis rerum.

Dulia est cultus, qui debetur seruis Dei, & sanctis beatis, quatenus Dei sunt ministri, eiq; summa coniunctione adhærent, participes diuinæ portionis effecti.

Hyperdulia est cultus maior dulia, & minor latria; qui exhibetur Beatissimæ virgini, tanquam matri Dei super omnes creaturas exaltatæ. Ex dictis optimè constat, Catholicos minimè idololatriam committere in veneratione sanctorum, quod nobis falsè hæretici imponunt: longè enim inferiorem sanctis impendimus honorem.

Actus religionis sunt duplices. Interiores & exteriores.

Interiores præcipui sunt duo. Deuotio & Oratio.

Deuotionis duplex causa.

Deuotio, est promptitudo voluntatis erga ea, quæ pertinent ad Dei famulatum. Deuotionis duplex est causa. Extrinseca principalis Deus. Intrinseca ex parte nostra meditatio, siue rerum cœlestium contemplatio. Vnde in Psalm. In meditatione mea exardescit ignis.

Oratio, est ascensus, siue eleuatio mentis in Deum, cum petitione decentium ab eo. Extendi-

tenditur etiam ad sanctos : quos inuocamus pro intercessione ad Deum.

Oratio est duplex. Vocalis & mentalis. De oratione legendi S. Thom. 2.2. q. 83. & omnium excellentissimè Ludouicus de Granato in tractatibus de vtraque oratione. *Oratio vocalis, & mentalis.*

Actus exteriores religionis sunt. Adoratio, Sacrificium, & Oblatio ; ad huiusmodi referuntur primitiæ, decimæ, & alia, quæ ad ministrorum Dei sustentationem spectant.

CAPVT V.

DE SVPERSTITIONE, ET alijs speciebus prohibitis primo præcepto.

SVPERSTITIO, est vitium, quod inclinat ad indebitum Dei cultum: vel quia exhibet cultum, cui non debet; vel eo modo, quo non debet. Quatuor sunt species Superstitionis, Idololatria, Diuinatio, Indebitus Dei cultus, & Vana obseruantia. *Superstitionũ species.*

De Idololatria.

IDOLOLATRIA est, quando alteri, quam Deo diuinus cultus tribuitur, & est grauissimum peccatum: quia honor diuinus creaturæ impenditur.

De Diuinatione.

DIVINATIO, est rerum occultarum, vel futurarum cognitio: aut prænunciatio quæ via humana sciri non possunt, nisi per virtutem Dæmonis, eiusque auxilium.

Duplex est genus diuinationis. Vnum in quo apertè inuocatur Dæmon, vt dicat occulta: & hoc vel fit per fictas & apparentes figuras, & dicitur præstigium, eo quod oculi hominum perstringantur: vel per somnia, cũ homo à Dæmone per somnum responsum expectat; vel per mortuorum aliquorum apparitionem & locutionem: & est Nigromantia: Quamuis enim Dæmon non possit vllam animam reuocare à mortuis, tamen sæpè fingit assumẽdo corpus: Quandoque etiam prænunciat futura per viuos, & arreptitios homines, & dicitur diuinatio per Phytones: Quandoque per figuras & signa terrestria, & tunc diuersę fiunt species secundum diuersam materiam: Si in materia terrestri, vtpote vngue, ferro, aut lapide, futura prænunciantur, vocatur Geomantia: Si in aqua, Hydromantia: Si in aëre, Aëremantia. Si in ignè, Pyromantia: Si in visceribus animalium, Aurispicium: hæ omnes species ex suo genere sunt peccata mortalia contra primum præceptum.

Alterum genus, in quo inuocatur tacitè Dæmon, quando scilicet aliquis vtitur medijs ad cognitionem rerum, quæ nullam habent vir-

virtutem iudicandi: & ſub hoc genere ſunt multæ ſpecies.

Matheſis, quæ ex ſyderibus natiuitates hominum conſiderat, & diuinat futura. Aſtrologia, quæ fit per ſitus, & motus aſtrorum, quando huiuſmodi cognitio dirigitur, vel ad cognoſcendum myſteria gratiæ, quæ à ſola diuina poteſtate pendent, vel ad futura contingentia, quę hominum libero arbitrio ſubſunt: aut quando homo nihil vult facere, niſi aſtra & cœlum in primis aſpiciat. Quando autem Aſtrologia verſatur circa naturales effectus: vt ecclipſin, pluuias, & complexiones naturales, in quas etiam corpora cœleſtia influunt, non eſt prohibita. Verè enim dicitur, ſi rectè intelligatur. Aſtra inclinant, ſed non neceſſitant. Ad quod accedit illud. Sapiens dominabitur aſtris, id eſt, ratione & ſapientia ſe reget, & non ſequetur carnalem inclinationem.

Augurium, quod fit per garritus auium, & animalium quorumlibet voces, & membrorum ſaltus.

Auiſpicium per inſpectiones auium contingit. Circa hæc duo aduertendum, quod aliquando ſunt licita, & naturalia reſpectu quorundam effectuum naturalium, quando quis ſolum ea prædicit, & obſeruat, quæ naturaliter ex inſtinctu indito ab auctore naturæ, aues volatu & voce ſignificant, exempli gratia. Quando veſpertiliones longè à domi-

bus

bus volitant, significat serenitatem. Quando cornicula frequenter crocitat, pluuiam breui instare denotat; & de similibus simile est iudicium. Sic illud Hieremiæ intelligitur. Miluus in cœlo cognouit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui. Quando autem diuinatio per auguria extenditur vltra ordinem naturæ, aut diuinæ prouidentiæ, est superstitiosa, & illicita, exempli gratia. Pica accedit propè ad domum alicuius, & clamitat, homines diuinant citò aliquem moriturum, tunc enim nulla est coniunctio naturalis, inter causam & effectũ.

Omen quod fit in verbis, & circa eadem, quando quis verba hominum certa intentione prolata, alia intentione retorquet ad futurum, quod vult præcognoscere.

Chiromantia, quando dispositiones figurarum in corporibus considerantur, vt si quis inspiciat lineamenta manus: Sicut solent facere Cingari, vt Itali vocant. quos nos Gentiles dicimus, qui intuentur lineas manuum, & sic bonam, vel malam fortunam prædicunt.

Spatulantia, quando diuinatio fit in figura spatulæ alicuius animalis.

Sortilegiũ quomodo contingat. Sortilegium, quod fit per considerationem figurarum, quæ proueniunt ex plumbo liquefacto in aquam proiecto, siue ex quibusdam scedulis scriptis, vel nõ scriptis, in occulto repositis, dum cõsideratur, quam quis partem

tem accipiat: vel ex festucis inæqualibus, vel taxillorum proiectione: vel dum consideratur, quid aperienti librum occurrat: quæ omnia sortium nomen habent. Ad pleniorem huius rei cognitionem notandum. Quædam enim sunt sortes diuinitatis, quæ emittuntur ad aliquid occultum, vel futurum sciendum, & hæ sunt illicitæ. Quædam diuisoriæ, quæ emittuntur ad cognoscendum quid cuique eueniat & hæ sunt licitæ, si in eis non lædatur iustitia, & in sortibus tantum casus fortuitus expectetur. In electionibus tamen Ecclesiasticis neutiquã licitum est vti huiusmodi sortibus. cap. Ecclesia vestra. de sortileg. & cam. Non statim, & c. Non exemplo. 26. quæst. 2. Quia huiusmodi electiones Spiritus sancti inspiratione fieri debent. Ad illud de electione Matthię Apostoli respondet D. Hieronym. in d. cap. Non statim debemus sub exemplo Ionæ sortibus credere vel illud de actibus Apostolorum huic testimonio copulare: Vbi sorte in Apostolum Matthias eligitur: cum priuilegia singulorum non possint legem facere communem. Quædam sunt consultoriæ, in quibus, si iudicium à Dæmone speretur, sunt illicitæ: Si à Deo pro necessitate, cum inuocatione sui auxilij, & in rebus salutem concernentibus, sunt licitæ. Vide S. Thom. 2. 2. quæst. 95. art. 8.

De indebito Dei cultu.

INDEBITVS Dei cultus est, quando homo colit Deũ modo indebito, & hic est duplex. Falsus, & superfluus. Falsus: vt si quis Deo nunc vellet offerre sacrificia veteris legis: vel falsas reliquias supponat pro veris ad deceptionem aliorum, & huiusmodi sunt peccata mortalia: quia committitur mendacium perniciosum in cultu diuino, cum irreuerentia erga Deum.

Superfluus est cultus, qui perficitur cæremonijs, quæ neque ad Dei gloriam, neque ad hoc, vt mens Deo subijciatur, aut carnis concupiscentiæ refrenentur, ordinantur: aut sunt contra Dei, & Ecclesiæ institutionem: vel cõtra communem cõsuetudinem, exempli gratia: Si quis velit deuotionis gratia bis dicere Alleluia, quando solum semel dicendum: vel orat ante solis ortum tanquam hoc melius sit: aut mauult audire sacrum sacerdotis qui vocatur Ioannes ex deuotione, &c. Huiusmodi vt plurimum sunt peccata venialia, nisi contemptus accedat.

De vana obseruantia.

VANA obseruantia est, in qua tacitè Dæmon inuocatur, cum in ea media quædã assumuntur, quæ non habent vllam operandi virtutem in ordine ad tales effectus, qui expectantur: exempli gratia, si quis impares cuiusdam

dam herbæ consecratæ, vel nõ, particulas nouo panno inuoluat, & collo equi appẽdat pro curatione pedis. Herba enim sic applicata nõ habet virtutem, vt curet vulnus pedis.

Quatuor præcipuæ sunt species vanæ obseruantiæ.

Prima, est ars notoria, quæ certis ieiunijs, & orationibus, & varijs obseruationibus, sine labore scientiam infusam pollicetur, ex mente S. Thom. 2.2. q. 96. art. 1. & est peccatum mortale.

Secunda, est obseruantia sanitatum, cũ homo ad sanitatem obtinendam, varia & inutilia media assumit; exempli gratia, in quibusdam benedictionibus adhibentur crines animaliũ, vel mũlieres cingulum aut indusium metiuntur, vt iudicium sumatur, quis sanctorum honorandus pro consequenda sanitate, &c. Huiusmodi incantationes, ex suo genere sunt mortales, nisi imperfectio actus, vel ignorãtia inuincibilis, quæ post instructionem cessat, excuset. Si autem quis credat tales effectus virtute rerum, vel verborum quæ applicantur, effici, nisi ignorantia excusationem habeat, mortaliter delinquit. 26. quæst. 5. cap. Si quis Ariolis. & quæst. 7. cap. Non obseruetis. Quando videlicet res, quæ adhibentur ex sua natura, & virtute non habent naturalem efficientiam respectu effectuum: Quod si quandoque effectus sequantur in incantationibus,

id contingit opera Dæmonis, qui ex pacto tacito, vel expresso, per causas naturales concurrit, vt sibi habeatur fides. Ad hanc speciẽ pertinet, si quis virtutem ponat in eo, dum herbas colligit, vt id fiat ante solis ortum, vel antequã loquatur, vel die Veneris, vel in sancto Ioannis festo, &c. Huiusmodi enim circumstantiæ sunt impertinentes ad rationem medicinæ. Quod autem medicus potius colligat herbas in mense Maio, vel Aprili: quam Augusto & hyeme, id non est superstitionis, sed medicinæ: quia ratio naturalis dictat, quibusdam certis anni temporibus, virtutem in herbis esse potentiorem & efficaciorem.

Tertia Species vanæ obseruantiæ est futurorum euentuum, quando aliquis obseruat mala futura sibi, vel alijs ex impertinenti: exempli gratia, quando quis credit vnum diem fortunatiorem, & sanctiorem ad ingrediendum iter alio: vel obseruat quo pede prius mane terram tangat: vel quia obuiam in via venit lepus, credit aliquis aliquid mali euenturum, &c. Hæ & similes vanæ obseruationes veniales sunt, nisi quis instructus pertinaciter eis adhæreat.

Quarta Species, est obseruantia reliquiarum, cum aliquis reliquias secum defert superstitiosa quadam, & vana obseruatione ductus, veluti vt vas, in quo portat sit quadratum, vel trigonum, secundum S. Thom. in 4. dart.

d. art. 4. ad vltimum. Idem est iudicium si quis ferat reliquias propter finem malum, vel indebitum effectum.

Religiosum autem est ferre reliquias causa deuotionis, ex fiducia erga Deum & sanctos, omissis superstitiosis cæremonijs. Prædictis speciebus Maleficium & Magia adiunguntur.

Maleficium, est ars nocendi alijs Dæmonũ potestate, & est duplex. Amatorium & Veneficum. Amatorium, quo vtuntur ad flectendos animos ad amorem carnalẽ inter aliquas personas: vel etiam efficiendum odium. Sic mortaliter peccant, qui addiscunt artes amatorias: vel præbent alicui philtrum, siue poculum amatorium, vt rectè Angelus in verbo Interrogatio primi præcepti, sentit. Dæmon autem nullius hominis voluntatem potest cogere ad amandum, sed solum persuadet mouendo Phanthasma, & hominis imaginationem, qua voluntas alliciatur: deinde faciendo rẽ amandam apparere amabiliorem: tandem incitando carnem ad inordinatum amorem.

Veneficum est, quo nocere solent in rebus, destruendo vineas, arbores, frumenta, &c. occidendo homines, aut animalia, &c. In omnibus tamen hisce, & similibus nihil efficere, nisi Deo permittẽte, possunt. De maleficijs latissimè tractauimus in tract. de confessionibus maleficor. & in comment. C. de malefic. & mathemat.

Dubium hic esse potest. An liceat maleficium maleficio soluere? exempli gratia: puer alicuius maleficio infectus, grauiter laborat, an pater possit accedere maleficum, pro remedio, & dissolutione talis maleficij?

Respondetur. Non esse licitum maleficium maleficio soluere; & qui accedit maleficum, aut incantatorem pro dissolutione, quærendo ab eo consilium, aut auxilium, mortaliter peccat, patet Leuitici 19. Non declinetis ad magos, nec ab Ariolis aliquid scisciteminí, & iterum. Anima quæ declinauerit ad magos &c. Interficiã eam, &c. Ratio etiã in promptu est: Quia maleficium est per se malum. Nemo autẽ potest ab alio petere, vt hoc faciat, quod per se peccatum est. Nec etiam licitum est petere dissolutionem, quando maleficus est paratus, vt communis sententia tradit, quamuis Angelus in verb. Superstitio. §. 13. contrarium doceat. Licitum autem est soluere maleficiũ, per remotionem signorum, quæ quandoque à maleficis in aliquo loco reponuntur: aut per media ordinata: vt exorcismos, orationem, ieiunia, eleemosynas, & Ecclesiastica exercitia, de quibus in cap. Si per Sortiarias. 33. q. 1.

Magia, est potestas inordinata faciendi talia, quæ supra naturam videntur, ad ostentationem, arte Dæmonis. Dicitur (quæ supra naturam videntur) quia tales effectus homini supra naturam videntur, tamen simpliciter non

non excedunt metas naturæ: Cum nec etiam Dæmon miracula efficere queat, sed tantum mirabilia; quæ imperitis, qui naturalium rerũ cognitionem non habent, ordinem naturæ excedere videntur: Solus enim Deus vera miracula operatur, & sancti quando faciunt, diuina virtute efficiunt. Ad superstitionem etiã spectat, Dæmonem adiurare per modum deprecationis, siue obsecrationis, quando fit vt aliquis aliquid ab eo discat, aut obtineat: Quia hoc pertinet ad quandam beneuolentiam, & amicitiam, quam non licet habere cum Dæmone. De superstitionibus legendi S. Thom. loc. citat. Nauarr. in Manuali. capit. 11. à num. 24. Martinus Arles in tractat. de superstitionibus, & Summistæ in verb. Superstitio. Quoniam autem materia superstitionum ampla est, subijciuntur aliquæ regulæ pro cognitione earundem.

Prima Regula. Quoties aliquis effectus rei tribuitur, qui non conuenit ei secundum suam naturam inditam, si per Ecclesiæ definitionem, vel consuetudinem, non constet fieri à Deo: vt accidit in sacramentis, & sacramentalibus, habendũ erit tãquam superstitiosum.

Secunda. Si effectus naturalis tribuitur alicui rei, quam constat habere ex sua natura, non est superstitio: At si tribuitur alicui ex rebus, vt verbis, vel signis, vel characteribus: aut si postulatur fides, superstitiosa sunt.

Tertia. Si res naturales, aut artificiales, adhibeantur ad ſupernaturales effectus producendos, vel ad liberos voluntatis actus, vel ad intellectus ſpirituales: aut res futuras contingentes cognoſcendas: vel ad diuinandum: aut ſpirituales effectus efficiendos in nobis, vel alijs, eſt ſuperſtitio iudicanda, niſi fiat modo in prima regula poſito.

Quarta. Quoties quis vtitur verbis ſacris in rebus vanis, neque ad diuinum cultum pertinentibus, eſt ſuperſtitio.

Quinta. Quando opus ſit, quod pertinet ad aliquam abſtinentiam corporalem, vel ad corporis exercitium: Videndum an refrenet carnalis concupiſcentiæ motus, modo virtuti debito ſecundum Eccleſiæ ritum, & moralem doctrinam.

De Tentatione.

TENTATIO Dei, eſt contra primũ præceptum. Quia qui alterum tentat id facit, quia incertus eſt de ipſius excellentia: de Dei autem excellentia nemini dubitare licet: hoc enim pertinet ad Dei irreuerentiam, & tendit in diminutionem diuini honoris. Tentatio autem Dei in hoc conſiſtit, ſecundum S. Thom. 2. 2. q. 97. art. 5. quando homo prætermittit facere, quod poteſt ad euitanda pericula, ſolum reſpiciens ad auxilium diuinum, exempli gratia, aliquis incidit in latrones, poſſet

set fuga sibi consulere, sed vult se defendere, vt experiatur diuinum auxilium. Aliquando tacitè & interpretatiuè quis tentat Deum, quando non habet intentionem Deum explorandi, facit tamen aliquid, quod ex se tendit in hoc, vt Deus probetur: & hoc modo intelligitur illud Eccles. 18. Ante orationē præpara animam tuam, & noli esse quasi homo tentans Deum.

Qui peccent peccato tentationis.

Mortaliter peccant tentatione Dei, qui subeunt vel alium cogunt subire probationem feruentis aquæ, ferri candentis, vel aquæ frigidæ, pro purgatione criminis: cap. fin. de purgat. vulgari. & 2. quæst. 5. cap. Consuluisti. S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. ad. 3. & qui temere se offerunt martyrio, infideles irritando, sine vtilitate & necessitate. Eodem modo peccant, qui sine causa obijciūt se probabili periculo mortis, aut mutilationis: vt si ægrotus respuat humanum remediū, quo liberari potest, & quod facilè habere licet, & se soli diuinæ prouidentiæ committat. Postremò non solum peccant contra hoc præceptum, qui opere committunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Non solum, ait Apostolus, qui faciunt, sed & qui consentiunt faciētibus, digni sunt morte.

Consensus autem fit nouem modis, his versibus compræhensis.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,

Participans, mutus, non obstans, nõ manifestans.

De his plenius infra in materia de restitutione patebit.

CAPVT VI.

DE SECVNDO *præcepto.*

Non assumes nomen Dei tui in vanum & de Iuramento.

ADVERTENDVM per nomen Dei intelligi omne nomen, per quod rationali méti Deus innotescit, sicuti sunt Creator, Gubernator, Omnipotens, Redemptor, Saluator, Ipsa veritas, &c. Quia nominibus Dei debetur reuerentia ex parte rei significatæ, quæ est vna, & non ratione vocum significantium, quæ sunt multæ.

Deinde vana vsurpatio diuini numinis attenditur: aut secundum seipsum, quando nõ est verum quod iuramento asseritur, sed falsum: & hoc est propriè periurium: aut ex parte iurantis, quando quis iurat verum ex leuitate animi, sine necessitate, & vtilitate; hoc præcepto prohibetur vanitas tam ex parte falsiatis, quam iurantis.

Sensus huius præcepti est, nomen Dei in hono-

honore esse habendum, ac sanctè per illud esse iurandum: & à contrario cauendum, ne cũ irreuerentia nomen Dei tractetur, & in vanũ vsurpetur: quod his modis plerumque fieri solet. Cum quis per nomen Dei malè & irreuerenter iurat: vel benè vel reuerenter iurat, sed quod iurauit, malè implet: Vel malè vouet, vel id quod benè vouit malè exequitur; vel qui Deum, eiusque sanctos blasphemijs petit. De iuramento, & voto hic agendum. De blasphemia supra actum est.

De Iuramento.

IVRAMENTVM, est assertio rei sacræ vel humanæ, attestatione firmata. Iurare autem est Deum in testem vocare.

Iuramentum introductum est, in confirmationem veritatis ex defectu humanæ probationis, vt fine litibus imposito, homines in pace, & tranquillitate viuant. *Quis finis iuramenti.*

Formæ iuramenti diuersæ fuerunt pro diuersitate temporum, vt notat Glossa in 2. 2. quæst. 1. in summa. In veteri lege sic iurabant. Viuit Dominus, Viuit anima mea. Hoc addat mihi Dominus. In primitiua Ecclesia, Testis est mihi Deus; Testis est mihi conscientia: Deum inuoco in testem. Veritatẽ dico in Christo Iesu, non mentior. Nunc iuratur per Deũ: Sic me Deus adiuuet. Item per Euangelia, per crucem, ordinem sacrum, sanctos, animam *Formæ iurandi diuersæ.*

meam, &c. Quando formæ iuramenti sunt dubiæ, standum est consuetudini, & intentioni loquentis. Ad iuramentum imprecatorium pertinet, si quis dicat, Dæmon me rapiat, aut mihi malè vertat; aut Deus me non iuuet, &c. si hoc feci, aut fecero. De varijs iuramēti formis, & earum sensu, vide Dominicum Sotum libr. 8. de iustitia & iure, quæst. 1. artic. 1. Per creaturas quando iuramus, id intelligendum, quatenus in eis diuinæ maiestatis splendor, ac veritas residet.

Iuramentum aliud assertoriū, aliud promissorium.

Iuramentum est duplex. Assertorium, quādo testimonium adducitur ad asserendū præterita, vel præsentia: & promissorium, quando quis promittit futura cum confirmatione iuramenti, exempli gratia, per animam meam tali die tibi debitum soluam. Est etiam quoddam iuramentum per execrationem, quod solet dici imprecatorium: vt si statuto die mutuatam pecuniam non soluero, auferat mihi Deus animam meam, &c. & hoc contingere solet, quando aliquis se, aut ad se pertinens obligat ad pœnam: & in talibus casibus, si non seruatur iuramentum, graue periurij peccatum committitur.

Comites iuramenti.

Omne iuramentum, vt sit licitum & actus virtutis, tres requirit comites: Veritatem, Iudicium, & Iustitiam, Hierem. 4. cap. Iurabis, viuit Dominus in veritate, iudicio, & iustitia, & in cap. Etsi Christus, de iureiurando. Si iuramen-

ramentum caret veritate, dicitur periurium: Si iudicio, incautum: Si iustitia, iniquum. Sub iudicio includuntur aliæ conditiones, ex parte modi iurandi, reuerentia, & ex parte causæ, necessitas & vtilitas.

De Veritate Iuramenti.

QVANDO iuramento deest veritas, periurium committitur, quod nihil aliud est quam mendacium iuramento firmatum: & est peccatum mortale ex suo genere, quia præcepto diuino aduersatur. Ex imperfectione tamen actus, vtpote si quis ex lapsu linguæ, peieret, venialis tantum culpa committitur. Circa iuramentum, cui deest veritas, notanda sequens regula generalis.

S. Thom. 2. 2. quæst. 98. Quid sit periurium.

Omnis homo qui annos discretionis attigit, si falsum iurat, sciens & aduertēs se falsum iurare, q̃ aliqui vocant aduertere de dicto & iuramento, mortaliter peccat siue faciat ob vtilitatem suam, siue alienam, siue ex leuitate, lapsu linguæ, ioco, coactione, metu, consuetudine, ira, perturbatione, aut alio modo, sub quacunque forma verborum, *S.* Bonauent. in 3. d. 39. quæst. 3. S. Thom. 2. 2. quæst. 98. artic. 3. ad 2. Nauarr. in Manuali. cap. 12. num. 6. Caietan. & Aurea Armilla in verb. Periurium & alij alibi. Nisi ira, aut perturbatio tanta esset, quæ iudiciū rationis auferret, aut alias imperfectio actus à mortali excusaret.

Mor-

Mortaliter etiam delinquit, qui ex ignorantia crassa, & supina iurat falsum credens esse verum. Angelus, Sylvest. & alij in verb. Periurium. Nauarr. loc. cit. num. 7.

Eodem modo peccat, qui non iurat adiuranti, siue imponenti iuramentum secundum suam intentionem, sed propriam mentem, quando iuramentum imponitur à iudice, aut habenti potestatem, modo legitimo & debito, & sic intelligitur illud. 2. 2. quæst. 5. capit. Quacunque arte verborum quis iuret, Deus tamẽ, qui conscientiæ testis est, ita accipit, sicut cui iuratur, intelligit. Nauarr. loc. cit. numer. 8. & in commẽtario cap. Humanæ aures. 2. 2. quæst. 5. numer. 2. quæst. 2. in quo, super casu simili disputat de veritate responsi partim verbo expressi, partim mente concepti: Si autem iuramentum extorqueatur per metum, vel importunitatem ab eo, ad quem non spectat, vel etiam à iudice non seruato ordine iuris, potest iurans secundum propriam mentem verum iurare, & falsum secundum intentionem iuramentum exigentis, exempli gratia. Si quis aliquid secreti ab aliquo quærat quod non debet, & exigat iuramentum de scientia, quamuis sciat, potest iurare se nescire, intelligendo in mente, vt tibi tenear reuelare. Eadem est ratio, petit aliquis ab alio rem dono, vel commodato, quam non vult dare, vel accommodare, potest iurare quod non habeat, intelligendo

gendo in mente, non habeo, vt tibi donem, aut accommodem, &c. De hac materia legendi, Nauarr. loc. cit. Sotus lib. 8. de iustitia & iure. quæst. 1. art. 7. Caiet. 22. quæst. 89. art. 7.

Exigit etiam veritas iuramenti secundum Hieron. ad Damasum, vt de ore Christiano non sonet Iupiter, & me Hercule, & me Castor, & cætera magis portenta, quam numina, prohibitum hoc enim in Exodo est: Per nomen externorum Deorum non iurabitis, nec audietur ex ore vestro. *Exod. 23.*

De iuramenti promissorij obligatione.

IVRAMENTVM promissorium est, quando præstatur de aliquo futuro faciēdo, sicut assertorium de præterito, vel præsenti. In hoc iuramento semper intelliguntur etiamsi non exprimantur, aliquæ conditiones generales, iuxta Glossam à Doctoribus receptam in cap. Illud autem. de iureiuran. exempli gratia. Si superiori placuerit: Si diuina voluntas non aliter disposuerit: Si res in eodem statu permanserit: Si res sit honesta, &c. De quibus vide Angelum in verb. Iuramentum 5. qui adfert. 26. casus, in quibus iuramenti promissorij obligatio cessat. Speciales autem conditiones exprimendæ sunt. Conditionale autem iuramentuum ligat, nisi conditio accedat, exempli gratia. Iuro alicui, quod ei donabo vineam, si diligentiam impendat in promotione *Quomodo conditionale iuramentum liget.*

sanita-

ſanitatis vxoris ęgrotæ: Si diligentiã non præſtet, non teneor dare vineam. Omne etiam iuramentum promiſſorium obligat ſub mortali culpa, quando requiſita adſunt.

Dubium quotidianum. An iuramentum promiſſorium de re minima, obliget ſub mortali exempli gratia, ſi quis iuret, quod alicui dabit pomum: vel ſalutabit amicum: vel duo honore ſe inuicem præuenientes, iurant ſingulis non præceſſuros in exitu domus. Aut mater iurat verberare filiam: An non implens talia iuramenta mortaliter peccet?

Caietan. 2.2. q. 89. artic. 7. tenet affirmantem partem, quem ſequuntur Aurea Armilla in verb. Iuramentum. §. 12. & Didac. Couarr. lib. 1. variarum reſolutionum. capit. 1. num. 2: Negantem partem tradunt S. Antonin. 2. part. tit. 10. capit. 4. Sotus de iuſtit. & iure. lib. 7. q. 2. artic. 1. & libr. 8. q. 1. artic. 7. Syluester in verb. Iuramentum. 4. quæſt. 1. Angelus ibidem. iuramentum 5. §. 41. Nauar. in Manuali loc. d. num. 10. & hæc ſententia communiter tenetur; quia vt ſæpius repetitur, paruitas rei in omni materia à mortali excuſat.

De Iudicio.

EX parte iurantis requiritur iudicium, ſcilicet diſcretionis, vt iuramentum non temerè & inconſideratè, ſed diſcretè & conſultò, rei neceſſitate poſtulante fiat, & ex hoc capi-

capite in primis peccant, qui irreuerenter iurant per creaturas, nullo habito respectu in ordine ad diuinam veritatem in creatura resplendentem. Deinde qui iurant sine vlla deliberatione ex leuitate, vel cõsuetudine, communiter venialiter peccant. Eradicandus tamen est talis abusus frequentandi iuramenta, siue per Deum, siue per animam, siue per aliã quamcunque creaturam, propter periculum periurij: Scriptum est enim. Vir multum iurans implebitur iniquitate. Ex defectu iudicij non ligat iusiurandum puerorum ante vsum rationis, amentium, & eorum, quorum iudicium rationis ita passione absorbetur, vt plenè non deliberare valeant.

Dubium. An iuramentum coactum obliget?

Respondetur. Si quis iuret coactus metu, & timore, vel minis, iuramentum tenet, cap. Si vero, & cap. Verum, de iureiurando. & est communis sententia, & tenetur iurans soluere, si quid promisit. Potest tamen solutum autoritate superioris repetere, vel ante solutionem obtinere dispensationem à tali iuramento, iuxta S. Thom. 2.2, quæst. 89. artic. 7. ad 3. receptum.

Peccant etiam ex defectu iudicij, qui iurant sine vtilitate, & necessitate: communiter tamen non est nisi veniale, licet periculosum, etiam si veritas & iustitia adsint. Iuramentum autem est præstandum pro pace seruanda, pro

fama

fama purganda, pro fide Catholica seruanda, pro fidelitate, pro cautione damni non faciendi, pro defectu veri, id est, vt veritas non occultetur, ex Gloss. 22. quæst. 1. in summa. Incauta sunt etiã iuramenta de re impossibili, & tunc licet iurans peccet, nulla tamen nascitur obligatio: quia nemo obligatur ad impossibile: Si autẽ iuramentũ sit de re difficili, quæ iuranti pro parte est possibilis, & pro parte impossibilis: tenetur iuramentum implere prout potest, secundum doctrinam S. Thom. in corpore d. artic.

De Iustitia?

IVSTITIA iuramenti postulat, vt sit de re iusta, licita, & honesta. Atque vt casus clarius resolui possint, aliquibus punctis latius aliqua declaranda sunt.

Primum. Si quis iuret aliquid quod est peccatum, & iniquum, mortaliter peccat, Si obiectum iuramenti sit mortale; & si iuramentum impleat, scelus scelere accumulat, 22. q. 4. cap. Qui sacramento, & cap. Non est obseruandũ. S. Thom. loc. d. ad 2.

Secundum. Iuramenta, quæ sunt contrà bonum publicum, aut vergunt in dispendium propriæ salutis corporalis, vel spiritualis, vel etiam alienæ, non obligant. 22. q. 4. capit. 1. & sequen. & 23. q. 5. ca. Si non licet. Ex hoc fundamento infero rectè tenere Panorm. in cap.

Si

Si verò, de iureiurando. Bald. in Rubr. de vita & honest. cleric. & alios quos citat & sequitur Couarr. lib. 1. var. resol. cap. 2. iniustè captum, & è carcere dimissum præstito iuramento de redeundo, si mortis periculum instet, nō obligatum esse vi iuramenti ad redeundum, contra aliquorum Doctorum auctoritatem. Alia tamen ratio est, si quis iustè in carcere detineatur.

Tertium. Qui iurat se non facturum aliquid, quod est melius bonum & de consilio, peccat quidem iurando: quia ponit obicem Spiritui sancto, qui boni propositi inspirator est, iuramentum tamen nō obligat, sed potest infringi iurātis propria voluntate: & hoc factu melius est. S. Thom. loc. cit. Vide Nauarr. in Manuali confess. cap. 12. num. 16.

Quartum. Qui iurat aliquid licitum in principio, quod tamē ex aliquo euentu & circumstantia consequente, redditur illicitum, non debet seruare in illo casu iuramentum: Sic Herodis iuramentum factum puellæ saltanti, poterat esse licitum in principio, subaudita conditione, si honestum quid peteret. At quando petebat caput Ioannis Baptistæ, reddebatur illicitum, & erat rescindendum.

De dispensatione in iuramento.

IN primis quando iuramentum factum est in vtilitatem alicuius, is in cuius gratiam fa-

ctum est, potest relaxare: Si verò iuramentum præstitum homini, sed non in vtilitatem hominis, sed in honorem Dei homo non potest tollere obligationem.

Quando dubium, an iurameutum licitum, vel illicitum, Episcopus potest dispensare. Si autem iuramentum licitum sit, & causa iusta subsit, Pontifex potest dispensare, imò etiam Episcopus in suo Episcopatu, secundum Innocent. in c. Debitores, de iureiur. & Panorm. in cap. Contingit, ibidem.

Præterea quilibet superior, potest irritare iuramenta suorum subditorum, si facta sunt circa ea, quæ suæ potestati subsunt. Sic Pater potest irritare iuramentum filij, vir vxoris, Abbas suorum monachorum &c. Vide S. Thom. loc. cit. art. 9.

CAPVT VII.

DE VOTO.

VOTVM est promissio Deo facta, cum deliberatione de meliori bono, siue de his, quæ sunt Dei, ex Magistro in 4. dist. 34. Hanc definitionem explicat S. Thom. 2.2. q. 88. art. 1. De essentia voti tria sunt. Deliberatio, propositum voluntatis de vouendo, & promissio.

Tria ad substantiam voti requiruntur.

Circa voti essentiam animaduertendum, non

non sufficere ad votum propositum, siue desiderium vouendi, prout multi canonum interpretes sentire videntur in cap. Consulti. de regularibus: In qua re etiam indocti falluntur: quia aliud est propositum, aliud actualis promissio. Promissio obligationē inducit. Quod si autem aliquis oretenus tātum promitteret, siue voueret, sine animo se obligandi, mortaliter peccaret, non tamen obligaretur ad implendum in conscientia. Quamuis Ecclesia quæ non iudicat de occultis possit ad voti obseruantiam compellere: nec teneatur contrarium asserenti fidem adhibere, sed potius ex proprio ore condemnare, si scandalum ex fractione voti timeatur.

Quāta deliberatio ad vouendum necessaria.

Quando etiam deliberatio in voto exigitur, tanta intelligitur, quanta ad mortaliter peccandum sufficit, quia vt Glossa recepta, 32. q. 2. cap. Mulier, ait. Iudicium quod sufficit ad obligandum Diabolo, sufficit etiā ad obligandū Deo. Hinc votum cū actuali deliberatione, quę plena, aut semiplena nominatur, vouentē obligat. cap. Sicut nobis 2. de regul. vbi ad executionem voti tenetur, qui maxima laborans ægritudine, mortis timore vouerat, & in cap. Veniens de voto, commutatur votum quadam facilitate in puerili ætate, sine plena deliberatione emissum.

In definitione voti, quando dicitur (de meliori bono, siue de his quæ sunt Dei) ma-

teria voti explicatur; ex hac particula elicitur, non valere vota facta de rebus illicitis, iniustis, vanis, indifferentibus, & impossibilibus, & qui similia vota faciunt, mortaliter peccāt, quamuis nulla obligatio nascatur, quia notabilem irreuerentiam Deo faciunt. Si autem aliquis ea voueat, quæ sunt de necessitate salutis votū valet, & obligat, & si transgrediatur duplex peccatum committit, exempli gratia, si quis foueat non fornicari, fornicādo incurrit peccatum fornicationis, & fractionis voti: Vnde Monachus, qui fornicatur, aut furatur, duplicis peccati mortalis reus fit, & in tali casu, circumstantia voti necessariò in confessione est aperienda.

Quoniam autē ignorantibus, exemplis res clarior redditur: Ponendi sunt aliqui casus votorum, in quibus nulla obligatio nascitur.

Primus, Si quis voueret homicidium, aut fornicationem cum aliqua virgine. Ad hunc ordinem etiam referre possumus, si quis voueat aliquid propter malum finem, vt voueret Eleemosynam certam, ad consequendum iniustam vindictam.

Secundus, de rebus vanis, vt si quis voueret non pectere crines in die Sabathi, vel non lauare caput, aut non abscindere vngues die veneris: aut in honorem S. Ioannis Baptistæ non comedere capita animalium: hæc enim & similia vota de rebus vanis & inutilibus, sunt

magis

magis deridenda, quàm ſeruanda, ſecundum S.Thom.in art.3. ad 3.quæſt.88.2.2.

Tertius, de rebus indifferentibus, vt ſi quis faciat votum de non eundo per aliquam viam, aut plateam, aut non filare in die Sabathi, & interim non abſtineret ab alijs ſeruilibus. Si tamen huiuſmodi votis aliqua conditio, aut circumſtantia bona accedat, fiunt valida: vt ſi quis voueret non ire per aliquam plateam, quia in tranſitu eſſet aliqua perſona, quæ cauſam peccati præberet, aut non vellet filare Sabatho, vt aliqua certa hora poſſet vacare orationi, quia in talibus caſibus, circumſtantia finis faceret votum validum, & actum virtutis.

Quartus, de rebus impoſſibilibus & neceſſarijs: vt ſi quis votum de non faciendo vllum peccatum veniale emitteret, vel de nunquam comedendo, vel de non moriendo. In dictis caſibus vouens vouendo peccat, & vota ſunt nullius roboris. His poſſumus addere, quando aliquis vouet contra conſilia Euangelica, quæ propriè cadunt ſub votum, aut aliquid, quod maiori bono eſt impedimento.

Quomodo diuiditur votum propriè dictum?

Votum diuititur in Abſolutũ, & Conditionatum. Et in ſimplex ac ſolemne.

IN primis in Abſolutum, & Conditionatũ. Abſolutum, vt voueo ingredi religionem. Conditionatum, vt infirmus vouet viſitare B. Virginem apud martyres ſingulis menſibus in anno, ſi ſanitatem recuperet.

Deinde diuiditur in Simplex & ſolemne. Simplex votum emiſſum ſiue publicè, ſiue ſecretò, ſine ſolemnitate conſueta Eccleſiæ. Solemne quod celebratur per profeſſionem religionis approbatæ, aut per ſuſceptionem ſacrorum ordinum: & eſt differentia inter ſolemne & ſimplex, quod prius impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit etiã contractum: At ſecundum ſcilicet ſimplex, ſolum impedit contrahendum.

An omne votum obliget?

SECVNDVM fidem Catholicam votum obligat ad ſui obſeruantiam: Pſalm. 75. Vouete, & reddite Domino Deo veſtro. Eccleſ. Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere. & Deuter. 23. Quod ſemel egreſſum eſt de labijs tuis, obſeruabis. Item patet in iure canonico in titulo de voto & voti redẽptione. Etſi enim vouere ſit conſilij, promiſſum tamen reddere, eſt præcepti. cap. Magnæ deuotionis. de voto. Hinc fractio voti, ex ſuo genere eſt peccatum mortale, niſi paruitas rei excuſet: Vnde vouens dicere vnum verſiculum Pſalterij, aut vnum Aue Maria, ſi omittat, ſolum venialiter peccat, quamuis Caietan. & alij quidam contrarium ſentiant, vt etiam ſupra de iuramento dictum eſt. Cauenda autem ſemper facilitas in vouendo, & adhibenda diligentia in adimplendis eis, quæ voto ſancita ſunt.

Quo

Quo tempore obligatio voti currit, id est, quando homo tenetur adimplere votum?

OBLIGATIO voti pendet ex propria voluntate, & intentione: Si intentio vouentis fuit, statim se obligare, tenetur statim adimplere: Si autem intentio feratur in certum tempus, & sub certa conditione, standum est est in tempore & conditione: Si vero votum est indeterminatum, & non est præfixus terminus adimplēdi, obligat pro prima commoditate, vt colligitur ex Glossa in capit. Non est. de voto. & S. Thom. communiter recepto 2. 2. quæst. 88. artic. 3. ad 3. & probatur Deuteron. 23. Cum votum voueris Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si autem aliquis differat votum adimplere, & culpa sua fiat impotens ad soluendum, si præsertim animaduertat ex protractione se fieri impotentem, mortaliter agit, Angel. verb. votum 3. §. 2. & Nauarr. in Manuali cap. 12. num. 41. & alij alibi.

Conditionata vota quomodo obligent.

Vota conditionata, obligant conditione adimpleta, secundum communem Doctorū sententiam: vt qui fecit votum in infirmitate, si liberetur, recuperata sanitate debet adimplere: Si autem aliquis sua culpa impediat, quo minus conditio eueniat, non est liber ab obligatione.

Quando autem aliquis vouit aliquid fa-

cere certo tempore, si termino præfixo non adimpleuit, si in vouendo non respexit principaliter tempus, sed substantiam actus, tempore transacto tenetur adhuc adimplere votum; Quia qui debitum creditori non soluit statuto tempore, manet debitor, donec soluat. Panormitan. in cap. Per tuas de voto. Angelus in verb. votum. 3. §. 3. Caietan. in verb. voti dispensatio. Nauarr. loc. cit. numer. 54. Si votum vero respiciat tempus, vt onus, tunc qui non soluit suo tempore peccat, & cessat obligatio: quia voti executio iam facta est impossibilis: Sicut qui ex præcepto in vigilia S. Laurentij debet ieiunare, si neglexit facere, non tenetur altera Laurentij ieiunare.

Si autem aliquis in genere vouit non respiciendo ad dicta, tunc secundum primum interpretandum votum, quia in dubijs communior sensus amplectendus est.

An quis pro alio teneatur implere votum in aliquo casu?

Vota realia, & personalia.

DVPLICIA sunt vota. Realia quæ spectant ad rem familiarem eius, qui vouit, vtpote aliquis de suis bonis vouet ædificare templum: aut instituere Eleemosynam, &c. Et Personalia, quæ personam vouentis concernunt: vt ieiunare certis diebus: vel votum continentiæ, &c.

Pro resolutione. Nemo tenetur alterius votum

votum personale adimplere, nisi consentiat se obligare. Reale autem, filius, siue hæres sub peccato mortali tenetur adimplere eius, in cuius hæreditatem succedit, cap. Licet. de voto. Panormitan. & Doctores ibidem: & si filius aut hæres negligit, potest compelli per priuationem hæreditatis, vt vult Innocent. aut per excommunicationem, vt alij sentiunt. Si autē votum partim sit personale, partim reale, hæres tantum tenetur ad id, quod est reale, exempli gratia, Pater vouit visitare B. Virginem in Clusa Euerardi, & offerre sex libras ceræ, hæres tantum tenetur ad solutionem ceræ, & nō peregrinationis. Tenetur autem quis votum per alium adimplere, quando tacitè vel expressè extenditur ad alios: Aut quando aliquid vouit quod non potest per se ipsum implere, si hoc animaduertit, quando votum emisit. S. Antonin. 2. part. tit. 11. c. 2. Panorm. & Innocent. in d. cap. Licet. & in cap. Scripturæ. Angel. in verb. votum. 3. §. 7. & alij alibi.

In quibus casibus cessat obligatio voti?

PRIMVS, si materia voti reddatur impossibilis, ex. gr. aliquis fecit votum de ieiunando die Veneris, & Mercurij in pane & aqua, incidit in infirmitatem, stante infirmitate potest comedere. Hîc tractari posset. An Carthusianus non obstante voto, possit, aut teneatur, in aliquo casu comedere carnes? de

qua difficultate legendi Ioan. Gerson in tract. de abstinen. Ioan. Maior in 4. d. 38. q. 4. Victoria in Relect. de Temperantia. Non autem impeditur voti obligatio difficultate, licet hęc sit causa facilius dispensandi, vt docet Panorm. in cap. Non est de voto.

Secundus casus, quando votum sit illicitum ex aliquo accidenti, exempli gratia, aliquis fecit simplex castitatis votum, postea cõtrahit matrimonium, & consummat, non potest totam castitatem seruare: quia tenetur vxori debitũ reddere, tenetur tamen quantum est à sua parte facere, id est, nunquam debitum petere, nisi legitima accedat dispensatio.

Tertius, quando seruare votum est impedimentum maioris boni, exempli gratia: aliquis vouit visitare limina Apostorum. Si voueat religionem, & ingrediatur, cessat prius votum.

Quartus, quando materia voti sit indifferens, ex. gr. vt supra dictum est, aliquis fecit votum de non eundo per aliquam plateam, quia tentabatur à muliere ibi habitãte, moritur talis mulier, potest ire per talem plateam.

Quintus, quando legitima & iusta interueniente causa, dispensatio impetratur, tunc etiam obligatio desinit.

CA-

CAPVT VIII.

DE VOTO RELIGIONIS

VOTVM religionis est omnium præstantissimum, & omnia vota per voti religionis emissionem, & susceptionem sine vlla dispensatione tolluntur, si cum tali voto commodè non possunt seruari.

Hoc votum secundum Catholicam fidem includit paupertatem, castitatem, & obedientiam; de consensu totius Ecclesiæ. & cap. Cum ad monasterium, de statu monachorum. Horum votorum congruentes rationes ponit S. Thom. 2.2. q. 186.

Votum religionis includit paupertatem, castitatē, & obedientiam.

Quando quis potest emittere votum Religionis?

QVILIBET potest facere votum simplex religionis, qui excessit annos pubertatis. Excedunt autem hos, pueri circa annum 14. Puellæ verò circa 12. Si quis autem ante annos pubertatis voueat, & ingrediatur religionem, cum adhuc in patria potestate sit parentes possunt ipsum retrahere. cap. Cum similis. cap. Ad nostram. & cap. Significatum, de regulari. Votum autem solemne nunc in nulla religione tam virorum quam mulierum potest fieri ante annum 16. completum, ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 15. de regularibus, & si antea fiat, nullam obligationem inducit.

An satisfaciat voto de ingrediendo, qui ingreditur & deinde iterum egreditur?

DIVERSA in hac materia sunt. Vouere religionis ingressum, professionem facere, & simpliciter vouere religionis ingressum. Nunc cum obligatio voti pendeat ex voluntate vouentis, considerandum qualiter vouens intendat se obligare. Qui vouet ingredi religionem cum intentione perseuerandi ad dies vitæ, non satisfacit ingrediendo, si egrediatur. Quia voti obligatio latius se extendit: Si autē quis simpliciter voueat ingredi religionem ad probandum vires suas, an possit manere, vel non: de iure communi, si bona fide, sine dolo egrediatur, satisfacit voto, etiamsi postea egrediatur, c. Ad Apostolicam, de reg. & lib. 6. eod. tit. cap. Non solum. Tandem qui vouet ingredi religionem non cogitando de libertate exeuñdi, & stabilitate permanendi, satisfacit ingrediendo, etiamsi egrediatur: Quia talis intelligitur vouisse secundum formam iuris communis, quæ est, vt ingredientibus annus probationis concedatur.

Quid si quis vouit ingredi religionem, & non suscipitur?

AVT vouit in genere, aut in specie. Qui vouit religionem in genere, si non recipiatur in vna, tenetur instare in alia, etsi non suscipitur in vno monasterio, debet adire aliud

& si in proximis locis excludatur, adeat remotiores partes. Non tamen tenetur per totum mundum discurrere, iuxta Angelum verb. votum. 3. §. 10. Nec etiam talis, si in Germania voueat, tenetur ire in Hispaniam, aut Italiam, nisi talem intentionem habuisset, prout tradit Caietan. 2. 2. quæst. 88. artic. 3. Si autem nulla esset religio, quæ eum vellet recipere, posset in seculo manere; & vxorẽ ducere, iuxta eundem quæst. 188. artic. 3. 2. 2. & Angelum loco citat. §. 11. Qui verò vouet in specie ingredi religionem S. Benedicti, vel hoc monasterium S. Maximini, aut S. Matthiæ propter singularem rationem, qua mouetur erga illam religionem; vel hoc monasterium; non tenetur aliam, vel aliud intrare, si illi ipsum recipere nolint, vt docet S. Thom. 2. 2. quæst. 88. artic. 3. ad 2. Si autem aliquis vouit ingredi in religionem de strictioribus, & postea ingreditur laxiorem, ibique professionem facit, peccat, & tenetur agere pœnitentiam, tenet tamen professio, votoque satisfecit, & non obligatur amplius ad strictiorem, cap. Qui post votum, de regularibus lib. 6. & DD. ibidem.

An professus in vna religione possit transire aliam?

SI subsit legitima causa, à superiori approbanda, transitus potest fieri ad strictiorem religionem. Causæ autem sunt, zelus perfectioris

ctioris religionis, & desiderium strictioris vitæ. Propter infirmitatem, & debilitatem, dispensatione interueniente, potest aliquis transire ad laxiorem, vt sentit S. Thom. 2. 2. q. 189. artic. 8.

De votis monasticis in specie.

DE hac materia tradunt S. Thom. 2. 2. q. 186. S. Antoninus 3. part. tit. 16. capit. 1. Turrecremata in commentarijs in regulam S. Benedicti. Syluester in verb. Religio. 6. q. 7. Martinus Nauar. in quatuor distinctis commentarijs de regularibus. Doctores canonum in titul. de regularibus, & de statu monachorũ.

Tria sunt vota substantialia Religionis secundum fidem Catholicam, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, de quibus breuiter dicendum.

De Paupertate.

AD perfectionem charitatis acquirendam primum fundamentum est voluntaria paupertas, per quam quis affectum suum abstrahit à rebus huius mundi, vt rectius diuinarum rerum contẽplationi vacare valeat. Hinc illud Euangelicum. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. *Matth. 19.*

Paupertas in præsenti, significat carentiam pecuniæ voluntariam, ex motione Spiritus sancti

ſancti profectam, qua homo ſponte ob amorem Chriſti renunciat omnibus, quæ poſſidet: Sic enim excluditur paupertas coacta, quam multi contra propriam voluntatē incurrunt. Nomine pecuniæ, aut peculij in præſenti materia, intelligitur non ſolū pecunia numerata, ſed etiā quicquid pecunia æſtimatur, ſub paupertate non ſolum compræhenditur exterior paupertas, ſed etiam interior, quæ eſt carentia voluntatis habendi pecuniam.

Sic paupertas ſiue abdicatio, quæ neceſſaria eſt ad regularis ſtatus ſubſtantiam, debet eſſe in primis interior, qua quis ſponte omninò velit carere, omni iure pecuniario ſuo, etiam quatenus eſt inſtrumentum exercendæ virtutis. Secundo, debet eſſe comitata paupertate exteriori. Tertio, vt non ſolum ſit voluntaria omnium, vel aliquorum iurium pecuniariorum præſentium, vel futurorum, ſed abſolutè omnium. Quarto, quod non ſolum ſit volita, ſed etiam voto ſolemni firmata, quo vouens omninò fit incapax, quærendi ſibi bona temporalia. De his Nauarr. latius in commentario primo de regularib. à num. 24. Quoniam vt ad ſpecialia deſcendamus, paupertatis violatio frequentior eſt, & difficilius curatur, cum magis lateat, per cōcluſiones ponenda eſt doctrina neceſſaria ad præſens propoſitum.

Prima Concluſio. Voluntas deliberata, qua pro-

professus regularem obseruantiam, vult, capit, & desiderat habere propriam pecuniam, aut aliquid pecunia æstimabile, est peccatum mortale, contra votum paupertatis: dictum voluntas deliberata, ad excludendum motus subrepentes sine deliberatione; probatur, sicut eis qui castitatem solemniter voueruntur, non solum nubere est damnabile, sed etiam velle nubere.capit. Vouentibus 26. d. Ita professo paupertatem etiam velle proprium possidere,aut acquirere mortale est.In hac re omnes conueniunt. Vnde S. Benedictus in Regula cap.33. vult hoc vitium proprietatis radicitus esse amputandum : Quæ verba Turrecremata exponens ait. Radicitus esse amputandum de corde,ita vt monachus,nec intentione,nec voluntate,aut affectu aliquid tenuum proprium possideat. Nihil enim proderit pecunias nõ habere, si voluntas fuerit possidendi.

Secunda Conclusio. Nulli religioso professo in approbata religione tria vota, licet habere aliquid proprium. Dicitur autem secundum Panorm.Ioann.Andræam, & alios in c. Cum ad monasterium,de statu monachorum, &c. Monachus habere proprium,quando aliquid tenet, aut accipit celando suum superiorem; aut expendit contra voluntatem superioris, nec paratus est dimittere ad libitum eius, aut tradere; & quicunque monachus,aut religio-

ſus aliquid proprium poſſidet, mortaliter peccat. Probatur Concluſ.12. q.1. cap. Non dicatis. & cap. Scimus. & in cap. Monachi. & cap. Cum ad monaſterium, de ſtatu monachorum. In d.cap. Scimus ex Vrbano Papa ita dicitur. Quicunque veſtrum communem vitam ſuſceptam habet, & vouit ſe nihil proprium habere, videat ne pollicitationem ſuam irritam faciat, ſed hoc quod Domino eſt pollicitus, fideliter cuſtodiat, ne damnationem, ſed præmium ſibi acquirat, & in cap. Cum ad monaſterium. Prohibemus, inquit, quoq; diſtrictè in virtute obedientiæ, ſub atteſtatione diuini iudicij, ne quis monachorum proprium aliquo modo poſſideat, &c. Quod ſi proprietas apud quenquam in morte inuenta fuerit, ipſa cum eo in ſignum perditionis, extra monaſterium in ſterquilinio ſubterretur: ſecundum quod B. Gregorius narrat in Dialogo ſe feciſſe. Vnde, ſi quicquam alicui fuerit ſpecialiter deſtinatum, non præſumat illud accipere, ſed Abbati: vel Priori: vel Cellerario aſſignetur, hæc ibi. Ad idem facit illud S. Benedicti in cap. 33. regulæ. Neque aliquid, ait, habere propriũ, nullam omninò rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, ſed nihil omninò; quippe quibus nec corpora ſua, nec voluntatem licet habere in propria poteſtate: & Caſſian. libr. Inſtitut. capit. 13. Illam aſſerit, ſanè virtutem inter cęteras inſtitutiones eorum com-

memorare, vel superfluum puto, quod scilicet nulli cistellam, nulli peculiarem sportellam liceat possidere, nec tale aliquid, quod velut proprium retinens, suo debeat communiri sigillo. Consentit August. in regula sua prima cap. 1. & in tertia regula cap. 1.

Tertia Conclusio. Quicunque religiosus professus paupertatem, libros sibi peculiares emit, aut quamcunque rem sibi appropriat sub proprio nomine, ligno, aut sigillo, sine expressa, aut præsumpta licentia Abbatis; qui talem non concedere deberet, peccatum proprietatis committit: Quia tali modo sibi vendicare aliquid, possessionem & proprietatem denotat: Est autem religiosus factus, per solemnem professionem paupertatis, incapax omnis dominij in singulari. Confirmatur ex d. canonibus, & regulis monasticis.

Quarta Conclusio. Concessorum sibi à superiori suo ad vtilitatem priuatam, & communem, religiosus tantum vsum habet, & non vsumfructum. S. Antonin. loc. cit. §. 11. Turrecrem. & Cardin. Alexan. in d. c. Non dicatis. Nauarr. in comment. 2. de regularib. & alibi communiter DD. Pro intelligentia tamen terminorum notandum, Dominium, & proprietas rei communiter pro eodem accipiuntur, & dicunt ius perfectè disponendi de re, nisi lege prohibeatur. Hinc Dominus de ipsa re disponere potest pro suo beneplacito, nisi

à lege

à lege prohibeatur: Vsufructuarius autem, habet solum ius fruendi rebus & fructibus, salua substantia. Vsuarius autem habet tantum ius in fructus rei sibi nudè necessarios: vnde sequitur quod Vsufructuarius, licet non sit Dominus substantiæ rei, proprietatem tamen acquirit fructuum, ac de his non solùm ad suum nudum vsum disponere potest, sed etiam superfluos donare, aut alienare. Vsuarius autem præcisè in vtilitatem suam fructibus vtitur, nec aliquid potest transferre titulo alienationis in alium. Qui autem habet simplicem vsum facti tantum, non plus habet iuris, quàm conuiua in cibis ab inuitante appositis. Ius autem administrandi, neque est dominium, nec vsus fructus, nec vsus, sed ius disponendi de re aliena, nomine alieno, gratis, vel pro stipendio. De his Nauarr. in commento primo de Regularib. D. Sotus lib. 4. de iustit. & iure. quæst. 1. art. 1. & S. Antonin. loc. cit. Ex dictis elicitur, quod si religioso aliquid concessum fuerit à superiori in suam vtilitatem & vsum, quod superest non potest eo inuito, aut nesciente in alium transferre sine vitio proprietatis.

Quintá Conclusio. Monachi, qui non habent administrationem, non possunt aliquid dare etiam de superfluis suis in Eleemosynam, sine licentia superioris. S. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 8. ad 1. Turrecrem. Cardinal. Alexand. &

alij in d.cap. Non dicatis: Ratio est euidens. Cùm enim incapaces sint propriarum rerum facti per votum paupertatis, & nihil possideant proprium, si debeant dare in Eleemosynam, aut alijs donare, necesse est vt alienum sibi vendicent.

Sexta Conclusio. Religiosus habens aliquid in proprium vsum cum licentia iniusta Abbatis, aut superioris, id est, quando non est iusta causa mouens, aut necessitas non postulat, aut in finem malum impendit, peccat iuxta communem Doctorum sententiam. Antonin. loc. cit. Turrecremat. Alexandrin. & alij in d.cap. Non dicatis. Humbert. in regula. S. Augustini. Nauarr. in commentar. 2. d. à numer. 21. Quare Hostiensis & Cardinalis Zabarel. in dict. cap. Cum ad monasterium, rectissimè tradunt licentiam non esse concedendam religiosis, vt aliquid in vsum proprium teneāt, nisi ex magna & euidenti causa. Dubium autem hîc oritur. Quomodo peccent, concedens iniustam licentiam, & ea vtens.

Communior sententia, quod concedens abutitur potestate in destructionem. Recipiens verò peccet peccato auaritiæ, tenendo aliquid sine rationabili causa. Nauar. putat quod committat peccatum proprietatis, si non est paratus dimittere, simul ac fuerit requisitus. Non tamen incurrit pœnas d. cap. Cum ad monasterium; quia cum scientia & licentia vti-

vtitur bonis monasterij, licet non ex sufficienti causa.

Sexta Conclusio. Monachi quicunque professi, si arte manuum, aut industria aliquid pecuniæ acquirunt, & retinent, aut mortuis parentibus accipiunt, vel sibi dum professionem faciunt, reseruant aliquam partem, de qua pro sua libera voluntate disponant, sunt proprietarij. Cõstat ex canonibus citatis, regulis monachorum, & communi DD. sententia. Quia dicti, peculium proprium possident contra votum paupertatis.

Septima Conclusio. Monachi, qui verbo, sermone, aut scripto, pro rebus cõcessis ad vsum contendunt, ac si res suæ essent, & earum dominium, aut vsumfructum haberẽt, sunt proprietarij, constat ex regula S. Benedicti in dicto capi. 33. Nec quisquam aliquid suum dicat: vel præsumat, & Cassian. loc. cit. testatur magnum fuisse crimen ex ore monachi processisse. Codicem meum, tabulas meas, tunicam meã, caligas meas, &c. & si quis aliquo casu per surreptionem, vel ignorantiam protulisset, digna pœnitentia satisfacere debebat. Ad idem facit August. in reg. sua loc. cit. Cuius doctrina adfertur in dict. cap. Non dicatis. Confirmo latius. Turrecr. in Regulam S. Benedicti tract. 92. & in d. cap. Non dicatis. Cardin. Alexandr. ibidem cum Nauarro tradunt, si religiosus cũ asseueratione dicat aliquid suum, & ea mente

ac si suum esset, quod mortaliter peccet: Secus verò si inaduertenter, non intendens dominium, aut possessionem, tunc erit veniale: Imò putat Nauarrus & benè. Si religiosus dicat rem suam, intendens quo ad vsum, administrationem, aut simplicem facti detentionem, non peccet.

Octaua Conclusio. Monachus, qui testamentum facit, aut vltima voluntate disponit de quocunque peculio, aut re pecunia æstimabili; est proprietarius, & si sic moritur, damnatur; & si non velit, nec efficaciter proponat reuocare, non est absoluendus: cùm in statu peccati mortalis velit permanere, nec sit contritus. Quod etiam locum habet, quoties monachus nesciente Abbate, & non concedente licentiam, aliquid peculij tenet. Conclusio constat ex cap. 2. de testam. & communi sententia DD. ibid. Nauarr. in Manuali confessariorum cap. 27. num. 270. & in comment. 2. de regularib. num. 22. Ratio etiam est in promptu. Cum iuxta dicta monachus nullius rei habeat dominium, aut vsum fructum, non est de quo possit testari, nisi velit sibi aliquid contra votum appropriare: Si autem monachus ex testamento hæres instituatur, hæreditas monasterio eius defertur, si monasterium sit capax bonorum in communi: Quia religiosus quicquid post professionem acquirit, monasterio adiungit, vt infra latius patebit. Putat tamen

tamen Nauarr. quod religiosus benè meritus, sine peccato possit rogare superiorem, vt aliquid de rebus in vsum habitis, in aliquem vsum pium, aut honestum det, tunc enim nihil disponit, sed voluntati superiorum relinquit.

Nona Conclusio. Religiosus, cui committitur dispensatio, & administratio rerum monasterij, potest sine vitio proprietatis de rebus monasterij pro vtilitate & necessitate eiusdem iuxta facultatem sibi factam à superiore, disponere. Ex cap. Cum ad monasterium; & communi sententia. Debent autem officiales monasterij expendere tantum in vsus necessarios, & vtiles monasterio, tanquam fideles dispensatores bonorum Dei, & non in seculares, aut inhonestos, alioquin grauissimè peccant. Quia superiores non possunt plus licentiæ & facultatis facere inferioribus, quantum ad rerum communium dispensationē, quam ipsi habent. Non habent autem ipsi potestatem disponendi de rebus monasterij pro sua voluntate, sed tantum ad vtilitatem, & necessitatem monasterij. Cum eis potestas data sit ad ædificationem, & non in destructionem.

Decima Conclusio. Religiosus si furetur quippiam notabile, duplex peccatum mortale committit: Patet Conclus. Quia in primis peccat contra præceptum. Non furaberis. Deinde aduersatur voto paupertatis, appropriando sibi.

Vndecima Conclusio. Religiosus post professionem quicquid acquirit, defertur monasterio, constat ex Authent. Ingressi. C. de sacrosanct. Eccles. & ibidem in Authen. si qua mulier, vt Iurisperiti ita cõmuniter sentiunt, & canonistæ DD. cum text. in c. in præsentia, de probationib. Imò quorundam Iurisperitorum, vt Cyn. & aliorum in d. Auth. si qua mulier. & Decius in d. c. in præsentia, sententia videtur, quod etiam nouitius acquirat monasterio, si in nouitiatu moriatur: à qua tamen sententia communiter rectè receditur. Quia monasterium quicquid acquirit, consequenter ad consecutionem personæ, cui bona adhærent, acquirit: Monasterium autem personam absolutè non acquirit, nisi per solemnem professionem, in qua nouitius mundo moritur, & omni rerum proprietati recunciat. Conclusionem dictam intellige de monasterijs, quæ sunt capacia bonorum in communi.

Dubium, quod aliquando occurrit, resoluendum.

Quid si religiosus transeat à primo monasterio ad aliud, quodnam acquirit bona religiosi.

PRo resolutione sit. *Duodecima Conclusio.* Quando Religiosus sine iusta causa, & licentia sui superioris transit ad aliud monasterium, bona iam acquisita primo monasterio, non transferuntur in secundum, quantum ad pro-

proprietatem. Ioann. Andræas. Hostiens.& Francus in cap. Quod à te,de clericis coniug. & hæc recepta est opinio attestantibus,Socino seniori in Consil.52. lib.4. à numer.14.& Menochio lib.2. de arbitrarijs Iudicum quæstionib.casu 436. vbi hanc materiam doctissimè discutit. Quando autem iusta de causa,cum licentia Abbatis fit transitus ad aliud monasterium, sanior opinio est, quod secundum monasterium acquirat cum persona. Quia prælatus iusta ex causa concedens licentiam ad transeundum, videtur etiam dare licentiam conferendi bona in consequentiam personæ, cui adhærent Cardinal. & Abbas in dicto cap. Quod à te,& Menochius loc.cit. Arbitror tamen distinctione posse conciliari vtramque opinionem: aut bona iam sunt acquisita primo monasterio, & habebit locum alia opinio, quod bona maneant apud prius monasteriũ: Quia non caret etiam auctoritate & ratione: Aut acquiruntur post transitum ad secundũ monasterium, & habebit locum opinio Cardinalis, Abbatis, & Menochij: Ad hanc concordiam accedunt Sylvest. in summa verb. Apostata q.9. Panormit.in cap.final.de Regularibus.

Tertiadecima Conclusio. Quando religiosus ob sua demerita, & malos mores, ac crimina digna translatione & detrusione, transfertur ad aliud monasterium, vsusfructus bono-

rum quæ quantum ad proprietatem primo acquisiuit, debentur secundo pro sustentatione & onere: post mortem tamen eius redibunt ad primum, secundum communiorem sententiam, vt ait Sylvest. in verb. Apostasia. q. 9. constat conclus. 16. quæst. 6. cap. de lapsis, addito cap. Si quis rapuerit. 27. quæst. 1. Et sic tradunt Gloss. in d. cap. Si quis rapuerit: Hostiens. in summa de cler. coniug. §. & in quo versic. Si cum licentia. Ioan. Imolens. & Cardinal. Zabarella in cap. Quod à te: de cler. coniug. Archidiac. in d. cap. Si quis rapuerit: Angelus in verb. Monasterium. §. 6. Aurea Armilla in verb. Religio. §. 17. Sylvest. loc. cit. allegat etiam ad hoc Raymund. & summam Confessariorum, Menochius putat tantũ esse secundo monasterio dandum, quantum sufficit pro sustentatione, & id moderandum arbitrio iudicis: Quod ait Archid. arbitrio Episcopi. Si tamen in tali casu Abbas cum saniori parte conuentus renunciaret suo iuri, & pro onere totam hæreditatem ex iusta causa relinqueret secundo, secundum monasterium cum persona, totam hæreditatem acquisitam, aut acquirendam iustè acquireret.

Quartadecima Conclusio. Quicquid acquirit etiam monachus fugitiuus, etsi habitum dimittat, monasterio acquirit, ex text. & Gloss. 18. quæst. 2. cap. Abbates. Panormit. in d. cap. Quod à te, & in cap. fin. de regul. Nauarr. in

comm.

comm.2.de regul. num. 33. Barthol. Brixiens, in quæst.dominicalib.quæst.7.& 8.& alij alibi. Ratione adiuncta Gloss. l.1. §. Per hanc. C. de rei vendic. Sicut seruus fugitiuus non quærit sibi,sed domino.Ita monachus fugitiuus non sibi sed monasterio.Tandem quanta mala generet vitium proprietatis in monasterijs,ostẽdunt Turrecremata latissimè super Regulam S.Benedicti tractat.92.& 93.& in d.cap. Non dicatis,& Cardinalis Alexandrinus ibidem.

De voto castitatis perpetuæ.

AD statum religionis requiritur abstractio eorum, per quæ homo impeditur,ne feratur omni modo in Dei seruitium.Vsus autem carnalis copulæ retrahit animum, ne totaliter in Dei seruitutem feratur, tum propter vehementiam delectationis,ex cuius frequẽti experientia, augetur concupiscentia carnalis, quæ retrahit animum à perfecta intentione tendendi in Deum:tum propter solicitudinẽ, quam ingerit sustẽtatio rei familiaris, & filiorum.Vnde Apostolus. Qui sine vxore est, solicitus est quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo.Qui autem cum vxore est,solicitus est, quæ sunt mundi, & quomodo placeat vxori. Et ideò continentia perpetua requiritur ad perfectionem religionis, sicut & voluntaria paupertas.De hac continentia ad propositum S.Thom.2.2.q.186.art.4.

Quo-

Quomodo damnabile sit post votum castitatis in professione emissum, actus venereos exercere: aut Matrimonium contrahere, docent clarissimè sancti Patres. S. Hieronym. lib. 1. contra Iouinianum, Chrysost. in libr. de Virginitate, cap. 39. & in Epistola 6. ad Theodorum lapsum. Augustin. in libr. de bono viduitatis. capit. 8. 9. & 11. & in Psalmum 75. Super illa verba. Vouete & reddite Domino Deo vestro, &c. Basil. Magnus in libr. de vera virginitate, & in regulis fusè explicatis regul. 14. Ambros. in lib. ad Virginem lapsam. c. 5. Plurima tam Patrum quam Conciliorum testimonia pro hac materia, qui legere voluerit, videat 27. quæst. 1. & Alphonsum à Castro lib. 14. aduersus hæreses in verb. Votum, qui etiã soluit obiectiones votifragorum & hæreticorum. Nunc breuibus videndum qui peccent contra votum perpetuæ castitatis.

Prima Conclusio. Qui votum castitatis emiserunt, toties mortaliter votum suum infringunt, quoties animo deliberato volunt nubere: aut matrimonium contrahere. Constat conclus. 27. d. capit. Vouentibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle, damnabile. Idem tradunt sancti Patres, & probant ex illo Pauli 1. Timoth. 5. Adolescentiores viduas deuita: Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo nubere volunt, habentes damnationem. Sic Augustin. de bono viduitatis cap. 8. Cum enim

enim in delitijs egerint, inquit, in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, id est, voluntatem ad nuptias à proposito continentiæ deflexerunt, & in capit. 9. habentes, inquit, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, etsi non nubendo, sed tamen volendo: Fulgentius in Epistola 1. de coniugali debito. cap. 6. Ad idem accedit S. Hieronym. cuius dictum refertur in dicto cap. Vouentibus. Multò autem fortiùs peccant quando de facto contrahunt & consummant, & matrimonium est nullum, vt de sacramento matrimonij traditum est.

Secunda Conclusio. Religiosus etiam peccat mortaliter contra votum continentiæ, quoties exercet aliquem ex actibus luxuriæ, qui cuilibet Christiano sunt mortales, de quibus dictum in secunda parte in cap. de luxuria. Quia omnes actus luxuriæ aduersantur voto perpetuæ castitatis: Vide Sylueſtrum in verb. Religiosus. 6. quæst. 8. & S. Autoninum loc. cit. §. 10.

Tertia Conclusio. Eadem est ratio, si quis voluntate deliberata velit aliquem actum luxuriæ exercere mortalem, aut mortali periculo committendi voluntariè se tradere non dubitet, constat Conclus. Quoniam non solum opere, sed etiam voluntate peccatum complemus

mus. De occasionibus & periculis luxuriæ vitandis, tradit S. Antonin loc. cit.

De voto obedientiæ.

OBEDIENTIA est virtus, quæ promptam hominis reddit voluntatem, ad implendum voluntatem superioris præcipientis. Eius obiectũ est, vt ex definitione colligitur, superioris pręceptum tacitum, aut expressum, vt tradit S. Thom. 2. 2. quæst. 104. art. 2. Attenditur autem maximè ratio obedientiæ, in eis, quæ secundum se non sunt volita, sed voluntati repugnant, tunc enim manifestum est, quod non adimpletur nisi propter præceptũ: Quare sancti Patres eam maximè commendant obedientiam, quæ exercetur in rebus propriæ voluntati repugnantibus, & asperis, tunc enim manifestum est, quod non impletur nisi propter præceptum, Gregor. lib. vlt. moralium cap. 13. S. Thom. loc. cit. ad 3. Hier. in Epist. 4. ad Rusticum monachum. Basil. in regulis breuioribus, interrogatione 96. & alij alibi.

Deinde prout sapientissimè S. Thom. in d. q. art. 1. tradit, sicut in naturalibus, inferiora superiorum motui subijciuntur: Ita in humanis, ex ordine naturalis & diuini iuris inferiores mouentur à superioribus, per motum & imperium voluntatis, qua manifestata debent obedire, ex vi auctoritatis diuinitus ordinatæ. Rectè Apostolus ait, omnis potestas à

Deo,

Deo, & iterum. Quæ ordinata sunt, à Deo sunt, & iterum. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Rom. 13.

Obedientia autem maximè necessaria est statui religionis: Quia in religione est disciplina, & exercitium tendendi ad perfectionem, ad quod exercitium requiritur dux siue magister qui dirigat in his, quæ regularem statum, & conuersationem concernunt, cui inferiores in regimine subijci necesse est: Subijciuntur autem inferiores per obedientiã: Quare prudentissimè sanctus Benedictus prologum suæ regulæ incipit in hæc verba. Ausculta, ô fili, præcepta magistri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij Patris libenter excipe, & efficaciter comple, vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ desidiam recesseras. Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuncians proprijs voluntatibus, Domino Christo vero regi militaturus, obedientiæ fortissima atque præclara arma assumis, hæc ibi. Ob eamque causam in fine eiusdem regulę, religionem rectè scholam dominici seruitij appellat, in qua perfecto ad institutionem, & vitiorum emendationẽ, obedientia ante omnia requiritur. De laude & vtilitate obedientiæ, præclara tractat Cardinalis Turrecrem. supra regul. S. Benedicti tractat. 55. & tractat. 59. Nunc pro materiæ resolutione sit.

Prima

Prima Conclusio. Religiosus obedire tenetur suo superiori in eis, quæ spectant ad regularem disciplinam religionis, quam professus est. Constat Conclusio ex ratione voti emissi ab eo, & communi sententia: Sicut enim miles duci exercitus in his, quæ spectant ad bellum, seruus Domino in his, quæ pertinent ad seruilia opera exequenda: filius patri in his, quæ concernunt disciplinam vitæ, & curam domesticam, tenetur obedire: Sic religiosus suo superiori obligatur morem gerere in his, quæ spectant ad statum religionis, quam solemniter in professione suscepit.

Secunda Conclusio. Si prælatus religiosi, ei præcipiat, quæ sunt contra Deum, aut contra regulam, inferior non tenetur ei obedire. S. Thom. q. 1. artic. 15. & q. 10. art. 10. S. Antonin. loc. cit. §. 9. & Summistæ in verb. obedientia. Ratio est, quia oportet magis ebedire Deo, quam hominibus. Actor. 5. & prælato etiam concessa est potestas præcipiendi ea, quæ sunt secundum regulam & non contra. Eadem est ratio, si præciperet aliquid prælatus, quod suam potestatem excederet. Quando autem aliquid præcipit prælatus, honesti & vtilis, quod tamen communem regulam excedit, nec ad regulæ conseruationem necessarium est, tunc obedire non est necessitatis, sed perfectæ obedientiæ, quæ morem gerit in omnibus licitis. Indiscreta autē est obedientia in illicitis obedire.

Tertia Conclusio. Religiosus peccat mortaliter, quando aliquid transgreditur præscriptũ in regula, vel constitutionibus obligans ex mente legislatoris ad mortale, ex communi sentẽtia Doctorum. Quia superiores possunt, & habent potestatem condendi regulas, & leges obligantes ad mortale.

Quarta Conclusio. Non omnia quæ continentur in regulis monachorum obligant ad peccatum mortale. Quia status religionis est securior quam secularis, iuxta S. Gregor. primo moral. capit. 1. vbi comparat vitam secularem mari fluctuanti, vitam regularem portui tranquillo. Sed si quælibet transgressio esset mortalis, religionis status esset periculosissimus propter multitudinem obseruantiarum, & vix vnus de multis saluaretur: S. Thom. 2.2. quæst. 186. artic. 9. S. Antoninus loc. cit. §. 9. Turrecremat. tract. 5. & 6. super Regul. S. Benedicti. Quando autem regula, aut constitutiones præter transgressionem trium votorũ substantialium obligent ad mortale, id colligendum ex verbis, aut pœna adiuncta, vel necessitate rei, vel ex determinatione statutorũ, aut superiorum. Quia his modis colligitur, an lex, aut statutum obliget ad mortale. De hac materia Panormitan. & DD. canonum in cap. Nam concupiscentiam, de constitut. & idem Panormitan. in cap. Cleric. de vita & honest. cler. Turrecrem. tract. 5. & 6. super regu-

lam S. Benedicti. Nauarr. in Manuali confessar. cap. 23. à num. 49. Alphons. Castrens. lib. de legis pœnalis potestate cap. 5. Commendatur autem à DD. præcipuè regula prædicatorum, eo q̃ eius auctores non obligent ad culpam, sed tantum ad pœnam, nisi expressè præceptum sit, aut contemptus accedat, vt patet ex prologo Constitutionũ. S. Thom. loc. dict. Panorm. in cap. Relatum. Nec clerici vel monachi cum Hostiens. Turrecr. loc. dict. S. Antonin. §. 13. loc. cit. Nauarr. in Manuali confess. cap. 23. num. 62.

Quinta Conclusio. Religiosus, aut monachus tenetur obedire superiori sub peccato mortali, in subeunda Pœna taxata secundum regulam, aut rectam rationem. Quia regularis virtute voti obedientiæ tenetur obedire prælato secundum regulam, & illi accessoria præcipienti, cap. Quorundam, &c. Si religiosus. de elect. in 6. Constat etiam ex illo Rom. 13. Qui potestati resistit, diuinæ ordinationi resistit, &c. & qui resistit damnationem sibi acquirit, &c. Si malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat. Accedit S. Thom. in q. loc. cit. Hinc Nauarr. in commentatio 4. de regularib. num. 63. tradit religiosum legitimè à superiori suo ad perpetuum carcerem damnatum, & inclusum, non posse absq; peccato mortali fugere: & si fugiat, teneri ad redeundum coram Deo, & in conscientia, nisi superior ex causa ei gratiam faciat.

Sexta

Sexta Conclusio. Inferior in minimis tam regulæ præscriptis, quàm prælati præceptis ex contemptu potest mortaliter peccare. S. Thomas 2. 2. quæst. 186. artic. 9. Antonin. Turrecrem. loc. cit. Bernard, in lib. de dispensatione & pręcepto. Neglectus vbique culpabilis, cõtemptus vbique damnabilis. Ex contemptu autem secundum S. Thom. in d. art. 9. ad 3. & Nauarr. num. 43. loc. cit. peccat, qui renuit subijci legi, aut regulæ, aut superiori, quia illam, vel eius auctorem contemnit, aut paruifacit, non autem qui principaliter mouetur periram aut aliquam passionem, aut aliam iniustam causam.

Aduertendum autem superiorem, quando vult aliquem in iubendo ad mortale obligare, vti verbis præcipio, aut mando sub obedientia, aut in virtute eius, siue Spiritus sancti, aut sub pœna excommunicationis, aut carceris. Quando his & similibus modis vtitur in sermone, intelligitur, quod sub mortali velit obligare.

Postremò in materia horum votorum, quę dicta sunt de monachis, in suo gradu etiam intelliguntur de monialibus, solemniter professis in approbata religione.

CAPVT IX.

DE IRRITATIONE, COMmutatione, & Dispensatione votorum.

Irritatio, Dispēsatio, & commutatio differunt.

DIFFERVNT hæc tria. Irritatio non alia indiget causa, quam voluntate illius qui ad irritandum habet potestatem. Dispensatio iustam requirit causam, & tunc omninò, potest tollere obligationem. Commutatio autem, si causa subsit, commutat votum in aliud meliùs bonum, aut æquè bonum.

Irritatio spectat ad eum, qui potestatem in alium habet. Inferior enim in eo, in quo subijcitur suo superiori non potest emittere votū, nisi superior consentiat: aliàs potest irritare, si sibi præiudicet in aliquo. Sic pater potest ante iustam ætatem irritare vota filiorum, Maritus vxoris, Abbas suorum monachorum, &c. Cū autem Abbas ampliorem habeat in suos potestatem, pro sua voluntate, quādo ei visum fuerit expedire, poterit irritare vota monachorū, nec peccat nisi ex malitia faciat.

Commutatio voti est, quando obligatio vnius rei transfertur in aliud bonum æquale, vel melius authoritate Ecclesiæ, id est, prælati.

c. scripturæ, de voto. Pau. & Imo. ibi.

Quando autem euidens est, quod votum in melius commutetur, poterit fieri propria vo-

vouentis libertate. Hinc sine vllo scrupulo, omnia vota possunt commutari in votũ Religionis. In commutatione votorum oportet commutantem perpendere vouentis qualitatem, & expensas, quas facturus esset in executione voti, & sic omnia ponderare.

Dispensatio voti est, quando ab eo, qui habet potestatem iusta de causa voti obligatio aufertur. Ad dispensationem duo requiruntur Auctoritas, siue potestas in dispensante, & causa.

Quæ requirantur ad iustam dispensationem.

Causæ sunt duæ præcipuæ. Honor Christi, & vtilitas Ecclesiæ. Ad has referuntur necessitas, difficultas, & æquitas. Item in vouente leuitas, facilitasque in vouendo.

Pontifex ob plenitudinem potestatis potest dispensare in tota Ecclesia. Peculiariter autem ipsi reseruantur hæc quinque. Votum perpetuæ continentiæ. Votum simplex religionis. Peregrinationis in Hierusalem. Ad limina Apostolorum, id est, Romam ad S. Petrum & Paulum, & ad S. Iacobum Compostellam.

His demptis potest Episcopus cũ suis subditis in reliquis dispensare. Hinc Episcopus potest dispensare in voto castitatis non perpetuæ. Item, vt habens arctioris religionis votum, laxiorem intrare valeat, tunc enim non dispensat in voto religionis, sed in arctiori vinculo.

Si monachus professus faciat votũ arctioris religionis, eius Abbas, vel prelatus legitima accedente causa, in tali voto dispensare, non autem illud irritare potest: quia habet potestatem in monachum quæ ad dispensandum, si causa subsit, sufficit, caret autem dominio super actu vouendi arctiorem religionem, & ideò irritare talem actum nequaquam potest, vt rectè tradunt Dominic. Sotus lib. 6. de iustit. & iure. q. 4. art. 2. & Ioseph. Angles in florib. Theolog. sentent. in 2. part. in 4. in q. de voto. 9. difficult. conclus. 6.

CAPVT X.

DE TERTIO PRAECEPTO.

Memento, vt diem Sabbathi sanctifices.

De intelligentia huius præcepti S. Thom. 22. q. 122. art. 4.

SABBATHVM nomen Hebraicum est, Latinè interpretatur cessatio.

Hoc præceptum partim morale, partim cæremoniale est. Morale, quia naturalis ratio dictat, vt homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandũ diuinis. Cæremoniale, quo ad determinationem certæ diei scilicet Sabbathi.

Præcepti huius scopus est, vt homo corpore & animo in hanc curam, cogitationemque incumbat, vt statuto tempore à negotijs externis, & laboribus seruilibus vacet, ac Deo debitam seruitutem impendat.

Ha

Hæ autem actiones sunt in quibus Christianus se diebus sacris exercere debet, accedere ad templum, missæ sacrificio cum deuotione interesse, diuina sacramenta deuotè frequentare, attentè diligenterque sacras conciones audire, & sedulò in pijs operibus se exercere.

Quæ facere prohibemur in Sabbatho, & festo?

OMNIA opera seruilia prohibentur, qualia sunt illa, quæ propriè seruientibus cõueniunt, prout in Leuitico 23. definitur. Omne opus seruile non facias in eo. Non autem illa, quæ communia sunt tam in ijs, qui seruiunt; quam illlis, quibus seruitur, secundum S. Thom. 2.2. q. 122. art. 4. ad 3.

Excusant à fractione huius præcepti. Necessitas, Pietas, & Paruitas operis.

Necessitas multiplex occurrere potest, Corporis, vitæ propriæ, aut alienæ, sic licitum est pugnare in festo pro defensione, 1. Machab. 4. sic etiam laborare licitum ijs, quibus hoc necessarium ad vitæ sustentationem est, modo absit scandalum, & diuina non negligantur. Hac ratione medici & pharmacopolæ excusantur, quando præparant medicamenta pro ægrotis. Idem est iudicium de coquis, qui coquunt cibos, & emunt necessaria ad victum. Alia est necessitas vitandi damnum proprium, vel proximi, quod imminet,

Matth. 12. nisi opus fiat. Ad hoc facit Christus in Euangelio. Cuius vestrum bos, vel asinus cadit in foueam, nec extrahit illum, &c. Eodem pacto excusantur, qui laborant, quando imminet magna inundantia aquarum: quæ notabile damnum inferret fructibus, aut seminibus. Propter eandem causam licitũ est facere opera, quæ nesciunt moram, sed requirunt continuationem; vel quando est elapsum tempus, damnum non est reparabile: Sic laborant qui coquunt tegulas, vitrum, ollas, calcem, ferrum, &c.

Eadem est ratio de captura quorũdam piscium, qui certo tempore capiuntur, quo completo non est amplius commoditas, capit. Licet, de ferijs. tamen huiusmodi deberent facere aliquam Eleemosynam in proximas Ecclesias.

Dubium hic esse potest. An venatio etiam sit prohibita in festo?

SI quis diebus festis audita missa veneturnõ est peccatum, nec prohibetur hoc præcepto, quia non est opus seruile prohibitum hoc præcepto, vt tradunt Caietan. in summa in verb. festos dies, & Nauarr. in Manuali cap. 17. num. 11. Si autem quis in festo venetur non audita missa, mortaliter delinquit, nisi venatio esset

esset magni momenti, & ex mora damnum notabile sequeretur.

Est etiam necessitas coactionis, quando aliquis iusto metu cogitur laborare in festo, & nisi faciat, incidit in aliquod damnum reale, vel personale. Sic excusantur subditi, quando compelluntur à Dominis ad laborandum. Itidem famuli, & ancillæ, quando coguntur à Dominis ad seruilia opera: Si tamen Domini compellunt laborare, expleto tempore discedant ab eis, vt rectè Nauarr. docet.

Prohibentur etiam quædam in festis fieri, quæ non sunt seruilia, cap. Licet. de ferijs, Mercatus siue nundinæ, Placidum, per quod intelliguntur lites & processus iudiciales. Iudicium ad mortem, vel ad pœnam, & Iuramentum.

Quantum ad nundinas in die festo, minima ad quotidianum vsum necessaria vendere, aut emere, in quibus nulla, aut exigua conuentione necessarium est, non est illicitum. Si autem in aliquo loco consuetudo est, vt nundinæ in festis celebrentur, si Episcopus, vel superiores non prohibeant, negociantes, vel euntes ad huiusmodi nundinas, si missam nõ audiant nisi legitima caussa excuset, mortaliter agunt, Sylvester verb. Dominica. q. 3. Nauarr. in Manuali cap. 13. num. 8.

Pietas etiam excusat, vt si quis laboret ad subueniendum miseriæ proximi, modò prius

missam audiat, & non faciat ob lucrum, vel respectum humanum.

Paruitas operis itidem efficit, ne festum violetur: Qua ratione excusantur mulieres, quæ purgant domum, vel famuli, qui pauca ligna secant pro necessitate: aut barbitonsores, qui aliqua ratione impediti tondent barbam alicuius, vel paucorum, nisi in consuetudinem ducant: Eadem ratione videntur excusari, qui molunt molendinis fluuiorum & ventorum, quæ sine magna ocupatione molunt.

An sit licitum iter facere in die festo?

LICITVM est facere iter necessitate vrgente, aut aliqua rationabili causa mouente, modè missæ officium non negligatur. Si quis autem iumenta sua die festo, aut in eius vespere ad alia loca mittat, vt festi vtilitatem lucretur, peccat. Rosella verb. Feriæ. & Nauarr. numer. 12. loc. cit. Nisi ducens missam audiat, aut paruitate rei excusetur.

CAPVT XI.

DE QVARTO PRAECEPTO.

Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

Si

SICVT præcepta primæ tabulæ edocent, quomodo Deus sit colendus, ita secundæ informant in ordine ad proximos. Inter proximos autem maximè obligamur parentibus: quare immediatè post præcepta ordinantia nos in Deum, ponitur præceptum instituens honorem parentum, qui sunt principium vitę secundum carnem. *S. Thom. 2. 2. q. 122. art. 5.*

Parentum nomine intelliguntur in primis illi, ex quibus generati sumus, vt sunt Pater & Mater, amici & sanguine iuncti, &c. his succedunt Ecclesiæ Præsides, Pastores, & Sacerdotes. *Quid nomine parentũ intelligatur.*

Tertium locum obtinent ij, penes quos est potestas gubernandi rem publ. Deinde parentum loco habendi alij, quorum curæ, fidei, & sapientiæ commendamur: vt sunt tutores, curatores, pædagogi, & magistri. Tandem parentum vices subeunt senes & ætate confecti, quos etiam reuereri debemus. Scriptum est enim. Coram cano capite consurge, & honora personam senis, & time Dominũ Deum tuũ. *Leuit. 19.*

Honor parentibus debitus consistit in reuerentia, & sustentatione.

Reuerentia impenditur amando, obediendo, & honorando tam corde, quam verbo & opere. Sustentatio requirit solatium, seruitium operum, & administrationem temporalium, quando parentes sunt in necessitate.

Ex vi huius præcepti filij peccant, si parentes

tes odio prosequuntur, si non obediunt in eis quæ spectant ad regimen domus rei familiaris, ac etiam ad bonos mores, & salutem animæ. Nec non etiam quando percutiunt, maledicunt, ad iracundiam, prouocant, Matrimonium sine iusta causa absque parentum consensu, & consilio contrahunt, eorum vltimam voluntatem non exequuntur: aut non pio amore post mortem prosequuntur celebrando exequias, debita soluendo, aut in iustè per vsuram acquisita restituendo pro æquitate, cap. Michael. de vsur. Gloss. & DD. ibidem.

Huc spectat quoque, si filij parentibus ægrotis, aut in necessitate constitutis non subueniunt: Si autem parentes filijs impedimento sint in via salutis, non obediendum est eis vt si filij extra annos pubertatis sint, & velint ingredi religionem, parētes nolint. Tunc illa Hieron. sententia ad Heliodorum seruanda. Percalcatum perge patrem, percalcatam perge matrem, & ad vexilla crucis euola, summum genus pietatis est, in hac re fuisse crudelem. De his ad longum Nauarr. in Manuali cap. 14. à numer. 11. Angelus in verb. filius, & in verb. interrogationes in confessione circa 4. Præceptum, Sylvest. & alij in verb. Filius.

De obligatione parentum erga filios.

SIc peccant parentes, si cum notabili damno filijs non prouident in necessarijs, ad salutem

lutem tam ſpiritualem, quàm corporalē, ſi vident ambulare per vias vitiorum non corrigunt, caſtigant, & in diſciplina continent: Si contra iuſta vota caſtitatis cogunt, aut inducunt ad coniugium: Eadem eſt ratio, ſi filios blanditijs, dolis, aut minis cogunt, ad religionem. Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 7. de regularibus. Idem eſt iudicium ſi parentes filios exponunt ianuis, hoſpitalibus, aut locis publicis ſine neceſſitate: aut ſi mater infantem proprio lacte non nutriat, aut per nutricem negligat lactare. Quando enim iuſta cauſa ſubeſt, mater poteſt tradere alteri infantem lactandum aliàs veniale peccatum committit.

Continetur quoque hoc præcepto mutua obligatio Domini & ſerui, Præceptoris & diſcipuli, Magiſtratus vtriuſque & ſubditorum, Vxoris & mariti, ouium & Paſtoris, de quibus Nauarr. ad longum.

CAPVT XII.

DE QVINTO PRAECEPTO.

Non occides.

HOc præcepto non ſolùm prohibetur homicidium externum: aut quodcunq; corporale proximi nocumentum, ſed etiam interior actus voluntatis occidendi, aut damnum

Matth.5. num corporale inferendi. Dictũ est, ait Christus antiquis, non occides, ego autem dico vobis. Omnis, qui irascitur fratri suo reus erit, &c. Deinde hoc precepto prohibita est omnis iniusta occisio, quæ deuiat à recta ratione, & lege naturali. Nomine autẽ homicidij intelliguntur omnis truncatio, mutilatio, verberatio, notabilis in corpore læsio, alijque actus qui tendunt in nocumentum salutis corporalis proximi. Tandem hoc præcepto non vetatur occisio, quæ committitur publica auctoritate: Non enim sine causa potestas gladium portat, sed ad vindictam malorum, vt Apostolus scribit. Quando dicitur. Non occides, prohibetur etiam occisio suiipsius: Neque enim aliud, Augustinus dicit, quàm hominem occidit, qui seipsum occidit. De hac materia legas S. Thom. 2.2. quæst. 64.

Quid nomine homicidij intelligatur.

Rom.13.

Casus in quibus priuata persona potest occidere.

Moderamen inculpatæ tutelæ quid sit.

PRIMO. In defensionem propriæ vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt aiunt. Moderamen autem inculpatæ tutelæ est, quando quis in tantum facit, quo omisso violentia repelli non potest: & in hoc casu attendendum, ne inuadens iustam habeat causam, quia tunc non liceret se defendere. Huiusmodi defensio non solum licita laicis, sed etiam clericis, contra quosdam qui distinguunt inter

inter laicum & clericum, quia est iuris naturæ, vt quisque vitam suam defendat. De hac latissimè tractamus in cõment. de iniurijs & damno dato, cap. 1. q. 5.

Secundo, In defensionem rerum suarũ cum dicta tamen moderatione. Exod. 22. Si effringens fur domum, siue suffodiens inuentus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 7. in àrgum. Sed contra S. Antonin. in 3. part. tit. 4. cap. 3. §. 2. Sotus lib. 5. de iustit. & iure. q. 1. art. 8. Caiet. 2. 2. q. 64. art. 7. Obseruandum tamen quod quando fur potest comprehendi & teneri, non debet occidi: talis etiam defensio non habet locum nisi tempore flagrantis delicti.

Nauarr. in Manuali. c. 15. num. 2. & seq.

Tertio. Pro defensione honoris etiam licet occidere cũ iusto moderamine. Sotus loc. cit. Caietan. in summa verb. excommunicatio cap. 10. Nauarr. in Manual. Confes. cap. 15. nu. 4. & alij alibi. Et licet hæc doctrina multorum DD. sit, tamen non est admodum tuta in conscientia, vt nos post alios latè ostendimus in d. comment. c. 1. q. 6. conclus. 8.

Quarto. Pro defensione amicorum, parentum, & proximi, cap. Si verò. de sentent. excomm. & DD. ibidem. & 23. q. 3. cap. non in inferenda.

Quinto. Licitum est mulieri occidere pro conseruatione propriæ virginitatis, quando ali-

aliquis ei vim vult inferre, quãdo alia via eum seruare non potest. Caietan. loc. cit. Antonin. 2. part. tit. 7. cap 8. & alij alibi. In his casibus occidens potest peccare, si ex odio aut priuata vindicta alium intendat occidere, & non tantum se defendere. Intentio defensionis debet esse per se: occisionis autem per accidens, S. Thom. loc. cit. art. 7.

An liceat marito vxorem in adulterio deprehensam occidere, & ipsum adulterum?

CIVILIBVS legibus hoc permissum est propter doloris grauitatem, quem tunc perferre molestissimum est: vt habetur L. Grachus. C. ad Legem Iuliam, de adult. & L. Marito. ff. eodem tit. Sed his non obstantibus certissimum & receptissimum est, talem peccare contra præceptum, Non occides, & in foro conscientiæ homicida iudicatur. Sanct. Thom. in 4. senten. d. 37. quæst. 2. ad prim. Palud. & alij in ead. d. Sylvest. in verb. Homicidium. 1. quæst. 2. Felin. in cap. Si verò 1. de senten. excommun. Panormitan. in cap. Veniens de sponf. Nauarr. in Manuali Confess. cap. 15. nu. 4. & post plures latè. Couarr. de matr. 2. part. § 7. à nu. 15. & hæc est communis doctrina, & petet. 33. q. 2. cap. Inter hæc. Vbi ex Nicolao Papa dicitur, quod sancta Dei Ecclesia mundanis non constringitur legibus, gladium non habet

habet nisi spiritualem, quo non occidit, sed viuificat.

Casus in quibus peccatum committitur contra hoc præceptum, vt de similibus possit sumi iudicium.

PRIMVS. Omnis occidens, mutilans, vulnerans, aut talia procurans, consentiens, aut aliquo modo, ex nouem supra dictis concurrens, nisi fiat pro defensione modo iam posito.

Secundus. Qui deliberatè alicuius mortem exoptat, vt in officio, vel loco eius succedat. Non est tamen peccatum desiderare mortem alicuius pernitiosi, qui plurimum mali Reipubl. Christianæ adfert, vt respubl. tali peste liberetur, ac pace fruatur.

Tertius. Qui sanus mente cum deliberatione ex passione, aut impatientia optat sibi mortem, aut membri mutilationē: Si quis autē desiderio cœlestis beatitudinis captus, optat dissolui & esse cum Christo, exemplo Pauli: vel vt liberetur ex hoc seculo nequam, ne Deum offendat: vel ne iniurias diuinæ Maiestati illatas videat, non peccat, imò huiusmodi sunt actus charitatis.

Quartus. Qui se tradit in periculum probabile vitæ absque iusta causa, & vrgenti necessitate: vel est causa, quod alius simili periculo se exponat.

Quintus. Qui vitam ſibi abbreuiat per opera indiſcretionis, ſi animaduertat, aut animaduertere debeat: aut caſu fortuito aliquem mutilat, percutit, aut occidit præter intentionem, ſi fuit in culpa, nec eam adhibuit diligẽtiam, quam debebat: Sic ſi quis percutiat mulierem grauidam peccat, ſi inde ſequatur abortus: aut etiam ipſa mulier grauida, ſi importunis operibus, aut inordinatis actibus cauſa ſit etiam mortis infantis necdum nati. Sic medicus qui ex negligentia eſt cauſa mortis, aut quia adhibet nociua medicamenta: aut quæ valetudini contraria, non prohibet.

Sextus. His poſſumus addere matres, nutrices, vel alias perſonas, quæ in lectum ſecum infantem recipiunt tenellum, ne fleat, vel alia ex cauſa, & ex negligentia ſuffocant, vel ita conſtringunt, vt moriatur.

Septimus. Qui tenentur, & non remouent ea, ex quibus ſequuntur homicidia: Sic homicidia imputantur dominis & officialibus, quãdo ſinunt homicidas graſſari, vel diſſimulant non puniendo.

De Bello, & occiſione, quæ committitur in bello.

S. Tho. 2.2. q. 40. art. 1. AD iuſtitiam belli tria requiruntur. Auctoritas principis, cuius mandato bellum gerendum eſt, Iuſta bellandi cauſa, & Recta bellantium intentio.

No-

Nomine principis intelliguntur Papa, Imperator, Rex, Respublica, aut ciuitas, quæ alteri non subest, vel Dominus non habens superiorem.

Quæ ad iustitiã belli requirantur.

Causæ iustæ sunt defensio innocentium, iusta punitio nocentium, & rebellium, vindicatio iniuriæ magnæ, aut repetitio iniustè ablatorum.

Causæ belli iusti.

Intentio bellantium esse debet principalis, vt pax acquiratur, bonum Reibubl. promoueatur: aut malum euitetur.

Si in bello desint auctoritas principis, & causæ iustæ, nascitur obligatio restitutionis, si homicidia & damna committantur: quia tunc peccatum committitur contra iustitiam: Si autem recta intentio desideretur, peccatum tantum committitur, quia charitas Christiana læditur.

An milites teneantur examinare causam iustam belli?

QVANTVM ad principes, certissimum est, quod omni seposito humano affectu, tenentur examinare iustitiam causæ in consilijs antequam bellum indicant. Sed milites in duplici possunt esse genere, qui bellum sequuntur: aut subditi principis bellum gerentis: aut non.

Si constat cunctis causam belli esse iniustam, neque subditi, neque alij possunt sequi

bellum: quia magis obediendum Deo, quam hominibus. Si autem dubia causa belli cognoscatur. Milites subditi principi gerenti bellum, non tenentur examinare causam, sed ratione obedientiæ excusantur, capit. Quid culpatur. 23. quæst. 1. ex Augustino. In hoc autem casu milites conducti, non subditi, non possunt militare, si causa sit dubia: quia Dominus non habet potestatem eis præcipiendi, & ipsi non tenetur obedire. De hac materia legendi Francisc. Victoria in relectione de iure belli, Sylvester, Angelus, Caietanus, & alij in verb. Bellum. Et nos latius alijs in comment. cap. & quæst. 1. & 2. de iniurijs & damno dato.

Nunc tota materia belli per conclusiones resoluenda; quarum sit.

Prima Conclusio. In bello iusto licet omnia facere, quæ sunt necessaria ad defensionem boni publici: quia bonum publicum est finis belli.

Secunda. In bello iusto licet interficere directè nocentes, indirectè etiam innocentes. Interficiuntur indirectè innocentes, quando nō cognoscuntur: vel sunt in ciuitatibus, & magnis tormentis tanguntur: quia aliàs bellum consistere non posset.

Tertia. In ipso actuali conflictu durante pugna, vel defensione, si bellum sit iustum, licet indifferenter omnes occidere contra pugnantes.

Quarta. Nunquam licet per se, & ex intentione interficere innocentes. Exod.23. Insontem & iustum non occides. Deut.20. mandatur filijs Israël, vt cum vi ceperint ciuitatem, parcant mulieribus, & paruulis.

Quinta. Parta victoria, & rebus iam compositis, quando necessarium est ad vindicandam iniuriam, vel ad parandam pacem, & securitatem, licitum adhuc est interficere nocentes: hoc tamen non est licitum priuatis militibus, nisi fiat auctoritate principis, patet ex causis & fine belli.

Sexta. In bello iusto mobilia hostium bona fiunt occupantium, & capientium. S. Thom. 2.2. quæst.66. artic.8. ad 1. Adrian. in quæst. de restitut. in quæst. de bello. Syluester in verb. Bellum. §.1.& 9.

Victoria in relectio. d. num.5. Huic accedit. quod in iusto bello licitum est aliquando ad deterrendos hostes: vel ad accendendum militum animos, militibus ciuitatē dare in prædam. Sylvest. loc.cit. §.10. & Victoria. Nullo modo tamen militibus licitum est, sine auctoritate principis, cuius mandato bellum geritur prædas agere, aut incendia facere: quia cū non sint iudices, sed executores tantum, sententiam iudicis expectare debent.

Septima. Si bellum commodè geri potest absque spoliatione, & damno agricolarum, & aliorum innocentum, non licet eos spoliare.

Syluester in verb. bellum. 1. §. 10. & Victoria num. 40.

Octaua. In bello iusto licet aucupari ex bonis hostium expensas belli, & omnia damna iniustè ablata: quia ad omnia illa tenentur hostes, qui damna intulerunt.

Nona. In bellis iustis licitum est vti insidijs, modo non dicatur falsum, aut violetur promissum, sed occultentur consilia, & stratagemata ponantur. *S.* Thom. 2. 2. quæst. 40. art. 4. ex August. li. 83. qq. quæst. 10. sic dicente. Cum iustum bellum suscipitur: Vtrum apertè pugnet aliquis; an ex insidijs, nihil ad iustitiam interest. Iosue 8. Dominus mandauit, vt insidias poneret habitatoribus ciuitatis Hai.

His breuibus compræhensa est materia de bello.

Quid sit duellum.

Ad bellum referre possumus duellũ, quod est pugna duorum, siue singulare certamen, quando vnus indicit, & alter acceptat. Nec solum est duellum, quando vnus contra vnum, quamuis nomen huic conueniat, sed etiam quando tres contra tres, vel sex contra sex, &c. Duellum est grauissimum peccatum, vt patet capit. 2. de clerico pugnante in duello, & Concil. Trident. sess. 25. capit. 19. de reformat. Ponuntur autem duo casus, in quibus potest esse licitum. Primus quando Rex quispiam iustam habet belli causam, sed non est potens, vt valeat gerere bellum. Secundus quando aliquis falsò

Duellum potest esse licitum in

falsò accusatus, se interimendum præuidet, vel iniustè aliquod membrum amputandum, nisi duellum acceptet. Caietan. 2. 2. quæst. 95. art. 8. Nauarr. in Manuali, & cap. 11. num. 39. & cap. 15. numer. 9. Qui duellum commiserint sunt excommunicati, & si in duello è viuis decesserint, perpetua carere debent sepultura, & puniri vt homicidæ. Alias similes graues pœnas Concilium Triden. loc. citat. decernit in tales. *duobus casibus.*

CAPVT XIII.

DE SEXTO PRAECEPTO.

Non mœchaberis.

MÆCHIA græcè, latinè dicitur adulterium. Prohibetur autem principaliter adulterium viri, quoniam vir est fortior ad resistendum, vt tradit Augustin. in lib. de adulterinis coniugijs, debetque vxorem sua virtute vincere & exemplo regere. Alia est causa, vt refrenetur multorum virorum peruersitas, qui aliquando omni verecundia deposita fornicantur, & de sua incontinentia gloriantur.

Prohibetur hoc præcepto nomine adulterij, omnium consensu, omnis inordinatus & illicitus concubitus, tam quo ad actus exteriores, quam interiores, de quibus supra dictum *Quid sub adulterio prohibeatur.*

ctum de luxuria. Omnes actus perfecti & imperfecti luxuriæ tam interiores, vt cogitationes, & morosæ delectationes, quàm exteriores, vt oscula, tactus, &c. & species perfectæ vetantur, de quibus omnibus loco citato actum, proinde nihil hîc dicendum restat. Adulterii autem hîc exprimitur: quia præter turpitudinem, quæ ipsi cum alijs carnalibus & luxuriæ speciebus communis est, iniustitiæ quoque peccatum in proximum, & in ciuilem societatem adiunctum habet.

CAPVT XIV.

DE SEPTIMO PRAECEPTO.

Non furtum facies.

HOc præcepto nõ solũ prohibetur furtũ specialiter dictũ, s. dà fortiori, rapina, nec solũ rapina, sed etiã omnis iniusta acceptio rei alterius, vel retentio, vel dãni illatio, vel vsurpatio rerum alienarũ iniqua: aut etiam voluntas talia faciendi. Hinc cum huius præcepti materia latissimè pateat: hoc ordine tractabimus. In primis hoc capite generalia de furto proponentur, & aliqua specialia. Deinde in sequentibus capitibus de restitutione agetur. Tandem materia cõtractuum, quantum breuis instructio patietur, perstringetur. In contracti-

Ordo & materia huius præcepti breuiter proponitur.

tractib. enim multæ & magnæ iniustitiæ fraudes, doliqué continentur, & occultantur.

Quid est furtum?

FVRTVM in genere prout etiam rapinam compræhendit, est contrectatio rei alienæ dolosa, inuito suo domino, animo lucrandi, siue ipsius rei, siue vsus rei, siue possessionis. Furtum autem specialiter dictum, est occulta acceptio rei alienæ inuito Domino ex S. Tho. 2.2.q.66.art.3.

Quid furtum in genere, & quid in specie.

Rapina autem committitur, cum violentia ipso Domino sciente res aufertur & rapitur. Vnde grauius est peccatum. Nec ab hoc peccato excusantur magni domini, quando aliquid accipiunt à subditis ipsis, dominis inuitis videntibus, & non contradicentibus ex verecundia & timore, vt rectè sentiunt Angelus in verb. Furtum. §. 8. Aurea Armilla eodē verb. Sylvest. ibid. quæst. 7. Nauarr. in Manu. cap. 17. num. 5.

Furtum aliter adhuc diuidi potest pro varietate rerum, quæ iniustè auferuntur. Si quid priuatum priuato auferatur, furtum nuncupatur: Si homo liber, vt seruus abducatur, plagiatus; Si res sacra, vel aliquid ex loco sacro, sacrilegium: Si aliquid de grege surripiatur, Ablegatus. Si autem aliquid ex publico tollatur, peculatus nominatur: Quando autem vis infertur, rapinæ nomen sortitur.

Alia diuisio furti pro diuersitate rerum.

Furtum ex genere suo est mortale, ex accidenti potest esse veniale.

Furtum ex suo genere est peccatum mortale, quia contra iustitiam & proximi bonum, & est contra præceptum positum. Quando autem est de re minima, tantum est veniale, nisi animi intentio sit multum furandi, si posset, aut inueniret: aut nisi res modica furata esset proximo causa magni damni: aut occasio ingentis scandali.

Quæ quantitas rei in furto constituat mortale.

Quantitas autem rei, quæ sufficit ad constituendum materiam peccati mortalis, metienda est arbitrio prudentis & timorati viri, vt traduntSylueſter in verb. Furtum. Ioann. Medina de Contractibus. quæst. 10. Couarr. lib. 1. variarum resolut. cap. 3. & alij alibi: quia in vna regione res est in maiori pretio, quàm in alia, & parum accipere quandoque à pauperi, ipsi multum, & diuiti parum est. Nauarr. in Manuali cap. 17. num. 4. putat esse notabilem quantitatem ad constituendum mortale summam duorum regalium, vel vnius, aut etiam dimidij: Idem putat esse iudicium si quis furetur gallinam in regione, vbi diuenditur medio regali.

Quibus de causis furtum excusatur à mortali?

HIs præcipuè. *Primo*, ex paruitate rei. *Secundo*, ex præsentia domini consentientis & dissimulantis, nisi timor aut verecundia prohibeant, ne contradicat. *Tertio*, ex præsumptione probabili dominio nõ displicere, vel

vel ratihabitione eiusdem ex iusta causa. *Quarto*, quando procuratur negotium domini cũ proposito restituendi, vt si quis emat à fure vili pretio equum, vt vero domino restituat. *Quinto*, in extrema necessitate furari tam pro se, quam alio licet, iuxta S. Thom. 2.2. q. 66. art. 7. & communem sententiam. *Sexto*, quando aliquis clam accipit propria sine scandalo, quę per viam iustitiæ, aut alio modo repetere non potest. Iunocent. in cap. Olim, de restitutione spoliatorum. Gloss. in cap. Ius gentiũ, d. 1. Nauarr. loc. cit. num. 5. §. Dominicus Sot. lib. 5. de iustit. & iure. quæst. 3. artic. 3. & alij alibi. Non tamen denuò repetere debet, imò si fieri potest, significandum est domino de satisfactione, secundum mentem S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 15.

De furtis circa inuenta.

RECTE enim dicitur 14. q. 5. cap. Si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti: quantum potuisti, fecisti, quia plus non inuenisti; ideò plus non rapuisti. Circa inuenta autem notandum, quod in triplici sunt differentia. Quædam nunquam habuerunt dominum, nec fuerũt in alicuius possessione. Quædam habuerunt dominum ante memorabile tempũs, & iam pro derelictis habentur. Alia habuerunt dominum breui tempore, qualia sunt, quæ quotidiè perduntur. In foro conscien-

Inuenta in triplici sũt differentia.

scientiæ eadem est ratio de eis, quæ nunquam habuerunt dominum, & alijs, quæ pro derelictis habentur: & huiusmodi omnia de lege communi, sunt inuentoris & accipientis, ut Thom. in quæst. d. artic. 5. ad 2. & Summista in verb. Inuenta, dictum de lege communi, quia si alicubi in regnis aut locis speciales sunt leges, seruandæ sunt. Si quis autem inuenit de nouo perdita, quæ non habentur pro derelictis, & sibi retinet: nec reddit ei cuius sunt: vel non facit diligentiam, vt dominum inueniat, fur est secundum communem doctrinam, & patet ex d. canon. Si quid inuenisti. Quare non leges, sed rapinæ sunt in aliquibus locis, vbi statuitur quod bona naufragantium, vel furta ablata pertineant ad dominum terræ, vt communiter Doctores sentiunt. Quando autem aliquis inuenit bona perdita, & post diligentem inquisitionem non reperit dominum, tunc talia sunt danda pauperibus. At si inuentor sit pauper, poterit cum consilio confessarij sibi reseruare. Feræ autem, & aues in alieno laqueo inuentæ, de lege sunt inuenientis & accipientis. ff. de acquirendo rerum dominio. l. Laqueum. §. Illud quæsitum; nisi alibi sit consuetudo, quę adiudicet ei, qui laqueum posuit, vt sentit Ioan. Maior in 4. d. 15. q. 10.

Quid secundũ leges dicen-

De thesauris, seruandæ sunt leges. Si quis inueniat thesaurum in proprio loco, totus erit inuentoris: Si in alieno, sed casu, pro media

parte

parte est inuentoris, & pro alia domini fundi. *dum de inuentione thesaurorum.*

Si autem data opera in alieno fundo cum consensu domini, vtpote quia ipse non vult facere in quærendo expensas, totus est inuentoris: Si autem quærit contra voluntatem domini, totus est domini fundi. Eadem est ratio, quando quis scit in aliquo fundo thesaurum, & dolosè emit: Si autem bona fide emeret, nec quicquam sciret de thesauro, tunc suus esset cum fundo. Qui autem reperit thesaurum in loco publico, aut sacro, debet eum diuidere cũ illo, cuius est locus. Vide de his in institut. de rerum diuis. §. thesauros, & l. vnica. C. de thesaur.

De furto falsificantium monetas, pondera, & mensuras.

MONETA quatuor modis potest falsificari, c. Quando, de iureiurando, & DD. ibid. 1. in materia, si non cudatur in materia debita; vt si pro argento alia materia adhibeatur. 2. in quantitate ponderis; vt si non sit iustũ pondus. 3. in forma, si non sit publica. 4. si scribatur nomen alterius, & non cudatur ab eo, qui habet potestatem: pro resolutione. *Quot modis moneta falsificetur?*

Prima Conclusio. Qui falsificat monetam tãtum in forma, aut cudit sine authoritate, mortaliter peccat, non tamen tenetur ad vllam restitutionem, quia non sequitur damnum Reipubl. Qui verò falsificat, in substantia, vel pon-

pondere, peccat, & etiam tenetur ad restitutionem damni deceptis, & Reipub. vt tradunt communiter DD. in d.cap. Quanto. & Summistæ in verb. Falsarius.

Secunda. Qui auctoritate priuata circumcidunt, aut radunt pecunias, aut aquis quibusdam acribus attenuant, mortaliter agunt, cum obligatione restituendi. Gloss. ab omnibus recepta in cap. Quando. Eiusdem culpæ reus efficitur, qui monetam falsam recipit siue per errorem, siue per scientiam, & postmodum sciens esse falsam, expendit: vel maioris æstimat, in expositione, quam valeat: Si quis tamen ignorat se deceptum, & bona fide exponit pro iusta moneta, non peccat, certior tamen deinde factus de falsitate, tenetur resarcire damnum læso.

Tertia. Eadem est ratio falsificantium pondera, & mensuras, vel falsificatis vtentium: tales enim peccant, & tenentur ad restitutionem læsis: ex cap. 2. de emption. & vendit. & communi sententia.

CAPVT XV.

DE RESTITVTIONE in genere.

QVONIAM restitutionis cognitio multum necessaria est confessario, in primis quæ-

quædã principia pro introductione sequentium præmittenda sunt.

De materia hac legendi S.Thom.2.2. q.62. S.Antonin. 2. part. tit. 2. cap. 2. Summistæ in verb.Restitutio.Dominic. Sotus lib. 4. de iustitia & iure.q.9.& 8. Ioan. Medina in C.de rebus restituendis. Nauarr. in Manuall Confessariorum.cap.17.à num. 12. & alij Theologi in 4.sentent.d.15.

In primis cum restitutio sit actus iustitiæ, sciendum quid sit iustitia,& quotuplex.

Restitutio est actus iustitiæ.

Iustitia est virtus reddens vnicuique, quod suum est. Non enim loquimur de iustitia generali,quæ in se omnes virtutes complectitur, sed de ea, quæ est in ordine ad alterum. Cuius materia proxima, sunt actiones erga alios, quas moderatur & iustas facit.

Quid iustitia sit.

Remotior, res quas reddit, Remotissima, personæ, quibus redditur.

Iustitia diuiditur in particularẽ, & vniuersalem.

Iustitia diuiditur in particularẽ, & vniuersalem,quam alij legalem vocant. Particularis est, quæ particulares personas concernit. Legalis verò,quæ circa totam rempub. versatur.

Particularis iterum in commutatiuã, & distributiuam subdiuiditur.

Particularis huius instituti est, & diuiditur in commutatiuam,& distributiuam.

Commutatiua est, quæ in contractibus & commutationibus constituit æqualitatem rei ad rem,seruata proportione, vt dicunt Arithmetici,exempli gratia, si merx valeat quatuor florenis, soluam quatuor. Si emi sex florenis bouem,

bouem, sex soluam; si furatus tres batzios, totidem restituam.

Distributiua est, quæ in distribuendis bonis communibus seruat æqualitatem rerum ad personas, & personarum dignitatē, ac merita secundum proportionem Geometricam. In hac non seruatur æqualitas rei ad rem, sed rei & proportionis, quæ est in persona ad tale rem, exempli gratia, vacat beneficium conferendum, consideratur beneficium, & deinde meritum personæ: an proportio respectu dignitatis in scientia & virtute sit, in ordine ad tale beneficium. Pro clariori cognitione adtendum, quod æqualitas est duplex. Arithmetica & Geometrica.

Aequalitas duplex, Arithmetica, & Geometrica.

Arithmetica est numeri ad numerum, vt trium ad tria, 4. ad 4. exempli gratia: accipio tria, toditem reddam, & hæc est iustitia: Si demam vnum, fit inæqualitas Arithmetica, & violatur iustitia commutatiua. Geometrica æqualitas siue proportio est collatio non numeri ad numerum, sed proportionum inter se, ex.gr. est beneficium Ecclesiasticum conferendum, quod habet in reditibus 100. aureos, & mediocre onus, & aliud quod habet 200. & grauius obsequium: duo concurrunt, vnus mediocris dignitatis, alter maioris: tunc digniori melius conferendum: quia maior est proportio, respectu maioris meriti: Sic etiam in distributione onerum Reipubl. Qui plura habet,

habet, magis grauandus: Qui minus, minus: Quando lęditur iustitia distributiua, committitur acceptio personarum, quæ consistit in hoc, quod quando quis ex officio, vel debito iustitiæ debet distribuere communia, non attendit causam, & finem talis distributionis, sed aliam conditionem non congruentem, aut saltem impertinentem ad rem distribuendam in persona, iuxta doctrinam S. Thom. 2. 2. q. 63. artic. 1. & Caietan. ibidem: Exempli gratia, aliquis in electione ad dignitatem, dat alicui consanguineo suam vocem, non quia secundum merita dignior, & vtilior Ecclesiæ, sed quia sanguine sibi iunctus. Ex dictis constat in eis, quæ gratis dantur non esse locum acceptioni personarum: Sic in Deum non cadit: quia non ex iustitia, sed gratia sua nobis largitur bona.

Quomodo committatur acceptio personarum.

In Deũ non cadit acceptio personarum.

Rom. 2.

Actor. 10.

Committitur hoc peccatum tam in prouisionibus beneficiorum & dignitatum Ecclesiasticarum, quàm in distributionibus commodorum & onerum, atque etiam officiorũ ciuilis Reibul. & cum sit contra iustitiam distributiuam, inducitur obligatio restitutionis: quando damna sequuntur, vt in beneficiorum collatione, aut electione ad dignitates contingit, grauissimum est peccatum: nunc de iustitia commutatiua.

Actus iustitiæ commutatiuæ præcipui sunt duo. Primus æqualitatem efficere. Secundus inæ-

Qui sint actus iusti-

tiæ commutatiuæ.

inæqualitatem factam reducere ad æqualitatem, siue inæquale facere æquale; & sic restitutio est actus commutatiuæ iustitiæ: qua reditur, quod iniustè possidetur, aut possessum est, & sic inæquale fit æquale, vt tradit S. Thomas loc. cit. q. 62. art. 11. Dicitur enim restitutio, eo quod iterum statuat alterum in possessionem, aut ius suum.

Vnde restitutio dicatur.

Restitutio rei alienæ est de necessitate salutis.

Deinde restituere alienum est de necessitate salutis, ita vt quicunque rem alterius iniustè detinet, aut diutius, quam debet cõtra domini voluntatem, sit in statu damnationis, nisi restituat. Retentio enim alienæ rei inuito Domino furtum est, & prohibetur præcepto Non furaberis: Hinc illud August. in Epist. 54. ad Macedonium, quod refertur 14. q. 6. can. Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur: pœnitentia non agitur, sed simulatur: Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Ex hoc fundamento sequitur, Confessarium non posse confitentem absoluere, qui aliena tenet, vel abstulit, aut damnum intulit, si non vult restituere cum possit; quia non est contritus, cum velit perseuerare in statu peccati.

Non potest absolui in confessione qui tenet alienũ inuito domino, si restituere nolit cum possit.

Pro regula in hoc loco notandum. Quod necessitas restituendi oritur quotiescunque aliquis peccat contra iustitiam particularem, ita vt sequatur damnum proximo siue in corpora-

poralibus, siue in temporalibus: vt in vita, mẽbrorum priuatione, fama, honore, pecunia, aut rebus quæ pecunia æstimari possunt. Non autem ex transgressione præceptorum charitatis, vt tradunt Alexander Halens. 4. part. q. 87. Adrian. in 4. de restitutione q. 1. Sotus lib. 4. de iustit. & iure. q. 7. art. 3. & lib. 5. q. 3. art. 4. Nauarr. in Apologia de reditibus Ecclesiasticis, q. 2. monitione 2. & 7. & in Manuali confessariorum cap. 17. num. 11. & alij alibi.

Ex transgressione præcepti charitatis non oritur obligatio restitutionis.

Omnis restitutionis obligatio nascitur, vel ratione rei acceptæ, vel ratione iniustæ acceptionis. Quotiescunque autem restitutio facienda est, si non potest fieri in re eadem numero, vel genere, aut specie, fieri debet in valore æquiualenti, ex. gr. qui iniustè alterum membro priuauit, cum hoc reddere non possit, debet ei recompensare in pecunia, vel alijs ad arbitrium boni viri, iuxta S. Tho. q. 62. art. 2. ad 1.

Restitutio quando nõ potest fieri in eadẽ re necesse est vt fiat in æquiualenti.

Postremò non laboret confessarius tanta ignorantia, vt existimet confitentem liberari à restitutione facienda per hoc, quod absoluitur à peccatis, & pœnitentia in satisfactionem imponitur. Aliud enim est satisfactio sacramentalis, & aliud restitutio. Satisfactio à confessario imponitur ratione culpæ, & spectat ad vindicatiuam iustitiam. Restitutio verò ex retentione rei alienæ, vel iniusta damni illatione sequitur, & est actus iusti-

Confitens non liberatur à restitutione necessaria, per hoc, quod ei imponitur pœnitẽtia pro satisfactione.

tiæ ſpecialis, vt ſupra declaratum eſt, cuius rei admonuimus etiam de ſatisfactione in 1. part. cap. 13.

CAPVT XVI.

QVIS TENEATVR reſtituere?

NON modo qui aliena rapuerunt, ſed etiã qui iniuſtæ acceptionis aliquo modo cauſa fuerunt, tenentur ad reſtitutionem. Modi autem quibus aliquis poteſt eſſe cauſa iniuſtæ acceptionis, his verſibus continentur.

Reſtituat capiens aliena, eiuſq; miniſter,
Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtã.

1. Capiens aliena, id eſt, qui per ſe capit, vel rapit, vel iniuſtè damnum infert; Si autem multi cocurrant ad vnum & eundem effectũ, vt ad vnum furtum, vel prædam, aut incendium, &c. Omnes tenentur in ſolidum, ſi ſibiinuicem ſunt cauſa, & quaſi vna cauſa; tamen ſi vnus reſtituat, alij non tenentur, ſed ad refundendum reſtituenti obligantur pro ſua quota. Alia autem ratio eſt, quando plures accidentaliter concurrunt, v. g. ad ſpoliationem templi, id eſt, ita concurrunt, quod nullus alteri ſit cauſa, ſed quaſi ex euentu, & accidenti con-

conueniunt in loco ad eundem effectum, tũc quisque solum pro sua quota tenetur restituere damnũ passo: Itaque qui multum accepit, multum debet restituere, qui parum; parum.

2. Capientis minister, qui est instrumentũ executionis ex motu, aut auctoritate principalis agentis: Sic ad restitutionem tenetur minister vsurarij, qui ex mandato sui domini vsurarios contractus facit; aut vsuras extorquet: Aut famulus domini committentis iniustam alicuius sibi necem.

3. Iussio, id est iubens, aut præcipiens, quando ex iussione, vel præcepto sequitur damnũ proximi: Aut quando ratum habendo, quod ipsius nomine gestum est, impedit restitutionem.

4. Consilium, id est, Qui consilio suo est causa efficax iniustæ acceptionis, vel damni: quod etiam locum habet, quando aliquis per ignorantiã culpabilem est causa damni proximi: Sic aduocati, procuratores, aut consiliarij Principum, grauissimè quandoque possunt peccare, & obligãtur ad grauissimorum damnorum restitutionem, quando ex eorum malis consilijs, aut imperitia, partibus, vel Reipubl. aut Ecclesiæ, magnum damnum oritur: Sic etiam Confessarij obligantur ad restitutionem, si ex ignorantia culpabili & crassa, absoluunt aliquem detinentem alienum, & non obligant ad restitutionem, quam aliàs faceret,

si ei absolutio negaretur: aut restitutio proponeretur. Rosella verb. Restitutio 2. §. 5. Angelus verb. Restitutio 4. §. 5. Nauarr. in Manuali cap. 17. num. 22.

5. Consensus. Qui consentit ita, vt sine suo consensu non sequeretur effectus: Sic non solum peccant, sed etiam ad restitutionem tenentur, qui sunt in consilio, aut tractatibus, quando aliquid tractatur, vnde sequitur damnum alijs, si non contradicant. Quia quitenetur loqui & tacet, consentire videtur, vt rectè Angelus verb. Consensus. §. 2. probat.

6. Palpo, id est, laudator, vel adulator, quando sua laude, vel adulatione est causa, vel concausa damni.

7. Recursus, id est, Qui scienter, aut scire debens recipit & acceptat fures, vel præstat eis patrocinium, vel eorum bona in ædibus custodit, dictum sciens, quia si quis eos recipiat tanquam alios hospites, putans homines esse probos, non peccat.

8. Participans, id est, qui est mediator, vel socius in furto, vel participat in rebus furto, rapina, aut alia quacunque via iniustè ablatis.

9. Mutus, id est, qui potest & debet loqui manifestando, mandando, consulendo, vel prohibendo, & tacet, tenetur de damno secuto. Quod intelligendum de eo, qui tenetur ratione officij, aut obligationis iustitiæ.

10. Non

10. Non obstans, id est, non impediens damnum proximi, quando potest & tenetur. Hoc concernit eos, qui ex officio tenentur tueri iustitiam, & amouere damna Reipub.

11. Non manifestans, id est, qui non manifestat inuasorem iniustæ actionis, quando potest & tenetur. Sic tenentur ad restitutionem damni custodes vinearum, syluarũ, agrorum, & aliarum verum, quando ex dissimulatione eorum proximus patitur damnum.

Postremò, circa prædictos modos aduerte, quód quando secutum est damnum, quilibet tenetur in solidum restituere, id est, totum damnum, cuius fuit causa, vel cooperator, siue sit pars, siue totum: Si verò socij restituant pro sua quota, vel principalis in solidum, tunc alius non tenetur, nisi ad refusionem suæ partis: Si quis verò ita principalis extitisset in damno dando, quod omnino reliquos induxisset si ipse totum restituat: reliqui ad nihil tenentur. De his nouem modis vide S. Thom. q.d. art.7. Sotum lib.4.q.7.art.3. Nauarr. cap. 7. à num. 18. in Manuali. Summistas in verb. Restitutio.

Ad clariorem superiorum intelligentiam mouenda aliquæ difficultates.

PRIMA, AN QVI REM EMIT à fure, vel alia ratione habet, quam fur furatus est, teneatur restituere vero Domino?

CAsvs frequens est, & pro resolutione distinguendum. Emens rem, scilicet equũ, vel aliud quidpiam triplici modo se habere potest. Aut mala fide, ita vt verisimiliter credat equum esse furatum, ex signis sufficientibus. Aut bona fide, ignorans rem esse alterius: Aut dubitando. Deinde quãdo quis emit mala fide, adhuc dupliciter fieri potuit, aut bona intentione; vt agat negotium veri domini vili pretio emendo, vt restituat ei: aut mala intentione, vt sibi retineat propriumque lucrum quærat.

Pro resolutione sit.

PRIMA *Consilio*. Si quis mala fide, & sinistra intentione, rem alterius à fure emit, tenetur restituere vero domino, siue habeat, siue non: Si non eandem rem potest, tenetur in pretio. Est communis DD. sententia. l. 2. ff. de furtis. & 12. quæst. 2. capit. Vulteranæ cũ Glossa recepta, S. Thom. in q. d. art. 6. Soti libr. 4. quæst. 7. art. 2. de iustit. & iure. Ioan. Medina C. de rebus restituendis. quæst. 10. Nauarr. in Manuali cap. 17. num. 10. & aliorum alibi. Nec talis poterit pretium repetere à vero domino,

l. in

l.in ciuile. C. de furtis, & est communis sententia: Nec in hoc casu ignorantia iuris excusat, quia hæc prohibitio à iure naturali originẽ traxit, cuius ignorantia neminem excusat, vt Angelus respondet verb. Restitutio 1. §. 2. Ex his infertur si quis inuitatus à fure, aut prædone ad conuiuium, vbi consummuntur iniustè ablata, tenetur ad restitutionem illius partis, quam consumit. Quod notandum pro eis, qui hoc tempore bella sequuntur.

Secunda Conclusio. Qui rem à fure emit in vtilitatem veri domini, vt ei restituat, potest repetere pretium, & dominus tenetur ei reddere cum moderatis expensis, si quas fecit, patet, 14.q.5.cap. Rapinam emere non licet, nisi ea intentione vt domino restituatur, Angelus, Sylvester, Caietan. Aurea Armilla in verb. Restitutio & alij alibi. In foro tamen exteriori nõ creditur tali emptori, nisi publicè protestatùs fuisset, quod ea intentione emeret, vt negotiũ veri domini ageret.

Tertia Conclusio. Qui bona fide rem alterius emit, id est, non credens esse furatam, aut alienam, si rem alienauit durante bona fide, nõ tenetur ad vllam restitutionem, nisi in aliquo factus sit ditior, vel si aliquod lucrum acquisiuit. Ex hac radice sequitur, si quis equum à raptore dono accepit, quem rapuit, si diuendidit, tenetur ad totius pretij restitutionem; quia in illo factus est ditior.

Quarta Conclusio. Qui rem bona fide à fure, aut iniusto possessore emit, si penes eum adhuc sit, certior factus de vero domino tenetur ad restitutionem, nec potest pretium repetere à domino. l. Mater, & l. Si Mancipium. C. de rei vendicat. Certior tamen factus, quod res aliena sit, potest venditori reddere, & suam pecuniam repetere, vt sentiunt Angel. verb. Restitutio 1. Gabriel. in 4. d. 15. quæst. 3. dub. 5. Alexand. Halens. 4. part. q. 86. memb. 3. Nauar. loc. cit. num. 9. & quomodocunque restituerit vero domino, venditor tenetur ei ad pretium, cap. final. de empt. & vendit.

Quinta Conclusio. Quando aliquis dubia fide rem alienam emit in vtilitatem proprij domini, animo restituendi non peccat, sed opus charitatis facit, debet tamen aliquam diligentiam facere, vt proprium dominum inueniat, facta diligentia, si dominus non inueniatur potest rem vendere, tenetur tamẽ emptorem admonere de hoc: Quod si non facit, tenetur ad damna, si emens aliqua incurrat ex hoc; aliàs fraude præsumitur vendidisse.

Qualis debeat esse culpa ad hoc, vt aliquis teneatur ad restitutionem ratione iniustæ damnificationis, id est, quia alteri iniustè damnum intulit.

CVLPAM aliquis dupliciter potest incurrere

rere dolo, & studio, & sine industria & consideratione. Dolo, vt pote cum quis studiosè facit ad decipiendum alium, & sic si fiat verbis dicitur fallacia; Si in rebus fraus. Culpa autem simplex est, quando aliquis sine consideratione, vel intentione infert damnum: & est triplex. Lata, Leuis, & Leuissima.

Lata, quæ solet communiter vitari ab hominibus eiusdē professionis, & ordinis. Qualis est eius qui extra domum in aliquo scamno librum sibi accommodatum reliquit & perdidit. *Culpa triplex, lata, leuis, & leuissima.*

Leuis, quam communiter homines diligentes eiusdem ordinis euitant, vt si quis librū in cubiculo relinquat ostio tamen aperto.

Leuissima, quam homines diligentissimi eiusdem professionis vitare solent. De hac materia latius in Rubr. de iniur. & damno dato 2. part. notab. 5. & 9.

Prima Conclusio. In foro exteriori quicunque infert damna vel per se, vel per alios, aut etiam per animalia, siue sit in culpa, siue non, tenetur ad restitutionem damnorum. ff. ad legem Aquiliam. l. in lege Aquilia, & extra de iniurijs & damno dato, cap. Si bos, & cap. Si læserit.

Secunda. Qui damnum alicui infert ex intentione & dolo, quomodocunque hoc fecerit, tenetur ad restitutionem in conscientia;

quia

quia est voluntaria causa, vt proximus damna patiatur. Similis est ratio, si quis exculpa lata, aut directè alteri damnum inferat, etiamsi solum venialiter peccet, capit. vlt de iniurijs. Panormitan. & alij ibidem. & cap. Si egressus, eodem titulo. Si quis autē indirectè alteri damnum inferat, non tenetur, nisi sit in culpa lata. Ex his infertur eos dominos temporales non solum peccare grauissimè, sed etiam obligatos esse ad restitutionem damnorum in vtroque foro, qui feras alunt in terris suis, ita sibi appropriando: quod nullus sine maxima pœna potest eas occidere; quia rustici non coguntur de nocte custodire agros suos cum tanto incommodo, sed dominus, qui sibi feras appropriat, tenetur ne sua animalia alijs damna inferant, prouidere. De hac materia legendi Canonistæ in capit. vlt. de iniurijs. Summistæ in verb. Culpa, & Restitutio. Nauarr. in Manuali cap. 17. à num. 177.

Tertia. Cum alia sit ratio casus fortuiti, regulariter nemo tenetur de damno, quod casu fortuito contingit, nisi sit in culpa, ratione moræ: vel pactum præcesserit de soluendo in omnem euentum.

Quomodo quis tenetur de damno, quando res iuste ad ipsum peruenit, vt contingit in locato, accommodato, deposito, &c.

NOTANDVM differentiam esse inter con-

contractus, in quibus transfertnr dominium, vt ſunt mutuum, donatio, &c. & eos in quibus dominium non transfertur, vt accommodatum, locatum, depoſitum, &c.

Mutuum eſt, in quo transfertur dominiũ, non ſolum vſus, ſed etiam ſubſtantia rei, & cõtingit in rebus, quæ vſu conſumuntur, vt ſunt pecunia numerata, panis, triticum, vinum, oleum, &c.

Commodatum eſt, in quo conceditur vſus rei, quæ non conſumitur vſu: vt ſunt equus, liber, menſa, &c.

Locatum, quo conceditur vſus rei non vſu conſumptibilis pro pretio: vt domus, & equus, quando pro pecunia ad tempus locato datur.

Precarium, quo precibus petentis, conceditur res tam diu, quam diu is qui conceſſit, vult, & id gratis.

Depoſitum, quo ſola cuſtodia rei alteri cõmittitur.

Pignus, quo creditori debitor in cautionẽ obligatur, de his ſpeciales tituli habentur in iure, & Summiſtæ agũt in ſuis verbis. De quæſtionis huius materia exactius tractauimus in comment. de iniurijs. cap. 9. q. 13.

De Mutuo.

IN mutuo mutuatarius ſemper tenetur reſtituere, quomodocunque res pereat, quia in hoc contractu transfertur dominium, &

res

res si pereat, perit illi, cuius est, nisi alius culpam damni dederit.

De Commodato.

COMMODATARIVS, quando in suam vtilitatem accommodatum est aliquid, tenetur etiam in culpa leuissima ad restitutionem cap. 1. de Commodato: Si autem est in vtilitatem commodantis, non tenetur nisi de culpa lata, siue graui, aut dolo, l. si vt certo. ff. de commodato, & d. cap. vnico eod. tit. Si verò res pereat apud commodatarium sine sua culpa, nõ tenetur ad vllam restitutionem, nisi vtatur in alium vsum, quam res accomdata est, vt sentiunt DD. in d. cap. vnico de commodat. Quido accommodatum est in vtilitatem vtriusq; commodantis & commodatarij, Commodatarius tantum tenetur in culpa graui, aut leui. Glossa recepta in in l. Si vt certo, de Commodato, §. Interdum: Hinc si quis habeat aliquid commodato, & remittat per nuncium habitum communiter pro probo & fideli, si res in missione pereat, non tenetur ad aliam restitutionem: Secus autem si per leuem & infidelem. Eadem est ratio de mittente pignus, depositum, &c.

Quando commodatarius teneatur de casu fortuito.

Commodatarius autem in tribus casibus tenetur in casu fortuito. De quibus Panorm. in d. cap. vnico. Summistæ in verb. Commodatum. Nauarr. in Manuali, cap. 17. num. 179.

Primus

Primus, si culpa præcessit, vt commodaui alicui equum, vt proficisceretur Lutzenburgũ, ipse autem profectus Leodium incidit in prædones, & spoliatus est. Secundus, quando pactum præcessit, vt commodatarius teneatur in omnem euentum. Tertius quando mora præcessit, & tempus, quo restituere tenebatur, elapsum est, ex.gr. commodaui alicui equum vsque in diem quartum, & ipse vtitur ad 8. & veniunt milites auferunt ei, tunc tenetur restituere.

Postremò accommodans alicui aliquid vitiosum, si non dicat ei vitium & sequatur aliquod damnum, tenetur ad restitutionem. Glossa in d. cap. vnico: Si autem vitium significauerit, ad nihilum tenetur.

De Locato.

CONDVCTOR siue locator de re conducta tenetur, si pereat dolo, vel culpa graui, aut leui, non autem leuissima: quia in gratiam vtriusque cedit: Sic communior opinio docet; Si tamen tale aliquid esset, quod ex natura sua pro conseruatione requireret diligẽtissimam curam, teneretur de culpa leuissima. l. si merces. §. qui columnam. ff. de locato. Si etiam quis locet rem vitiosam pro bona scienter, tenetur conductori de damno. Secus autem, quando simpliciter locauit, credendo quod bona esset.

De

De Depoſito.

DEPOSITARIVS, qui non amittit, vel perdit depoſitum dolo, & culpa lata non tenetur ad reſtitutionem. l. 1. §. vlt. de depoſito. & extra cap. Bona fides eod. tit. Culpa autẽ nunquam habetur pro lata in depoſito, quando in eo modo, quo propriam ſubſtantiam conſeruat: Si autem negligens ſit in conſeruatione rerum ſuarum, in depoſitis debet eſſe diligens, aliter eſt in culpa. Si autem accipit aliquid pro cuſtodienda re depoſita, ſi res perit, vel deterior redditur, tenetur tantum de leui culpa.

De Pignore & Precario.

QVANDO pignus perijt, aut deterius factum apud retinentem ex dolo, culpa grauiori, aut leui, tenetur ad reſtitutionem & recompenſationem damni, vt notant Gloſſa in l. ſi creditor, C. de pignoribus. Angelus verb. pignus. §. 16. & alij.

In precario autem aliquis ſolum tenetur de dolo & lata culpa, & non de leui, vt docet Panormitanus in ca. finali de precario: quia precarium pendet à mera liberalitate, & dominus poterit reuocare, quandocunque voluerit.

(:o:)

CA-

CAPVT XVII.

QVID RESTITVENDVM & quantum?

SECVNDVM Doctores quatuor sunt genera bonorum, in quæ potest cadere restitutio. Bona animæ, vt sunt virtutes tam infusæ, quã morales. Corporis; vt vita; sanitas, &c. Honoris ac famæ: nec non etiam fortunæ: vt sunt pecuniæ, aliæque res necessariæ ad hominis conseruationẽ. De his S. Antonin. 2. part. tit. 2. Ioan. à Turrecrem. 14. q. 6. cap. Si res. Paludan. in 4. d. 15. q. 2. Scot. ibid. q. 3. Gabr. in ead. d. 2. notab. 3. Adrian. in 4. de restitut.

Quatuor sunt genera bonorũ in quæ restitutio cadere potest.

De Restitutione Spiritualium.

QVAMVIS directè non possit homini nocumentum inferri in bonis animæ, cum ita sint spiritualia sicut ipsa anima, & voluntas non possit cogi, tamen indirectè consilio, inductione, doctrina, maloque exemplo, potest quis lædere proximum in spiritualibus, & retrahere à bono, vt religione, vel via iustitiæ, tunc obligatur, vt etiam medijs spiritualibus prout potest, reducat ad eundem statum, idque per se, vel alios. Non desunt tamen haud inferioris notę Doctores, qui censent, quod si quis retraxit professum à religione, si nõ pos-

ſit eundem reducere, quod ſeducens teneatur ingredi loco illius.

De bonis corporis.

QVI alterum lædit in bonis corporis, vt occidendo, mutilando, aut infirmitatem inducendo, tenetur læſo ad reſtitutionem omnium damnorum, quæ ſequuntur, vt cõmunis ſententia DD. eſt, & conſtat ex cap. 1. de iniurijs. Vnde qui alium occidit, tenetur hæredibus de damno illato. Cum autem omnia in particularibus caſibus non poſſint definiri, in cenſura caſus occurrentis, qualitas perſonæ occiſæ, ætas, lucrum quod acquirebat, item quot perſonas ex debito iuſtitiæ alere tenebatur, aliæque circumſtantiæ, pro arbitrio prudentis & boni viri conſiderandæ ſunt, & his conſideratis, quantitas rei reſtituendæ metienda. Ex his ſequitur quod etiam Ioan. Maior in 4. d. 15. quæſt. 19. tradit poſſe contingere, vt qui ſutorem, vel alium artificem occidit, ad maiorem teneatur reſtitutionem, quã ſi nobilem occidiſſet. De hac reſtitutione latè Turrecrem. in d. cap. Si res. Gabr. in 4. d. 15. quæſt. 15. Adrian. in 4. de reſtitut. q. fin. Sotus lib. 4. de iuſtit. & iure. q. 6. art. 3. & nos latiſſimè in comment. d. cap. 1. de iniurijs. quæſt. 3. & ſeq.

De bonis famæ & honoris.

QVI iniuſtè aliquem in fama & honore læſit,

læsit, tenetur ad restitutionem, quia contra iustitiam peccauit. Est communis doctrina. Sed ad hoc, vt quis teneatur, tres conditiones requiruntur. *Prima*, vt verè famam abstulerit. *Secunda*, vt auferatur fama in rei veritate contra iustitiam. *Tertia*, vt infamatus non iterum recuperauerit famam. Si etiam ex iniusta famæ læsione alia damna sequantur, infamans tenetur ad restitutionem eorum, quia dans causam damni, damnum dedisse dicitur.

Quis modus restituendi famam?

QVI famam alicuius mentiendo læsit imponendo alteri falsum crimen, quod non fecit, tenetur restituere confitendo se falsum dixisse: vel mentitum esse, & si hoc non sufficit debet adhibere iuramentum: Si autem persona illustris infamasset hominem infimæ conditionis, non teneretur famam restituere cum damno propriæ famæ, obligaretur tamen in aliquo æquiualenti recompensare. Quando autem aliquis alium infamauit verum crimen, sed occultum detegendo contra ordinem iustitiæ, debet dicere se malè dixisse: vel iniustè defamasse, vel laudare à veris virtutibus, quas habet ille, cui famam abstulit, apud eos coram quibus infamauit: quia in hoc casu non potest dicere se mentitum,

Sotus lib. 4. de iustitia & iure. q. 6. art. 4.

aut falsum dixisse, ne peccatum peccato addat. Quando autem fama restitui non potest, debet recompensari in pecunia, aut æquiualenti ad arbitrium boni viri, quanquam id fiat cum proprio damno, quia restitutio est de necessitate salutis.

De restitutione bonorum temporalium, siue fortunæ.

RES aliena restituenda est in propria specie si potest haberi, aliàs in æquiualenti: recompensanda sunt etiam damna, si quæ sequuntur rem iniustè ablatam, lucrum cessans, damnum emergens, fructus, si res fructifera sit, & alia emolumenta, & hæc reducendæ ad æqualitatem arbitrio prudentis & timorati viri.

Hic aliqua dubia breuiter sunt resoluenda.

Primum. *An defraudata vectigalia & tributa, &c. sint restituenda?*

CIRCA hoc dubium præmittẽdum, quod omnibus notissimum est; Reges, Imperatores, Principes, aliosque non recognoscentes superiores, posse huiusmodi imponere iustis de causis, vt pro expensis faciendis in iusto bello, pro redemptione Domini in bello, pro salute subditorum capti, pro vtilitate publica, pro sustentatione honesta Principis, pro eloca-

cationc filiæ principis, aut alia simili iusta causa, quæ referri debet in vtilitatem reipubl. & non priuatum commodum; nunc pro resolutione.

Quicunque defraudat iusta vectigalia, & non soluit, tenetur ad restitutionem; quia sunt reditus principũ, & reipub. & sunt soluẽda secundũ Euangeliũ. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Cui tributũ tributum: cui vectigal, vectigal. Quando autẽ principes vectigalia, pædagia, & alia onera à trãseuntibus, aut subditis capiunt, & non faciunt sufficientẽ diligentiã, vt subditi vel alij sint securi in vijs, aut defendantur ab iniurijs, tenentur ad restitutionem damnorum, si quæ subditi, aut alij iniustè patiantur. Si autem euidenter constet onera prędicta iniustè imposita esse, vtpote à non habente potestatem, vel sine vlla vrgente causa, si quis non soluat, ad nihil tenetur.

Matth. 22. Luca. 20. Rom. 13.

Secundum dubium. *An clam capta in venatione sint restituenda?*

DE hac materia legẽdi Couarruuias in regula peccatum part. 2. §. 8. Sotus de iustitia & iure libr. 4. q. 6. art. 4. Medina C. de rebus restituendis, q. 12. Nauarr. in Manuali cap. 17. à num. 120. Summistæ in verb. Venatio. & nos alijs latius in d. commentar. de iniurijs. cap. 4. quæst. 4.

De iure naturæ, feræ sunt communes, &

venatio licita est, redditur autem illicita, si fiat cum damno alterius: vt discurrendo per agros, segetes, &c. Aut cum periculo propriæ, aut alienæ vitæ: aut indebito tempore; aut fiat à quibus non debet: Possunt etiam iustis de causis Domini prohibere venationem alijs. Quando autem strictissimè prohibent, & sibi feras appropriant, tenentur ad omnia damna, quæ feræ agris, seminibus, & fructibus rusticorum inferunt, & si non restituant, licet subditi ex timore & metu non petant, & quasi coacti consentiant, grauissimè peccant, & in damnationis statu viuunt, donec restituant: nec poterunt euadere iudicium eius, apud quē nulla est acceptio personarum. Si autem Domini occidunt, aut mutilant transgressores, grauissimè peccant, nisi frequentent & rustici sint consueti facere, aut contumaces. Nec etiam honorificum, aut magnificum est, si domini minima prohibeant capi animalia à rusticis, cum iure naturæ omnia sint communia: quare relinquēdum esset aliquid subditis pro recreatione, cum eorum fructibus & seminibus, feræ vt plurimum pascantur & alantur. Pro resolutione ad propositum.

Prima Conclusio. Si quis venetur alienas feras in loco clauso & septo à Domino, furtum committit, & tenetur ad restitutionem: quia huiusmodi bestiæ sunt captæ, & quasi domesticæ, & constitutæ sub dominio detinentis.

Idem

Idem est iudicium quando sic conseruantur, vt quandoque egrediantur, solitæ tamen sint redire ad suum locum.

Secunda Conclusio. Quando feræ desinunt redire ad proprium locum, amittitur dominium, ex §. feræ bestiæ. Instit. de rerum diuisione, nam per fugam à custodia, bestiæ pristinam recuperant libertatem, & ita efficiuntur capientis.

Tertia Conclusio. Si vagentur huiusmodi bestiæ vbique, & nullo loco claudantur, etiamsi prohibitum sit à Domino, ne capiantur ab aliquo, capiens non tenetur ad restitutionem; quia de iure sunt capientis. Ex his patet quod si quis capiat pisces in viuario & loco clauso furtum committit, & tenetur ad restitutionem.

De piscatione sumendum est iudicium secundum dicta.

Tertium dubium. *An capientes columbas alieni columbarij, teneantur ad restitutionem?*

HABERE columbas cum notabili damno aliorum non licet, vt communiter Doctores sentiunt. Si autem omnes ferè in loco columbas habeant, videntur mutuo consentire in recompensationem. De hac materia legendi. Nauarr. loc. cit. numer. 126. Sotus in fine d. artic. Medina vbi supra. S.

Antonin.2.part.tit.2. cap.1. Pro Resolutione.

Qui occidit columbas alterius, vel accipit in alieno columbario, furtum committit, & tenetur ad restitutionem; quia aufert alienum inuito domino. Eadem est ratio, si quis in suo columbario semina spargit, aut vtitur aliqua arte, qua columbas ab alijs columbarijs ad suũ pertrahat: Si quis autem solum suas pascat, & aliæ aduentent, non potest eas capere: Si autem manent, modo eas non retineat, & non reuertantur, potest eas retinere postquam cõsuetis temporibus desierint redire, vt Nauarr. tradit. Alia autem est ratio, quando columbæ sunt sylueſtres, & vagantur, nec certum habẽt dominum: Si autem in aliquo loco consuetudo sit, vt columbæ post certum à columbarijs spacium capiantur, & nullius esse iudicentur, nisi capientis, tunc non est culpa capere. Ex dictis facilè potest iudicium sumi de apibus. Si quis apes accipiat suis aluearijs, & locis inclusas, furtum committit. Si autem inueniantur in alieno loco non inclusæ, fiunt capientis, nisi aliquod statutum loci obstet.

Quartum dubium. *An lucrifacta in ludo sint restituenda?*

VIDE Ioan. Medinam C. de rebus restituendis q. 22. Sotum lib.4. q.5. art. 2. Nauarr. in Manuali cap.20. num. 19. Alphonsum Castrens. lib de lege pœnali cap.11.

In

In sequentibus casibus aliquis tenetur restituere ludo acquisita.

Primo, Si aliquis lucrifacit ludens cum eo, qui rei perditæ dominium non habet, nec liberam administrandi facultatem, ita, vt possit alienare; vt si quis lucretur à filio existente sub patria potestate, aut à minori, qui sub tutoribus agit, aut à religioso.

Secundo, Quando lucrans colludentem minis aut metu pertraxit ad ludendum ex cupiditate lucri; aut notabiliter in arte ludendi excedit.

Tertio, Si quis dolo, fraude, aut deceptione vtatur, tunc ludo acquisita sunt restituenda.

Quantum restituendum?

TANTVM, quantum ablatum est, quando quantitas rei certa est; Si autem incerta, restitutio facienda ad arbitrium boniviri, qui consideratis circumstantijs, id quod æquitati consonum erit, iudicabit.

CAPVT XVIII.

CVI, VBI, ET QVO ORDINE restituendum?

COMMVNITER res restituenda ei, cui ablata est: Si autem habeatur ab alio,

quam vero domino, restituenda domino, qui si mortuus sit, hæredibus restituendum. Idem est iudicium, quando res restituenda esset in damnum domini, vt si quis esset in debito furiosi, qui pecunias numeratas perderet, tunc hæredibus, aut curatoribus restitutio facienda: Quando autem dominus ignotus post diligentem inquisitionem manet, succedunt pauperes Christi. Si autem post inquisitionem non certus dominus, sed incertus inueniatur in confuso, tunc de consensu eorum, res restitutioni obnoxia diuidenda est inter eos. Hinc Caietan. infert, quod quando factum est nocumentum à militibus in bello, & non scitur certus dominus, damna resarcienda Reipubl. vt fiat diuisio. Quandoque etiam contingit, quod res non restituenda domino, vt si acceptio, & collatio rei iniusta & contra legem, vt in Simonia contingit, tunc nec recipiens, nec dans potest retinere, sed restitutio Ecclesiæ læsæ, aut Christo in pauperibus facienda.

Vbi restitutio facienda?

FACIENDA in loco, vbi res habetur, quando obligatio orta est ratione rei alienæ, nõ tamen iniustè ablatæ: Si autem res retenta iniustè ablata sit, ibi res restituenda, vbi dominus indemnis seruatur: quamuis ipse restituens grauetur: quia sine culpa iniustè causam damni dedit: Si autem obligatio vim tra-

hat

hat ex contractu, vel quasi contractu, standum est contractui, & restitutio facienda in loco ordinato.

Quomodo restituendum?

PER se, aut interpositam personam, modo damnum resarciatur parti læsæ. Si autem delictum occultum, occultè facienda est restitutio, ne fama proximi lædatur.

Quo ordine restituendum?

DE hoc ordine legendi S. Antonin. 2. part. tit. 2. cap. 7. Caietan. in verb. Restitutio, cap. 8. Ioan. Medina in d. cap. q. 2. dub. 5. Nauarr. d. ca. num. 47. Sylvest. in verb. Restitutio 6. q. 5.

Quando obligatus ad restitutionem, omnibus est soluendo, non est opus seruare ordinem, sed indistinctè restitutio omnibus est facienda. Si autem non suppetunt facultates, hic ordo non seruandus.

In primis debita certa præferenda incertis, & inter certa prius restituenda, quæ extant in propria specie, quomodocunque sint accepta, quia quam diu res permanent, dominium manet penes verum dominum: vt fit in rebus depositis, locatis, furto, vel rapina ablatis: Alijs etiam paribus, debita contracta ex licitis contractibus sunt præferenda contractis ex rapina, furto, & alijs illicitis modis. Si autem in aliqua prouincia, vel loco sint statuta, vel

leges

leges de ordine restituendi seruandæ sunt. Bona autem incerta restituenda sunt secundum consilium confessarij, qui si viderit debitorem in magna paupertate, poterit dispensare, vt sibi retineat tanquam pauperi partem. Si autem confessario videatur, quod hac occasione liberius aliena rapiet, non expedit hãc facere misericordiam, ne peccandi liberius occasio offeratur.

Ordo autem hic in restituendo ita est necessarius, vt tradunt Syluester loc. cit. q. 7. & Nauarr. num. 52. vt si quis eum non seruet, conscientiæ non satisfaciat.

CAPVT XIX.

QVANDO RESTITVTIO FAcienda, & quæ causæ excusent, aut differant restitutionem?

QVI accepit rem alienam, vel eam detinet contra iustitiam, statim debet restituere, si potest, vel petere dilationem ab eo, qui vsum rei concedere potest, iuxta doctrinam S. Thomæ. 2. 2. quęst. 62. art. 8. communiter receptam. Quia retinere rem alienam inuito domino, est contra præceptum negatiuum. Non furaberis. Ea autem natura est præcepti negatiui, vt obliget semper, & ad semper, vt

Docto-

Doctores loquuntur. Quando autem dicitur præceptum restitutionis statim obligare, intelligendum moraliter, locis & temporibus conuenientibus: Vnde qui nocte in lecto, vel de die in Ecclesia recordatur, se alienum possidere, non tenetur statim surgere ad restituendum, sed animum habere restituendi primo quoque tempore commodo. Ex dictis inferuntur quædam. *Primum*, quam diu quis detinet rem alienam inuito domino, si potest restituere, & nolit, est in statu peccati mortalis, & quo diutius detinet, eo grauius peccat: & quotiescunque actum nolitionis elicit, nouum peccatum committit. *Secundum*, horrendum quidem, sed verissimum, multos damnari ob non solutionem debitorum, nullum habẽtes conscientiæ scrupulum, credentes se non teneri ante declarationem per sententiam, vt recte Nauar. num. 64. loc. citat. infert. *Tertium*, Confessarium non posse eum absoluere, qui potest soluere, & restituere, & non facit, sed differt contra voluntatem domini: Nec etiam eum, qui potest totum, & vult nisi partẽ Quoniam talis non est contritus, cum velit in statu peccati mortalis perdurare. Potest enim totũ simul & statim restituere, & tamen non vult id præstare. *Quartum*, In periculosissimo esse damnationis statu, qui per totam vitam non restituunt, cum possint, neque propositum habent nisi restituendi in morte, licet firmissimum

ſimum illud habeant: aut reſtitutionem præcipiendi in teſtamento, vt docent Sotus lib. 4. quæſt. 7. artic. vltimo de iuſtit. & iure. & Ioſephus Angles in florib. Theolog. 2. part. in 4. ſentent. quæſt. de reſtitut. artic. 2. difficult. 4.

Dubium. *An confeſſarius debeat abſoluere eum, qui aliquoties promiſit reſtituere, & non fecit?*

S. Antonin. 2. part. tit. 2. ca. 8. Caiet. in ſumma verb. Reſtitutio, cap. 6. & Aurea Armilla in eodem verb. numer. 33. traduntnon debere abſolui talem, niſi prius actualiter reſtituat: quia cum ex præteritis futura conijcere liceat, timendum ne poſt abſolutionem deficiat à reſtitutione. Addit tamen Nauarr. num. 58. quod talis poſſit occurrere pœnitens, & tales circumſtantiæ loci, & temporis, & cauſæ, vt confeſſarius ſolo animo reſtituendi contentus eſſe debeat.

Quæ cauſæ excuſant à reſtitutione ſtatim facienda?

TRES potiſſimum. *Prima*, voluntas domini concedentis dilationem, vel condonantis debitum: quia tunc non retinetur alienum inuito domino. *Secunda*, Ignorantia iuris, vel facti, quam diu durat. *Tertia*, eſt impotentia reſtituendi, quæ ſi in perpetuum duret, etiam excuſat: Si autem aliquis pro parte

parte ſit potens, & pro alia impotens, tenetur ad reſtitutionem pro parte, qua potens eſt.

Quando autem aliquis verè dicatur impotens, vt excuſetur à reſtitutione ſtatim facienda, varij ſunt Doctores. Vnde ad diſcernendum has ponunt regulas Sylueſt. in verbo Reſtitutio 5. Aurea Armilla in eodem verb. & alij alibi.

Prima. Exiſtens in extrema neceſſitate, & non habens niſi neceſſaria vitæ ſuæ & ſuorũ, non tenetur ſtatim reſtituere. Quia omnia in extrema neceſſitate ſunt communia.

Secunda. Qui reſtituendo non poſſet viuere ſecundum decentiam ſui ſtatus, etiam quod dominus rei, qui non eſt in tali, vel maiori neceſſitate nolit dilationem dare, non tenetur ſtatim reſtituere, quia in hoc caſu rationabiliter dominus deberet dilationem dare, licet cupiditate, vel alia irrationabili cauſa ductus nolit, & hoc fundamentum maximam clauem vocat Sylueſter & confirmat ratione & auctoritate.

Talis tamen debet cauere ne expenſas faciat non neceſſarias in victu, veſtitu, & alijs: alioquin rationabiliter non excuſaretur.

Tertia. Quando reſtitutio eſt in damnum corporis, vel animæ domini ſi ſtatim fiat, differenda eſt, quia cum hoc ſit in commodum

modum eius, rationabiliter debet consentire.

Quarta. Si restitutio statim facta redundet in damnum cõtra bonum commune debet differri: quia bonum commune præferendum priuato.

Quinta. Si restitutio probabiliter est in damnum alicuius famæ, vel vitæ, aut animæ: aut periculum peccati mortalis inde timetur, non debet fieri nisi cessante tali periculo: quia hæc maiora sunt damna, quam non statim restituere rem alienam.

Sexta. Si restitutio statim redundat in parvum commodum creditoris, & in magnum damnum debitoris, ita vt oporteat eum vendere instrumenta artis suæ, qua viuit, vel aliud magnum damnum subire, non tenetur statim restituere, ex fundamento supra posito; quia creditor in tali casu rationabiliter debet dare dilationem, nisi ipse sit in simili casu; quia tunc statim restitutio esset facienda, cum nemo vt suum curet commodum, alteri debeat esse incommodo.

CAPVT XX.

DE CONTRACTIBVS in genere.

DE materia contractuũ omnium latissime

mè scribit Conrard. Summenhart. in septiparito opere de contractibus, in quo centum quæstionibus doctissimè contractuum iustitiam examinat. Breuius Conrardo, sed tamen satis latè de eadem materia agunt. Sotus lib. 6. de iustit. & iure. Medina in C. de rebus per vsuram acquisitis, & alij quorum mentio in progressu fiet.

Quid est contractus?

CONTRACTVS propriè, est mutua actio inter aliquas personas, ex qua mutua nascitur obligatio: aut obligationis dissolutio: Vel alio modo, vt Vlpianus in l. Labeo. ff. de verb. significatione, definit, contractus est vltro, citroque obligatio.

Tria in omni contractu considerandà.

In omni contractu considerantur præcipuè tria. Personæ contrahentes, actiones personarum, & res, circa quas actiones ipsæ versantur, exempli gratia. Petrus vendit equum viginti aureis Ioanni: Petrus & Ioannes sunt personæ. Emptio & venditio actiones personarum, pecunia & equus res, circa quas versantur emptio & venditio.

De multis modis diuidendi contractus, qui voluerit legat Conrard. de contractibus, q. 17. S. Antonin. in 3. part. tit. 8. cap. 2. Sotum lib. 6. q. 2. art. 1.

Nos pro natura compendij agemus tantũ de voluntarijs contractibus, qui versantur

circa res externas, quique sunt præcipuè septem, prout colligit Sotus. Tria considerantur in re. Dominium, vsufructus, & vsus, tres ergo erunt ordines contractuum. Primus eorum, in quibus dominium transfertur: Secundus, quando vsufructus, & tertius quando nudus vsus. Quando dominium gratis transfertur, donatio est, quæ cum non inducat obligationem iustitiæ, non est propriè cõtractus. Si autem translatio dominij non fiat gratis, tres sunt contractus. Aut res pro re commutatur: & dicitur cambium: aut dominium pro pretio transfertur: & est emptio, cui respondet venditio: aut transfertur, vt idem, vel tantundem reddatur, & fit mutuatio: Si autem vsufructus transferatur, sed non gratis, fit Emphyteosis, ad quam traducitur censualis pensio. Cum autem merus vsus transfertur, id vel potest fieri gratis, vt sola substantia restituatur, & est commodatio, vel vsus non gratis conceditur, sed pro vsu alterius rei, & est permutata commodatio: Si autem vsus conceditur non pro vsu alio, sed pro pretio, est locatio, cui correspondet conductio. Depositum, fideiussio, & stipulatio propriè contractus non sunt, cum nihil transferatur, S. Thomas 2. 2. quæst. 77. & 78. tantum disputat de fraudulentia, quæ committitur in emptione & venditione, & in mutuo ratione vsuræ: quia in his virtute, tota contractuum materia

teria continetur. Præmittit autem quæstionem de emptione & venditione, quia emptio dignior est contractus. Hic autem sequemur ordinem doctrinæ, secuti Sotum & alios, & præmittemus doctrinam de mutuo & vsura, cum vsuræ vitium longè lateque per omnes contractus vagetur, & eo cognito facilimè de iustitia aliorum contractuum, iudicabitur.

CAPVT XXI.

DE MVTVO, ET VSVRA in genere:

DE materia vsuræ legendi S. Thom. 2.2.q. 78. Conrard. de contract. tractat. 2. à. c. 20. vsque ad 50. Sotus. lib. 6. q. 1. Medin. loc. cit. Nauarr. in Manuali Confessariorum cap. 17. à num. 206. & incomment. de vsuris super cap. 1. 14. q. 3. Didac. Couar. libr. 3. variarum resolutionum, cap. 1. 2. & 3. Summistæ in verb. Vsura, & Canonistæ in iure canonico tit. de vsura.

Quid est Mutuum?

EST contractus, in quo datur alteri res, quæ ipso vsu consumitur, reddenda non eadem numero, sed specie.

Pro definitionis intelligentia, notandum

Quædam res vsu cõsumuntur, aliæ non.

res in duplici esse genere. Quædam ipso vsu consumuntur, ita vt quandõ rebus vtimur, consumuntur, & pereunt: vt sunt vinum, oleum, frumentum, pecunia & de similibus simile est iudicium. Aliæ non consumuntur vsu, sed permanent: vt equus, asinus, domus, gladius, ager, pratum, &c.

Mutuum versatur in rebus, quæ vsu consumũtur.

Contractus mutui versatur in rebus, quæ vsu consumuntur, & in hoc differt à commodato.

Pecunia duplicem potest habere vsum.

Dicet aliquis. Malè pecunia numerata est, inter res, quæ ipso vsu consumuntur, quia nõ consumitur, nec perit, sed permanet. Respondetur. Quamuis pecunia in se non pereat, perit tamen exponenti, qui quando alteri eam mutuat, transfert dominium in alterum. Hic etiam obseruandum, pecuniam duplicem posse habere vsum. Vnum ad mutuum, aliosq; contractus, in quibus dominium transfertur. Alium per modum cõtractus locati, aut commodati, quando videlicet pecunia alteri traditur non in expensas, sed ad pompam, aut ostentationem alicui diuiti, aut potenti, vt cõseruet, & non expendat, & in tali casu vsus distinguitur à pecunia.

Primarius autem & Principalis pecuniæ vsus cõsistit in eo, quod per vsum ab vtẽte discedat, & in alium transferatur, vt rectè Aristoteles 4. Ethic. cap. 1. attestatur, dum ait, Vsus pecuniæ, est eius consumptio & datio, retentio

tio verò, & acceptio eius, est possessio. Id quod doctissimè more suo tradit Couarr. lib. d. cap. 1. num. 5.

Materia veri mutui sunt res triplicis generis. Quædam consistunt in numero; vt pecunia. Quædam in pondere: vt argentum & aurum. Aliæ in mensura; vt triticum, vinum, oleum. &c.

Materia mutui quæ sit.

Mutuum est duplex. Verum, & Palliatum. Verum, quando verè res gratis, vt ex sua natura huic contractui conuenit, mutuatur, nec aliud intenditur.

Palliatum, quod secundum suam formam apertam, & verba contrahentium est alius cõtractus, quam mutui: Secundum verò formã latentem, & mentem contrahentium veram vel præsumptam, est mutuum, vt definit Nauarr. in Manuali, cap. 17. nu. 206. exempli gratia, mutuum palliatum est in emptione quæ fit minoris iusto pretio ob anticipatam solutionem, & in venditione ad terminum, quando ob solutionem dilatam res carius iusto pretio venditur. Mutuum palliatum sicut etiã vsura palliata, versatur in materia omnium contractuum, vt clarius ex sequentibus patebit, & Nauarr. exemplis ostendit latè in commentario de vsuris num. 4. & 26.

Mutuum Palliatum versatur in materia omnium contractuum.

De Vsura.

VSVRA dupliciter accipitur. Vno modo

pro actu siue peccato vsuræ, quo quis vult & appetit vsurarium lucrum. Alio modo pro ipso lucro, seu pretio, quod in mutuo accedit sorti ex pacto, & intentione.

Quid sit peccatum vsuræ.

Vsuræ peccatum, de quo agimus sic definiri potest.

Est voluntas capiendi vltra sortem lucrum aliquod, vi, & causa mutui principaliter. Hanc definitionem Nauarr. Couarr. loc. cit. num. 1. & Sotus art. 2. explicant: & quoniam ea benè intellecta multi casus resolui possunt, latius explicabitur.

In definitione dicitur (*voluntas*) ad includendum etiam actum voluntatis, interiorem, & vsuram mentalem, cum quis mutuo dat alicui, vt consequatur aliquid vltra sortem; aliàs non mutuaturus, sine tamen expresso pacto, (*vltra sortem*) per sortem intelligitur summa capitalis, quam quis mutuo dat, exempli gratia, aliquis 100. dat mutuo, vt 5. annuatim percipiat, sortem siue summam capitalem 100. efficiunt (*lucrum aliquod*) per lucrum accipiendum, omne lucrum temporale: vt pecunia: vel quicquid pecunia æstimari potest: Qua ratione si quis ob mutuum amicitiam, beneuolentiam, aut aliquid, quod pecunia æstimari nequit, consequatur vsura non est. (*Vi aut causa mutui*) quia si titulo lucri cessantis, aut damni emergentis in casibus, quibus iustè id fit, de quibus infra, aut

aut alio modo legitimo, aliquid accipiatur, vsura non est. (*principaliter*) cum ad vsuram requiratur vt principalis intentio sit ad lucrũ ex mutuo, vt latè ostendit Nauarr. in commentario de vsuris notabili 10. ad 11. Quod breuiter repetit in Manuali capit. 17. numer. 209.

Vsura est duplex. Mentalis, & Realis. Mentalis iterum duplex: purè mentalis, & non purè mentalis. Purè mentalis nõ est aliud, quàm ipsa voluntas accipiendi aliquid sub vsura nullo subsequente opere.

Non purè mentalis est voluntas quærendi lucrum ex ipso mutuo, intentione quærendi illud sine pacto tacito, & expresso, & in hoc sensu intelligenda quæstio, qua Doctores quærunt. An vsura mentalis obliget ad restitutionem, vt præ reliquis Nauarr. in d. commentatio num. 13. annotauit, & quando in tali mentali vsura ratione mutui aliquid acquiritur, est obnoxium restitutioni, vt patet ex cap. Consuluit de vsuris. Realis quando opus exterius completur accedente pacto tacito, vel expresso.

Vsura ex suo genere est peccatum morale, contra ius diuinum, naturale, & positiuum: prohibetur enim omnium sententia præcepto, de non furando, & Psalm. 14. Domine quis habitabit, &c. qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, ergo à contrario

Vsura est peccatum mortale contra omne ius.

sensu non habitabit in tabernaculo suo; qui pecuniam dedit ad vsuram: & in iure can. in titul. de vsuris. Hanc veritatem reliquis copiosius & doctius probat Conrard. de Contractibus quæst. 22. & 23. quem sequuntur Couarr. loc. cit. num. 5. Ioan. Medina q. 2. Nauarr. in d. comment. notab. 5. Sotus loc. citat. quæst. 1. articul. 1. Iulius Clarus libr. 5. sententiarum Iuris §. vsum, qui repetit dicta à Couarr. & hæc est communissima Doctorum sententia. Ex hoc fundamento euidenter elicitur ne minimas aut etiam moderatas vsuras esse licitas, contra Carolum Molinæum in tractat. de cõmercijs numer. 7. 11. & 515. ex autoritate Philippi Melanthonis, & per l. eos. Cod. de vsur. Qui error contra Catholicam fidẽ est, & communem Doctorum sententiam, quamuis cũ superiori anno quidã Imperiti, à fide Catholica alieni, in quibusdam Germanicis scriptis renouauerint; nec aliud est affirmare, quam minima & moderata furta esse licita: Quod nemo sanæ mentis vnquam tradidit. Cum enim vsura ex sua natura sit mala, contra legẽ naturalem & diuinam, neque dispensatione Pontificis, neque auctoritate Imperatoris potest iustificari.

Ex eodem quoque fundamento eruitur, non esse licitum alium inducere, vt sibi, vel alteri det vsuram? quia hoc esset inducere ad peccatum ex sua natura malum. Petere autem pecu-

pecunias mutuo ab eo, qui paratus est dare ad vsuram, & si gratis nolit mutuare, accipere ad vsuram, si necessitas vrgeat, non est illicitum, quia tunc vtitur tantum alterius malo ad bonum finem, quod crimen nõ est, quando alias paratus est facere, vt tradunt S. Thom. 2. 2. qu. 78. artic. 4. Caietan. ibidem. Sotus loc. cit. artic. 5. Canonistæ in cap. Super eo. de vsura.

De pœnis vsurarij legendi Angelus verb. vsura 2. & Sylvestr verb. vsura 9. Præcipuè autem sunt hæ, Non admittitur ad confessionẽ, nisi prius pro facultatibus suis satisfaciat, vel cautionem det de satisfaciendo, capit. Quanquam, de vsur. in 6. Nec etiam admittendus est ad communionem, aut oblationem, aut Ecclesiasticam sepulturam. *Quæ pœna vsurarij.*

Nec valet testamentum Vsurarij, nisi pro facultatibus satisfactum sit illis, quibus faciendæ restitutio, vel idoneè cautum sit de restitutione; hæc & aliæ pœnæ conueniunt manifesto vsurario, qui palam & publicè fœneraticiam artem exercet; vel coram Sacerdote & testibus fatetur se vsurarium, & mandat restituere: vel in iudicio confessus est. Vide Couarr. lib. cit. cap. 3. & Nauarr. in Manuali. cap. 17. num. 28. De pœnis vsurariorum latissimè tractamus in cap. Cum in diœcesi, de vsur. per 6. qq.

Tandem cum vsura sit peccatum contra iustitiam, omnia acquisita & extorta per vsu-

ram sunt restituenda, secundum communem sententiam, & rei veritatem: & hæc obligatio transit etiam ad heredes vsurarij, aliosque participantes ex bonis vsura partis cap. Tua de vsuris. & cap. In literis. de raptoribus, & cap. fin. de sepult. Quæ spectant ad restitutionis materiam circa vsuram ad longum prosequimur in cap. Cum tu. eod. tit. per octo questiones.

CAPVT XXII.

DE PARTICVLARIBVS QVIbusdam casibus, in quibus vsura committitur.

PRIMVS. Si quis mutuo accipiat aliquas pecunias, & dat fructiferum pignus, donec pecunias reddat: mutuo dans tenetur fructus perceptos in sortē computare: aliàs committit vsuram, cap. Conquestus. de vsur. & cap. Illo vos. de pignoribus, & Cod. de pignoratitia action. l. 1. & 2. Ex hoc cap. contingit, quod quando fructus pignoris accedunt ad summam mutuatam, & ipsam coæquant, pignus restituendum sit, nec mutuum possit repeti sine peccato, cap. Cum contra de vsur. Si quæ tamen expensæ factæ sint in conseruatione pignoris deducendæ sunt.

Excipiuntur ab hac regula duo casus, in quo-

quibus creditor non tenetur fructus pignoris computare in sortem.

Duo casus in quibus creditor nõ tenetur fructus pignoris computare in sortem.

Primus, Quando vasallus, vel feudatarius oppignorat feudum Domino feudi, capit. Conquestus, & DD. ibidem: quia in tali casu dominus percipit fructus non ex alieno, sed proprio, cum directum dominium habeat pignoris, tunc enim quasi consolidatur vsufructus cum proprietate.

Secundus Casus, Ex cap. Salubriter. de vsur. Gener potest recipere fructus pignoris dati, donec dos soluatur à socero, nec tenetur fructus computare in sortem. Cuius rei varias discutit doctè rationes Couarr. in cap. 1. à numer. 3. lib. 3. variarum resolut. & latè nos in d. cap. Salubriter. q. vnica.

Secundus casus principalis. Si quis mutuet alicui, vt ad suum molendinum veniat, & molat, vel ad suam officinam, & emat, vel in suo prædio laboret etiam pro mercede, &c. vsuram committit. Panorm. & alij in cap. vlt. de vsur. Nauarr. in Manuali, cap. 17. num. 220. Sotus in d. art. 2. Couarr. cap. 2. num. 5. & hæc est communis opinio, vt testatur Sylvest. verb. vsur. 1. q. 7. Talis tamen ad nullam tenetur restitutionem, nisi vt renunciet obligationi, si aliud dãnum non sequatur.

Tertius, Si quis mutuet, vt alius sibi remutuet alio tempore, si obligatio ciuilis intercedat Gloss. 14. q. 3. cap. Si fœneraueris. Panor. in cap.

in cap. Consuluit de vsur. S. Thom. 2.2.q.78. art.2.ad 3. Angelus in verb. vsura. 1. §. 1. & alij alibi. Si quis tamen mutuaret, vt alius etiam in simili casu esset gratus, sine pacto & obligatione, non esset vsura.

Quartus, Si quis mutuo det Principi, vel ciuitati, aut reipubl. vt eximatur à vectigalibus & oneribus consuetis, vsura est: quia talis exemptio æstimari potest pecunia, omnium iudicio.

Quintus, Si quis mutuo det frumentum, vt tempore solutionis plus accipiat, exempli gratia, dat 10. mensuras Paschæ, vt Martini restituantur 12.

Sextus, Mutuans pecuniam cum pacto, vt accipiat munus à lingua, vel ab obsequio cõmittit vsuram, S. Thom. 2.2.q.78. art. 2. ad 3. & alij alibi: quia perinde est, ac si expeteret munus à manu, quod pecunia æstimabile est. Ad munus à lingua spectat docere, in iudicio patrocinari, causas defendere, &c. ab obsequio, spectat ad corporalem seruitutem & laborem.

Septimus, Mutuans alicui pecunias argenteas, vt sibi in auro restituat vsuram committit: quia talis obligatio cum sit onerosa, pecunia æstimatur, sic Hostien. in summa de vsuris Nauarr. & alij alibi docent.

Octauus, Tutores & Curatores, qui dant mutuo pecunias pupillorum ad vsuras, quamuis id lege ciuili videatur permissum, commitunt

unt vsuram; quia cũ vsura intrinsecè sit mala, ne pietatis quidem causa etiam licita est cap. Super eo, de vsura. Debent autem Tutores pecunias pupillorum exponere, vel in emptionem prædiorum, vel in societatem iustam, aliamque honestam negociationem, vt pupilli aliquid lucri acquirant. In summa, vt multos casus omittamus, quoties debitor ratione mutui vltra sortem ad aliquid obligatur in quacunque re, quæ pecunia æstimati potest, vsura committitur.

Dubium primum. *Quid censendum de pacto legis commissoriæ?*

PRo intelligentia, pactum legis commissoriæ est, quando mututuans accipit pignus, ita vt si creditor non soluat tempore statuto, pignus sit venditum, vel cadat in commissum. Tale pactum à iure introductum est in pœnam eius, qui negligit præfinito tempore soluere. *Quid sit pactum legis commissoriæ.*

Ad iustitiam huius pacti hæ requiruntur conditiones. *Prima*, vt non sit fraus vsurarum: Vnde si quis tale pactum faciat cum eo, quem probabiliter credit non fore tempore definito soluendo, mortaliter peccat, iuxta Nauarr. in Manuali. capit. 17. num. 215. ex Scoto & alijs in 4. d. 15. *Secunda*, vt pactum habeat, vt definito solutionis tempore res cadat creditori, vt empta iusto pretio. *Tertia*, vt si pignus fructife- *Quæ requiruntur ad iustitiam, talis pacti.*

ctiferum sit, omnes fructus pignoris computentur in sortem, vsque ad tempus præfinitum. De hoc pacto vide Panorm. in cap. Significasti de pignorib. Couarr. loc. cit. cap. 2. num. 7. & Nauarr. loc. d.

Dubium secundum. *An mutuans ratione damni emergentis? aut lucri cessantis, quod communiter nunc interesse vocant, aliquid possit accipere?*

HANC quæstionem ad longum tractant Conrard. de contractibus. qu. 30. Soto loc. cit. q. 1. art. 3. Medina in C. d. q. 3. Nauarr. num. 211. Couarr. lib. d. cap. 4.

Quid damnum emergens sit.

Damnum emergens est, quando aliquis priuatur aliqua re, quam habet æstimabili pecunia ex eo, quod alteri pecunias mutuo dedit, exempli gratia, habeo pecunias ad emendum triticum pro mea necessitate tempore autumni, sed quia is, cui meas pecunias mutuo dedi, non reddit ante paschæ, quando triticum duplo carius venditur, emergit mihi damnum.

Quid lucrũ cessans.

Lucrum cessans est, quando quis lucraturus est cum illis pecunijs, quas mutuo dedit, & ideo cessat sibi lucrum.

Ratione damni emergentis, in mutuo licet aliquid exigere, quando in rei veritate aliquis est in mora ratione dilatæ solutionis, quod damnum emergat, vt communiter DD. docent.

gent & Canonistæ cum Glossa in cap. Conquestus. eod. tit.

Ratione etiam lucri cessantis, licitum est etiam exigere aliquid vltra sortem, quando pecunia statim erat negociationi exponenda, & mutuans non habet aliam pecuniam, quam mutuare possit. Quia non solum damnum aliquis patitur, quando amittit, quod habet, sed etiam cum impeditur à lucro, quod habiturus erat. Ad iustificandum lucrum cessans aliquæ limitationes & conditiones requiruntur. *Prima*, vt pecunia in rei veritate statim negociationi sit exponenda. *Secunda*, vt aliam non habeat, quam mutuare possit. *Tertia*, vt mutuans malit negociatione quam mutuatione aliquid lucrari. *Quarta*, vt rogatus id faciat in accipientis gratiam: nam si se insinuaret ad faciendum, præsumptio est in fraudem vsurarum fieri. *Quinta*, vt deducantur expensæ. *Sexta*, vt minus aliquid, & non totum quod verisimiliter lucraturus erat, exigat: quia lucrum cessans non est actu, sed potentia: vnde varijs euentibus impediri potest: Ad arbitrium ergo boni viri recompensandum est. Conrard. q.d.7.vel.8. conditiones lucri cessantis ponit, quas Medina, Sotus & Nauarr. latè examinant. Ex conditionibus & varietate sententiarũ circa has conditiones colligitur, quod periculosissimum est exercitium lucri cessantis, nisi sint homines valdè bonæ & timo-

Conditiones requisitæ ad iustitiam lucri cessantis.

timoratæ conſcientiæ, quæ nigro cygno rarior eſt in negociatoribus.

Dubium tertium. *An in mutuo liceat vltra ſortem ratione pœnæ conuentionalis aliquid exigere, propter quia debitor eſt in mora ſolutionis præſcripto tempore?*

VERBI gratia, mutuo tibi 100. aureos conſtituendos ad diem Natalis Domini ſub pœna conuenta, ſi tum non ſolueris, capitali adiunges 10.

Vide Scotum in 4.d.15.q.2.artic.3. Syluest. in verb. vſura, 1.q.28. Angel.eod.verb. §.3. Ioſephum Angles in floribus in 4.2.part. in qde contractu mutui. 4.difficult.

Certum eſt, quod ad euitandam debitoris negligentiam licet pœnam conuentionalem quandoq; apponere, & exigere, quia reipubl. conuenit, vt pacta iuſta ſeruentur, & debitoris negligentia puniatur: Si autem mutuatarius propter impotentiam, ſine vlla culpa non ſoluat in termino, pœna exigi non poteſt. Si autem pœna impoſita ſit in fraudem vſurarum, vt quia mallet debitorem pœnam incurrere, quã ſoluere vel probabiliter præſumit, quod non ſoluet in termino, nõ eſt licitum pœnam exigere. Etiam hoc obſeruandum, quod quando mutuatarius non ſoluit totam pecuniam, ſed partem, pœna etiam pro rata diminuatur.

CA-

CAPVT XXIII.

DE EMPTIONE ET VENditione in genere.

EMPTIO, cui correſpondet venditio, eſt contractus, in quo res datur pro pecunia, vel contra, pecunia pro re. Iuſtitia huius contractus in eo conſiſtit, vt ſit æqualitas pretij ad rem.

Valor rei eſt duplex. Naturalis, & Vſualis ſiue forenſis.

Naturalis, qui conſiſtit in natura & gradu rei eſſentiali: & ſic animal eſt pretioſius auro & argento, &c. & de hoc valore non agimus in præſenti.

Vſualis ſiue forenſis eſt, qui ſumitur ex vtilitate & vſu hominum: & ſic res dicitur maioris valoris & pretij, quæ magis eſt vtilis hominum neceſſitati.

Pretium rei nihil aliud eſt quam valor, vel potius menſura valoris rei. Pretium vſuale rei in primis duplex eſſe poteſt. Legitimum, & arbitrarium. *Pretiũ rei quid ſit. Et quotuplex.*

Legitimum, quod lege, aut conſtitutione eſt præſcriptum & taxatum: vt ſi conſtitutio fiat ab habente poteſtatem. Modius frumenti non vendatur carius tribus regalibus, & hoc

pretium consistit in indiuisibili, & non licet transgredi.

Pretium arbitrariũ est triplex.

Arbitrarium, quod consistit in arbitrio vendentis, & cum hoc habeat latitudinem, diuiditur in triplex. In minimum siue pium, Medium siue moderatum, & maximum siue rigidum, exempli gratia, sit iustum pretium modij tritici aureus, plus vel minus quadrante, pretium pium erit vendere aureo dimidio & quadrante. Moderatum vendere aureo, rigidum aureo & quadrante.

Iustum hoc censendum est rei pretium, quo communiter res solet emi & vendi, cessante fraude & dolo, iuxta arbitrium peritorum & prudentum in eo venditionis genere. Quia vna & eadem res, plus & minus valere potest pro diuersitate generis venditionis; vt in officina res viliori pretio venditur, quam apud mercatorem, & quæ sub hasta venduntur, vel à militibus in iusto bello acquisita, vilius distrahuntur: quia alia est natura huius generis venditionis. De qua re vide doctè differentè Didacum Couarr. lib. 2. variarum resolut. cap. 3. & Sotum. libr. 6. q. 2. art. vltimo.

Negociatio relata in debitos fines, vtpote ad publicam vtilitatem, ac necessitatem, nec non honestam domus & familiæ sustentationem, licita necessariaque reipub. est, vt experientia rerum magistra demonstrat. Vnde quando

quando ſancti Patres videntur damnare negociationem, intelligendum de ea, quæ tantum lucri cauſa fit: talis enim turpis & ſordida eſt. Patrum teſtimonia habentur apud Gratianum diſt. 88.

Plurimum valet ad diſcernendum iuſtitiam emptionis & venditionis animaduertere in primis, an interueniat tacitum mutuum, vel interponatur expectatio emptoris ad certum tempus, & tunc videndum, an aliquid accipiatur ob moram. Quod ſi fiat magna eſt ſuſpicio palliatæ vſuræ. Attendendum etiam, an alius contractus cum emptione & venditione concurrat: & tunc ex natura vtriuſq; contractus, ſumendum iudicium de æquitate. Poſtremò in emptione & venditione perpendẽdum, vt ſit æqualitas pretij, & valoris rei, quæ ſi adſit, iuſtus eſt contractus: Aliàs ſecus.

Omnis iniuſtitia in emptione & venditione committitur; aut ratione pretij ſi excedat valorem rei: aut ratione temporis, ſi ſolutio aut anticipetur, vel differatur: aut ex parte rei: quæ venditur, ſi defectum patiatur. Quare in ſequenti capite hæ tres difficultates declarabuntur.

An liceat rem carius vendere, quam valeat?
An carius vendere ob dilatam ſolutionem, & vilius ob anticipatam, &c.

An venditio illicita reddatur ob defectum rei venditæ.

CAPVT XXIV.

DE IVSTITIA ET INIVSTITIA in emptione & venditione.

Prima difficultas. *An liceat rem carius vendere quam valeat, & quomodo?*

PRIMA *Conclusio.* Qui fraude, vel dolo rem maioris, quam valeat vendit, mortaliter peccat, si excessus sit notabilis, & tenetur ad restitutionem, S. Thom. 2.2.q.77.artic.1.ab omnibus receptus, & constat ex lege naturali. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Eadē est ratio de emptore, si fraude & dolorem minoris iusto pretio emat.

Secunda Conclusio. Qui per ignorantiam probabilem, aut inuincibilem iniustè emit, aut vendit, non peccat durante tali ignorantia, certior tamen factus de iniustitia, tenetur ad recompensationem: aliàs non restituendo mortaliter peccat: Quia cum scientia vult retinere alienum, quod est contra iustitiam. S. Thom. in d. quæst. art. 2. S. Antoni. 2. part. tit. 1. cap. 16. §. 3. Scot. in 4. d. 15. q. 2. Sot. libr. 6. qu. 3. artic. 2. & hæc est communis opinio, vt Na-

uarr. tradit in cap. Nouit, de iudicijs, notabili 6. num. 66. & Couarr. lib. 2. cap. 4. num. 11.

Tertia Conclusio. Qui scienter etiam cessante fraude & dolo, cum deliberatione rem vendit pluris, aut minoris emit, quã valeat, si notabilis etiam sit excessus, mortaliter delinquit, & tenetur ad restitutionem excessus, cum sit peccatum contra iustitiã, est communis Doctorum sententia. Dictum (cum deliberatione) cum Nauarro in Manuali, cap. 23. numer. 87. ad excusandos innumeros, qui sensualitate adid prouocante sine iusta deliberatione concipiunt desideria id faciendi.

Quarta Conclusio. Per accidens potest esse, quod quandoque res maioris quam valeat vendatur, quando scilicet vendens ex venditione patitur detrimentum, & est multum necessaria ementi. Potest etiam quis minoris è contra emere, quia res sibi parum vtilis.

Non tamen est licitum carius vẽdere: quia res est valdè vtilis ementi, neque vilius emere; quia parum vtilitatis adfert vendenti; quia neque vtilitas aliena potest vendi, neque aliena incommoditas comparari, vt benè S. Thom. in q. d. artic. 1. tradit. quem Sotus q. d. artic. 1. conclus. 4. latius explicat.

Quinta Conclusio. Quando merces non sunt necessariæ ad publicum vsum, siue ad vitam transigendam: vt sunt merces victui, & amictui siue vestitui necessariæ, tunc tantum va-

lent, quantum vendi possunt, verbi gratia, si accipitres, gemmæ, &c. nobili vendantur, quantum ipse dederit, vendi possunt. Hanc conclusionem tradunt Sotus lib. 6. quæst. 2. artic. 3. in fin. & Iosephus Angles in floribus Theolog. qq. in 4. 2. part. in quæst. de contractu emptionis & vendit. difficult. 2. dub. 8. Ratio assignatur, quia certitudo pretij inuenta est propter publicam vtilitatem, & cum res, quæ non sunt vsui publico necessariæ, certo pretio careant, valebunt; quantum vendi poterunt.

Sexta conclusio. Quamuis lege ciuili non puniatur, decipiens infra medietatem iusti pretij in emptione & venditione, nec contractus rescindatur, l. 2. C. de rescind. vendit. In foro tamen conscientiæ, si sit notabilis excessus, etiam infra terminum dimidietatis, qui decipit mortaliter peccat, & tenetur ad restitutionem, S. Thom. quæst. d. artic. 1. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 16. Conrard. de contractibus quæst. 58. Medina in d. Cod. quæst. 32. & latissimè Nauarr. in capit. Nouit de iudicijs notab. 6. à. num. 47. & Couarr. lib. 2. variar. resolut. cap. 4. numer. 11. & alij multi quos hic auctor, & Nauarr. ad longum citant, quorum opinio communis est non solum apud Theologos, sed etiam Iurisperitos, probatur ratione. Decipiens etiam intra dimidium iusti pretij peccat contra

tra iustitiam commutatiuam, quia accipit alienum inuito domino, nec seruat æqualitatē inter pretium & rem venditam, quod omnium iudicio requiritur ad iustitiam in emptione & venditione, ergo peccat, & tenetur ad restitutionem. Item patet ex sacris literis Leuit. 25. Quando vendes quippiam ciui tuo, vel emes ab eo, non contristes fratrem tuum, 1. ad Thessalon. 4. Et ne quis supergrediatur, neq; circumueniat fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus.

Septima Conclusio. Quando pretium iustum à repub. vel à superiori habente potestatem, alicuius rei taxatum & statutum est, qui notabiliter pretio taxato carius vendit, mortaliter peccat, & tenetur ad restitutionem excessus. Ioan. Medina in C. de rebus restituendis. qu. 37. Alphons. Castrens. lib. 1. de lege pœnali, capit. 12. Nauarr. in Manuali capit. 23. num. 88. Iosephus Angles vbi supra. art. 1. difficult. 1. Quia peccat contra iustitiam, qui rem notabiliter carius iusto pretio vendit: Iustum autē censetur pretium, quod ad publicam vtilitatē, à Republ. aut Principe constituitur. Quod de pretio rerum taxato dictum idem extenditur ad valorem pecuniæ constitutum.

Dubium circa hanc Conclusionem. An sicut laici in tali casu peccant, & tenentur ad restitutionem; sic etiam clerici excedentes obligentur: & videtur quod non: quia sunt

exempti à iurisdictione laicorum, & non subduntur legibus eorum, capit. Decernimus, de iudicijs, & capit. Si diligenti, de foro compet. Respondeo secundum Nauarr. & Medinam. Quod quamuis clerici nõ subdantur legibus, aut Iurisdictioni laicorum, nec teneantur ad pœnas insertas huiusmodi statutis, legibus, & edictis, etiamsi violauerint, subiecti tamẽ sunt legi naturali & diuinæ, quæ præcipit, ne quis sua vltra iustum pretium vendat. Iustum autẽ pretium est, quod ab habente potestatem, determinatum est. Quare etiam clerici ratione legis naturalis & diuinæ, & non vigore edicti secularis, tenentur stare iusto rerum pretio.

Secunda difficultas. *An liceat carius vendere ob dilatam, vel vilius ob anticipatam solutionem emere?*

PRIMA *Conclusio.* Simpliciter loquendo, vendens rem carius notabiliter iusto pretio rigido siue maximo ob dilatam solutionẽ, vsuram committit, & tenetur ad restitutionem excessus, S. Thom. 2.2. quæst. 78. artic. 2. ad vltimum, Scot. in 4. d. 15. quæst. 2. artic. 2. Conrard. quæst. 59. Sotus lib. d. quæst. 4. art. 1. Couarr. lib. 2. cap. 3. num. 6. Nauarr. in comment. de vsur. num. 26. & alibi. Canonistæ in cap. In ciuitate. & in ca. Nauiganti, eodem tit. Hinc optimè Panorm. in cap. Ad nostram de empt. & vend. docet huiusmodi esse vsurarios, &si

& si publicè hoc faciunt, eorum testamentum esse nullum, iuxta capit. Quanquam. de vsur. in 6. Ratio huius conclusionis: quia rem plurís vendere non licet, quam valet, neque plus valet, quam pretium est de præsenti currens, pretium autem rei existentiam eius comitatur, vt res tanti æstimetur quanti est, quando existit, & hominibus est vsui, & sub hoc contractu palliatur vsura. Perinde est rem 10. florenis valentem credito vendere 12. ac si decem statim numerati emptori mutuo darẽtur, sub vsura duorum. Dictum (*Simpliciter loquendo*) quia ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, licet rem ob dilatam solutionem carius vendere, vt DD. tradunt. In tali tamen casu sunt seruandæ conditiones damni emergentis, & lucri cessantis, de quibus supra. Eadem est ratio si quis vilius iusto pretio emat anticipata solutione.

Secunda Conclusio. Potest aliquis vendere merces pecunia credita ad tempus, pretio maximo, siue rigoroso, quas statim pecunia numerata, pretio mediocri, aut pio vendidisset, Caietan. 22. quæst. 77. artic. 1. in fine. Sotus lib. 6. quæst. 4. conclus. vnica & alibi. Iosephus Angles. loc. cit. artic. 2. 1. difficult. conclus. 2. Philippus Decius consilio 111. incipiente, Diuino implorato auxilio. Couarr. libr. 2. cap. 3. num. 2. & ratio est, quia cum pretium rigidum siue maximum non excedat latitudinem iusti pre-

tij, nulla committitur iniuſtitia, & dilatio ſolutionis ob pericula, & alia poteſt vendentem mouere, vt pretium augeat in latitudine iuſta.

Tertia Concluſio. Si ſit dubium, an res tempore ſolutionis ſit plus, vel minus valitura, nec venditor erat ante tempus ſolutionis venditurus, poteſt carius iuſto pretio ob dilationem ſolutionis vendere: & nota quod ambæ conditiones debent ſimul concurrere, contra Caietanum 2. 2. quæſt. 78. artic. 2. ad 7. qui vult priorem abſq; poſteriori ſufficere. Concluſio conſtat ex capit. Nauiganti. & cap. in ciuitate per vſur. Hoſtienſ. in ſumma eodem titul. §. an aliquando, verſ. Quid ergo. Couarr. loc. cit. Sot. quæſt. 4. artic. 2. Ioan. Maior in 4. d. 15. quæſt. 32. Sylueſt. verb. vſura 2. §. 1. Quia propter dubium euentum, emptor & venditor commodum & incommodum ſperare poſſunt, cum decurſu temporis pretium rerum ſoleat augeri vel minui. Vſuram autem committit vendens rem carius iuſto pretio credita pecunia, quam non erat ſeruaturus ad tempus ſolutionis, nec res etiam erat plus valitura, ex capit. Nauiganti. & cap. In ciuitate. & DD. hæc communis eſt ſententia. Ratio redditur ex Panormitan. in capit. In ciuitate. Quia verus valor rei attenditur ſecundum tempus emptionis & venditionis, ex cap. Cum dilecti, de empt. & vendit. & excipitur ſolum

caſus,

casus, quando concurrunt duæ conditiones positæ, & res præsens & futura differunt tantum tempore, quando nihil mutatur in substantia: tempus autem non est vendibile.

Quarta Conclusio. Qui vendit frumentum: aut simile quid indeterminato pretio, & ob dilatam solutionem in aliud tempus, vendit maximo pretio, quo valebit toto tempore vsque ad terminum solutionis, iniquissimè agit, vsuram committit, & ad restitutionem excessus tenetur, cum proximo damnum contra iustitiam inferat: Hostiens. in d. §. an aliquando. Laurentius à Rodulphis in capit. Consuluit de vsur. quæst. 29. & seq. Couarr. loc. cit. Sylvest. in verb. vsura. quæst. 5. Scot. in 4. d. 15. quæst. 2. artic. 2. Iosephus Angles part. d. in quæst. de contractu mutui difficult. 2. dub. 1. Aurea Armilla in verb. vsura. num. 12. & alij alibi.

Quinta Conclusio. Si quis non est seruaturus merces suas in tempus solutionis, & vendit pecunia credita ad terminum pretio indeterminato, tempore solutionis currenti, quo tempore dubium est, sintnè plus vel minus valituræ, quam tempore contractus, non peccat. Quia cum res dubia sit potest commodum esse vendentis vel ementis, vt Doctores sentiunt. Si autē tempore venditionis moralis est præsumptio, quod in termino solutionis, pluris valebunt, illicitus erit cōtractus

ex

ex parte vendentis, qui in tuto constituitur cum alterius damno.

Sexta Conclusio. Qui emit frumentum, aut vinum, vel aliud simile dandum tempore collectionis nunc minori pretio infimo iusto ob anticipatam solutionem, quam collecta valebunt, mortaliter delinquit, & tenetur ad restitutionem, Panormitan. in cap. Nauigantium, numer. 6. cum textu. Nauarr. in Mannali, cap. 17. numer. 227. Secus tamen si æquo pretio licet minori, si alicui periculo subijciuntur.

Ex prædictis conclusionibus infero aliqua circa hanc materiam.

Primum. In hoc venditionis genere, quando aliquid venditur carius iusto pretio pecunia credita, vel emitur vilius ratione anticipatæ solutionis, committitur vsura: quia mutuum tegitur pallio venditionis, vt DD. tradunt.

Secundum. Cum hic contractus vsque ad iusti pretij quantitatem verè sit dicendus venditionis, ratione vero excessus mutuum præsumendum, redigenda res est ad æqualitatem sublato excessu extra metas iusti pretij, vt doctè Couarr. aliorum auctoritate docet, quia in foro conscientiæ omnis inæqualitas in emptione & vendit. reducenda est ad æqualitatem, vt saluetur iustitia.

Tertium illatum. Quoniam prædicti contractus sunt periculosi, vt rei veritas est, & Syl. verb. vsur. 2. q. 2. vers. Quartum tradit Pontifex

lex in cap. In ciuitate, consuluit esse abstinendum.

Rarò enim mercatores & venditores sunt tam puræ conscientiæ, vt fraudes & turpe lucrum non misceant. Radix omnium malorum cupiditas, multis oculos intelligentiæ & conscientiæ eruit, vt videant tantum ea, quæ sunt mundi.

Quartum. In perpetuo damnationis statu sunt, qui vt plurimum ob dilatam solutionem pauperibus frumenta carius iusto pretio Paschæ, Pentecostes, aut Ioannis vendunt, exempli gratia, ad terminum solutionis Martini, aut Natiuitatis Christi, dico quod hi in malo sunt gradu, siue diuites siue potentes sint, nisi resipiscant, & iniustè acquisita, & à pauperibus extorta restituant. Hinc videris aliquos, qui quando tempore defectus annonæ maldrum frumenti pretio iusto, rigoroso pecunia numerata venditur 10. thaleris, aut 12. ipsi ex pecunia credita ad terminum vendunt 12. aut 14. aut quod execrabilius, carius: Quod malũ hisce temporibus latius regnat, crudelius sæuit in pauperes, occultius eorum sanguinem sugit, & in extremam miseriam miseros adigit, & efficacius animas plurium diuitum æternis cruciatibus, vt verbis Nauarr. in capit. Nouit. de iudic. notab. 6. num. 102. vtar, obligat. Tales enim, vt hoc addam, cum hoc eorum exercitium omnibus notũ sit, manifesti sunt vsu-

rarij

rarij iuxta ea, quæ Panorm. in ca. Ad nostram, de empt. & vendition. & in capit. In ciuitate, de vsur. Anton. Burg. in cap. Ad nostram. nu. 7. de empt. & vend. Ias. in l. Eius qui in prouincia. num. 1. ff. de reb. creditis, si certum petatur, Decius in cons. 111. Angel. in verb. vsura 2. §. 10. Sylvest. in eod. verb. 9. q. 2. & alij quos ad longum allegamus in c. Cum in diocesi, de vsuris. q. 1. conclus. 2. annotant, & nisi animi mutauerint, curauerintque illud iniustum lucrum, quod multos diuites & potentes efficit, ante finem vitæ restitui quod rarissimè contingit, cum obdurata ac obscurata eorum cõscientia sit, licet ob potentiam & diuitias, quas homines huius seculi mandatis Dei, canonum obseruationi, & præceptis Ecclesiæ præponũt in hoc mundo, cum Christi fidelibus sepulturam communem sortiantur, post finem vitæ tamen sepelientur cum diuite epulone in inferno, & Deo mammonæ, cui fidelem seruitutem præstiterunt, coniungentur: Quia secundum immobilem Dei iustitiam, potentes potenter tormenta patientur, si sua potentia in oppressione pauperum abutantur. Atque hoc Deo hominibusque bonis exosum vsurariumque exercitium multis detestandum ostendimus in cap. In ciuitate. q. 3. de vsur.

Quintum. Pessimè etiam illi faciunt, qui vendunt expectata solutione ad terminum nullo

nullo determinato pretio: aduentante autem termino, consilium contra Christum ineunt, pretiumq; intolerabile determinant, & varijs modis extorquent. In qua arte sancti prædicantur, qui tantum vnum thalerum ratione expectatæ solutionis de maldro frumenti percipiunt, licet maiores Iudæis apud Deum sint fœneratores.

Tertia difficultas. *An & quomodo venditio illicita reddatur propter defectum rei venditæ?*

PRIMA *Conclusio.* Qui decipit aliquem in venditione ratione substantiæ rei & speciei, mortaliter peccat, & tenetur ad restitutionem, exempli gratia, si quis rustico vendat vas stanneum bene politum pro argenteo: vel vinum mixtum aqua pro bono & puro vino pro pretio puri vini. Isaiæ 1. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aqua. Committitur in tali casu manifesta iniustitia; quomiam valor rei non est æqualis pretio: Si autem pretium diminuatur pro valore rei, non esset iniustitia. Maxima autem est iniustitia vendere aquam pro vino. S. Tho. 22. quæst. 77. artic. 2. Sotus libr. 6. quæst. 3. artic. 2. qui legendi pro sequentibus conclusionibus, & Ioan. Medina in Cod. de rebus restituendis. quæst. 34.

Secunda Conclusio. Qui fraudem facit in quan-

quantitate, id est, pondere & mensura, mortaliter delinquit, & tenetur ad restitutionem. Deuteron. 25. Non habebis in sacculo diuersa pondera maius & minus. Neque erit in domo tua modius maior & minor, &c. abominatur enim dominus eum, qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam.

Tertia Conclusio. Qui alium decipit in qualitate rei, vtpote vendit equum morbidum pro sano, vel aliam rem vitiosam pro bona & integra mortaliter agit, & tenetur ad recompensationem damni: quia proximum decipit contra iustitiam.

Quarta. Qui ex ignorantia inuincibili & probabili prædictis modis aliquid vendit, non peccat, tenetur tamen ad restitutionem, cum ad eius notitiam venerit.

Quinta. Quæ dicta sunt de vendente, intelligenda etiam de emente. Si enim venditor esset simplex, & non cognosceret rei pretium, & emptor emeret rem pretiosissimam vilissimo pretio, peccaret cum obligatione pretij restitutionis: vel à rustico vendenti equum sanum & bonum pro morbido, quia defectum aliquem reputaret non existentem.

Sexta. Quando vitium rei occultum est, per quod emptori, vel damnum datur, vel periculum creatur, illicitum est celare, & vendens tenetur ad resarciendum damnum, si quod sequitur. Si autem vitium occultum, & emptori

tori non sequitur damnum, nec periculum instat, modo emptori res sit vtilis pro pretij ratione & quantitate, vendens non tenetur vitium manifestare.

Septima. Quando vitium est manifestum emptori, venditor non tenetur significare: quia nulla est necessitas diuulgandi.

Ex his possunt aliqui casus resolui.

Primus. Quid dicendum, si quis vinum vnius generis pro alio vendat, exempli gratia, Mosellanum pro Rhenen.

Resp. Si æquum sit pretium, & alius si sciret non emeret, peccat quidem, sed ad nullam restitutionem tenetur; cum non committatur iniustitia.

Secundus. Adueniunt multi milites, hospes non potest omnibus satisfacere propter multitudinem, diminuit mensuram. An liceat illis dare minorem mensuram.

Resp. Si sit necessitas, & non possit alias omnibus subuenire, non committitur peccatum, nec restitutionis obligatio: Si pro diminutione mensuræ, etiam pretium diminuatur: Si autem mensura diminuatur, & non pretium, manifesta est iniustitia. Idem est iudicium de pistoribus, qui panes militibus vendunt.

Tertius. Hospites ad quid teneantur, quando aduentantibus, vinum aqua mixtum proponunt.

Resp. Si æquitas pretij seruetur, peccatum

committitur, si peregrini scirent, & non emerent: At si vinum aqua mixtum pro pretio puri vini vendatur, manifesta iniustitia est, nascitur restitutionis obligatio.

Dubium. *An emptor teneatur reuelare venditori iustum rei pretium, quando est ignaru.*

QVAMVIS Caietanus in verb. Emptio dicat, quod non teneatur, tutior tamen sententia est, quod sic: quia alium decipit, & non voluntariè sic vendit, Calderin. & Panormit. in cap. fin. de vsur.

An licitum sit vendere rem cum pacto de retrouendendo tempore statuto, vel quando placuerit venditori?

DE hac venditione legendi canonistæ in capit. Ad nostram de emption. Conarr. lib. 3. variar. resolut. cap. 8. Nauarrus in Manuali, cap. 17. num. 247. & in commentario de vsuris. nu. 78.

Dicendum primo. Talis contractus de retrouendendo, est multum suspectus de vsura, ex d. cap. Ad nostram. & DD. citatis.

Secundo. Contractus venditionis cum pacto de retrouendendo eandem rem tempore definito aut indefinito est licitus, l. si fundum. Cod. de pactis inter emptorem & venditorem compositis: quia ibi nulla interuenit iniustitia, cum tam venditor, quam emptor sine alte-

alterius detrimento lucrum consequatur. Ad iustitiam tamen huius pacti aliqua concurrere debent. *Primum*, vt in rei veritate intercedat emptio, & non simuletur ab emptore. *Secundum*, quoniam huiusmodi pactum est in fauorem venditoris, & onus emptoris, vt fiat diminutio pretij. Quare quando emens huiusmodi pactum intendit, multum est negotium suspectum de vsura, nisi magna charitate afficiatur erga venditorem. *Tertium*, hoc pactum nõ debet esse, vt redemptio fiat maiori pretio, quam emptio facta est: pretium autem taxandum ad arbitrium boni viri. Si autem huic contractui apponatur pactum, vt res pereat periculo vendentis, & non emptoris, tunc est vsura palliata: quia iure naturæ res empta perit emptori, cum sit iam sua.

De Monopolio.

DE hac materia vide Sotum libr. 6. q. 2. art. vlt. in fi. Iosephum Angles in q. de empt. & vendit. Caietanum 2. 2. q. 77. artic. 1. Nauar. cap. 23. num. 92.

Monopolium, est singularis negociatio in ciuitate, cum aliquis vel aliqui asseruant merces & conueniunt, quod nolint vendere nisi eo pretio, quod ipsis videtur. Ad monopolium etiam spectant, cum duo vel tres mercatores exeunt obuiam merces aut frumentum deferentibus, & emunt, vt carius

deinde vendant. Huc etiam referendum est, quando aliquis à principe impetrat priuilegium, ne certi generis merces ab alio quàm ipso in populi damnum notabile vendantur. Quãdo facientes Monopolium iniusto pretio vendunt, aut notabile damnum, vt plerumque fieri solet, inuehunt in rempubl. grauissimè peccant cum obligatione restitutionis. ex l. vnica. Co. de Monopolijs, & apponitur pœna exilij, & spoliationis omnium bonorum. Idem vt tradit Iosephus Angles dicendum de librarijs, quibus conceduntur priuilegia, ne quis prẹter ipsos talem librum excudat, aut vendat. Si ratione talis priuilegij carius iusto pretio vendant, & respublica damnum in singularibus personis patiatur, peccant & tenentur ad restitutionem. Nec solum huiusmodi facientes tenentur ad restitutionem, sed etiam domini concedentes priuilegium hoc, & reliqui qui sunt causa iniustæ acceptionis, vt rectè Caietan. docet.

Est etiam detestabilis quasi quædam monopolij species quando rustici in elocatione redituum, aut decimarum conueniunt, ne quis augeat nisi ad summum ab ipsis constitutam, etiam si plus reditus, vel decimæ valeant.

Licitum autem est aliquando Reipub. & principi ob bonum commune & publicam vtilitatem statuere aliquos, vt aliqua minutatim pro pretio tolerabili vendantur.

CA-

CAPVT XXV.

DE CONTRACTV Societatis.

CONTRACTVS Societatis est conuentio duorum, vel plurium conferentium pecuniam, industriam & laborem ad lucrandum in negociatione. De hoc contractu agunt S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 7. à §. 37. Conrard. de contract. quæst. 94. & seq. Angel. Sylu. & alij in verb. Societas, Sot de iustit. & Iure. li. 6. q. 6. artic. 1. Canonistæ in can. Nauiganti de vsur. & in c. per vestras, de donat. inter vir. & vxorem.

Tribus modis potissimum potest hic contractus fieri.

Tribus modis contractus societatis fieri potest.

Primo, vt duo vel plures simul per omnia conferant, vnus tantum, quantum alius in pecunia, industria, & labore.

Secundo, vt vnus ponat tantum pecuniam, alter industriam, & laborem.

Tertio, vt vnus ponat pecuniam, saluetque capitale, & alter in se suscipiat periculum pecuniæ, & suum impendat laborem, & in fine æqualiter diuidant lucrum.

Quæ requirantur ad iustam societatem.

Ad iustam Societatem tria requiruntur.

Primum, vt negociatio sit licita; ex cap. Per vestras, de donat. inter virum & vxorem.

Secundum, vt pecunia subiaceat periculo-

deponentis societatem, hoc est si pereat, pereat ipsi, ex Gloss. recepta. 14. q. 3. cap. Plerique.

Tertium, vt seruetur æqualitas proportionabiliter inter socios, habito respectu ad omnia, quæ concurrunt in societate, scilicet ad pecuniæ quantitatem, industriam, periculum, & laborem, & sic vt seruetur iustitia, debent commensurari pecuniæ pecunijs, operæ operæ, lucrum lucro, damnum damno, & hæc omnia ad arbitrum prudentis viri, & exercitati in arte.

Ex dictis infero in primis. Si quis det pecuniam socio hac conditione, vt lucrum ex negociatione æqualiter diuidatur, capitale verò indemne seruetur, nisi alij contractus accedant, de quibus postea, vsuram committit. Deinde iusta societas postulat, vt pecunia lucro & damno exponatur, ita vt tam lucra, quàm damna sint communia, alioquin non humana, sed Leonina societas censenda erit. Quando autem quædam leges dicere videtur, quod pacto fieri possit, vt inter socios fiat distributio inæqualis, intelligendæ sunt, quando vnus ex socijs maiorem partem sortis, vel industriæ, aut laboris contulerit, & non omnes æqualem vt communis sententia est teste Couarr. lib. 3. variar. resolut. cap. 2. Postremo si quis contrahat cum aliquo, qui non est negociaturus, cõtractus non est licitus, quia vsura palliatur, & lucrum ex mutuo sub specie societatis acquiritur.

Quia

Quis modus in contractu societatis saluandi capitale, & acquirendi lucrum?

SIMPLICITER loquendo non est licitum in societate saluare capitale, vt omnes fatẽtur, nisi alij contractus virtute, vel expressè concurrant, qui cum vno socio, eodem tempore, vnico actu æquiualenti, aut implicitè tres contractus continẽte fieri possunt, vt receptior opinio habet Nauarr. in Manuali cap. 17. num. 252. & in commentar. de vsuris. notab. 14. Couarr. lib. 3. variar. resolut. capit. 2. Sylvest. in verb. Societas 1. quæst. 2. Ioan. Maior in 4. d. 15. quæst. 84. & 43. Iosephus Angles loc. cit. in quæstione de contractu Societatis, 2. difficultat.

Sunt autem hi contractus, Primus Societatis, in quo vnus pecuniam, alter operam industriamque impendit, exempli gratia, Petrus tutor pupillorum habet ratione tutelæ 1000. aureos, dat negociatori Paulo in societatem.

Secundus assecurationis, quo assecurat capitale 1000. vt nihil ipsi pereat, exẽpli gratia, Petrus conuenit cum Paulo, vt 50. vel aliud iustum lucrum det ad assecurandum capitale.

Tertius ad releuandas multas computationes & rationes, quæ fierẽt, & necessariæ essent in anno, tam quo ad damnum, quam lucrum: Petrus conuenit cum Paulo, vt qui sortem assecurauit etiam assecuret certum lucrum pro incerto futuro ad arbitrium boni viri in arte

negociandi prudentis. Obseruandum quod etiam in his contractibus fraus & dolus abesse debent. De contractu Societatis legendi DD.cit.& Couarr.de contractib.à. q.94.Canonistæ in d.ca.Per vestras.Summistæ in verb. Societas.

De societate, quæ dicitur Socida.

Ad contractum Societatis refertur alia societas, quæ dicitur Socida, seu animalium, quæ fit cum rusticis.

De qua legendi Conrard.q.91.& seq.S.Antonin.2.part.tit.1.cap.4.§.39. Ambros.de Vignate in tract.de vsuris.Sylvest.& Angel.in verb. Societas.

Pro hoc contractu in primis notanda regula generalis. Omnis societas circa animalia, in qua ponuntur pacta, quibus alicui sociorum iudicio boni viri notabile damnum infertur, est illicita. Hanc ponunt S. Antonin. 2.part. tit.1.cap.7.§.39.Angel.in verb.Societas 2.Sylvest.ibidem. Nauarr.in Manuali confessar.c. 17.num.261.

In socida animalium plerunque seruanda consuetudo patriæ tam in elocatione, quam in diuisione. Quando autem dantur animalia siue vaccæ, siue oues, vel alia minuta animalia, si capita maneant penes dantem, eiusque periculo pereant, si accipiens non sit in culpa: fœtura autem & commoda sint communia, licitus est contractus. Semper in hac societate cauendum, vt periculum non sit penes accipi-

cipientem, ſed dantem, niſi contractus aſſecurationis accedat: Quia res quando perit, domino debet perire, niſi alius cauſam det damno. Vbi etiam eſt conſuetudo, quod oues, vel alia animalia dentur in ſocietatem cũ pacto vt recipiens habeat dimidietatem de ouibus illis, aut animalibus, & commoda ſint communia, modo etiam damna ſint communia, contractus eſt licitus modo alia iniuſta pacta non adijciantur. Conrard. de contract. q. 90. in caſu tertio. Similiter iudicandum, quando quis dat in ſocietatem alicui vitulos nutriendos æſtimatos in principio ſocietatis iuſto pretio, ita quod poſt tres, aut quatuor annos vendantur, & adhibita conditione, vt ante omnia ſuum capitale trahat, quod ſoluit, deinde lucrum ſit commune, modo capita ſubiaceant in caſu fortuito periculo dantis. De porcis & alijs animalibus conſuetis pro more patriæ ſic in ſocietatem dari eadem eſt ratio. Semper in diuiſione animalium finita ſocietate ſeruandus eſt cõmunis, & conſuetus mos in loco ſecundum DD. Quod tamen ita intelligendum, niſi malitia & peruerſitate auarorum inductus ſit aliquis abuſus contra iuſtitiam lædens alterã partem, & allegetur pro conſuetudine, cum tamen potius ſit corruptela.

Poteſt etiam alio modo fieri ſocietas cum artifice, exempli gratia, eſt aliquis habẽs pecunias, & cuperet honeſtum lucrum, eſt artifex,

qui ſcit artificium, ſed ob inopiam non potest impendere ſumptus, tunc primus dat artifici pecunias, vt ipſe laborem & induſtriam impendat, & ad extremum diuidunt lucrum, hic contractus eſt licitus quando pecunia, labor, & induſtria rectè commenſurantur, & iuſta lucri fit diuiſio ad arbitrium boni viri.

Cambiorum materia hîc tractari poſſet, quæ locũ habet in magnis emporijs, ſed quoniam hæc eſt difficilis, & experti mercatores plus de ea ſciunt circa practicam, quam plerique Doctores, vt optimè Aurea Armilla in verb. Campſor ait, remitto lectorem ad Doctores, qui de Cambijs tractarunt. Sunt autẽ hi. Nauarr. in commentario de vſuris, cuius ſummam repetit in Manuali Confeſſariorum. cap. 17. à num. 283. Sotus lib. 6 à q. 8. Ioan. Medina in Cod. de rebus per vſuram acquiſitis. q. 5. Caietan. in opuſculis Tom. 2. tract. 6. Frater Hieronym. à Luca in tract. de Cambijs Lugdunenſ. qui habetur in Thom. 10. Oceani iuris.

CAPVT XXVI.

DE MONTE PIETATIS.

MONS pietatis, vt in præſenti de eo loquimur, eſt cumulus pecuniæ vel frumenti, aut alterius rei mutuabilis publicè aſſerua-

ſeruatus, ad mutuandum pauperibus, & indigentibus ſuo tempore.

Quamuis Caietan. loc. cit. tract. 5. & Sotus lib. d. q. 1. art. 6. montis pietatis capita impugnent, tamen mons pietatis licitus, & vtilis eſt Reipub. Chriſtianæ, & eum defendunt. Nau. in commentario de vſuris, à num. 59. Ioan. Medina, in C. de rebus per vſuram acquiſitis. q. 10. & omnium latiſſimè F. Bernardinus de Buſti, in defenſorio montis pietatis, contra figmenta æmulæ falſitatis.

Forma inſtitutionis huius montis talis eſt. Quidam potens, aut diues pietate, & miſericordia motus, quia videt pauperes inopia premi, ad ſubueniendum eorum neceſſitati, & inopiæ, ne vſurarum voragine deglutiantur, relinquit alicui Reipubl. aut ciuitati ſummã, aut cumulum pecuniæ, vel frumenti ad mutuandum pauperibus ſingulis annis, pignoribus acceptis, vt exiguum aliquid ſingulis mẽſibus ſoluant, pro quantitate pecuniæ acceptæ, & pro tempore, quo eam non ſoluerint, pro victu & ſalario miniſtrorum, qui habent curam cuſtodiendi montem, & colligendi, aut quando neceſſitas exigit diſtrahendi pignora, aliaque faciendi, quæ ad montis conſeruationem neceſſaria ſunt. Quicquid ergo in hoc monte numeratur, fit in gratiam pauperum, vt mons non pereat, nec aliquid accipitur vi mutui, ſed ad ſupportanda onera montis.

Con-

Conditiones montis pietatis.

Conditiones huius montis sunt. *Prima*, vt non detur pecunia, vel frumentum nisi ad certum tempus, exempli gratia, ad medium annum, vel integrum. *Secunda*, vt sine pignore non detur. *Tertia*, vt si statuto tempore sors non soluatur, pignus sub hasta sine mora vendatur, ad reficiendum cumulũ montis. *Quarta* vt non mutuetur nisi infra certam quantitatem, vt 100. ducati plus vel minus: alias non pauperibus, sed diuitibus daretur, & sic mons cum vtilitate paucorum consisteret: cum tamen erigatur ad communem pauperum vtilitatem. *Postrema*, vt non accipiatur plus propter mutuum datum, quàm necessarium est ad faciendum expensas, pro conseruatione montis.

Hic mons seruatis debitis circumstantijs est approbatus in concil. Lateranens. sub Leone Decimo, cuius Bullam Medina vbi supra ponit.

Conueniunt tamen Doctores, multò perfectius, sanctiusue fore, si tales montes omnino gratis constituerentur, hoc est, si, illos erigentes aliquos reditus, vel pecunias assignarent, pro ministrorum impensis, tunc in nullo pauperes grauarentur, vt bulla significat.

Dubium. *An non sit licitum accipere tantum in hoc monte à pauperibus, vt cumulus augeatur, & annuè crescat?*

Re-

RESPONDETVR hoc illicitum esse, vt in in specie tradũt Medina & Iosephus Angles in floribus loc.cit.in q. de Cambijs 7. difficult. & apertè definitur in Bulla, his verbis, (absque montium huiusmodi lucro) & ratio euidens est: quia vel illud additum soluetur ratione ministrorum: vel ratione mutui: Non primum, quia sine illo, soluitur stipendium sufficiens pro ministris: Non secundum, quia tunc esset vsura, & sic cõstitueretur mons impietatis: Nec releuat bona intentio, quia tunc vsurarij, per similem bonam intentionem excusari possent, vt rectè Medina definit.

CAPVT XXVII.

DE CENSIBVS.

DE censuum materia legendi Conrard. de de contractib. à q. 72. Dominicus Sotus lib.6.q.5. Medina vbi supra q.11. Nauarr. in d. comment. à num.69. Didacus Couarr. libr. 3. variar. resolut. à cap.7. & Canonistæ in capit. In ciuit. de vsuris.

Census dicitur pensio rei, quæ soluitur de fructibus, seu prouentibus rei alienæ, vel dicitur ius ad hanc pensionem. Hinc alius est census materialis, ipsa scilicet pensio, quæ soluitur. Alius formalis, ius ipsum percipiendi pensionem. *Quid census sit.*

Cen-

Diuisio censuum.

Census multis modis diuiditur. Alius dicitur fructuarius, cum fructus soluuntur. Alius pecuniarius, quando pecunia soluitur. Ex parte rei super qua imponitur census, adhuc duplex est census.

Realis, qui fundatur in re fructifera, & personalis, qui in persona vna, vel pluribus, vel supra aliqua tota communitate imponitur.

Realis aut est ad tempus, aut perpetuus; & perpetuus, vel redimibilis, vel non redimibilis.

Census ad tempus, aut est determinatus ad certos annos, aut ad vitam vnius, vel duorum.

Iterum census aut dicitur reseruatiuus, cui quis data alteri sua re, aut possessione, reseruat sibi aliquam partem fructuum; vel pecuniæ soluendam singulis annis: aut consignatiuus, cum è contra, quis rem retinet apud se, & assignat alteri in ea aliquos fructus, vel aliquid pecuniæ.

Pro intelligentia notandum, quod in hoc contractu non est mutuum, sed emptio & venditio iuris percipiendi annuum reditum siue pensionem; quod ius pecunia æstimari potest, non enim pecunia emitur pecunia, sed ius percipiendi pecuniam. Hoc ius cum sit res incorporalis & immobilis, distinguitur à pecunia, & sic pecunia comparatur. Differt hic contractus à mutuo, quia in hoc principa-

lis

lis obligatio est ad annuum reditum, qui emitur, & non ad sortem: In mutuo verò præcipua obligatio est ad sortem: accessoria ad vsuram, & sic semper in mutuo potest repeti sors, in censu nequaquam.

Communissima doctorum sententia est, licitum esse emere census reales, vt constat ex DD. citatis & ex Extrauagantibus Martini Quinti & Calixti Tertij: quæ habentur inter Extrauag. communes, in tit. de empt. & venditione.

Ad census autem redimibiles, iuxta Extrauagantes prædictorum Pontificum requiruntur octo conditiones, quas colligit Illustrissimus ac Reuerendissimus Dominus Bartholomæus Carranza Archiepiscopus Toletanus in summa Conciliorum pagin. 366. in impressione Stelsij, & explicat Nauar. in comment. à notab. 22.

Prima, vt census constituatur super re certa & determinata, vt super agro, prædio, aut domo, &c. *Secunda*, quod illa sola res maneat subiecta censui, & non alia bona. *Tertia*, quod iustum pretium detur. *Quarta*, vt totum pretium simul soluatur. *Quinta*, quod venditor possit redimere totum, vel partem, quomodo, & quando sibi melius videtur. *Sexta*, quod venditor ad redimendum censum non obligetur. *Septima*, quod pereunte

unte re, ſuper qua cenſus fundatur, cenſus etiam pereat. *Octaua*, vt res cenſui ſubiecta redat tantum, quantum cẽſus valet. Pius Quintus fœlicis memoriæ in Bulla data Romæ Anno Domini 1568. 14. Calend Febr. plures alias conditiones his adijcit, hanc Bullam ponit Nauarr. in d. loc. poſt numerum 83. & eandem explicat.

Quid eſt iuſtum pretium cenſus?

RESPONDETVR breuiter, in hac re eſſe ſeruandam conſuetudinem prouinciæ, & æſtimationem bonorum & prudentum virorum, quando non eſt à Principe, vel republ. certum determinatum pretiũ: quia in diuerſis prouincijs & regionibus, diuerſum eſt pretium cenſuum, vt eſt videre apud Conrard. q. 84. Andream. Tyraquellum lib. 1. de vtroque retractu. §. 1. Gloſſ 6. num. 18. & Didac. lib. 3. variarum reſolut. capit. 10. In Germania autem videtur conſtitutum, vt poſſint 5. emi pro centum, vt apparet ex conſtitutione Caroli Quinti in ordinatione Politica facta in Comitijs Auguſtanis, Anno 1548. ſub titulo de vſuranijs contractibus, & hoc pretium eſt congruum iuri communi, vt pro viginti vnus florenus ematur, & ſic in viginti annis penſio ſortem adæquet, ex Authentic. de non alienandis aut permutandis rebus Eccleſiæ, §. quia vero. in Gloſſ. ibidem. verb. computare, & Authentic.

Per-

Perpetua, C. de sacrosanctis Ecclesijs, & eadē Glossa. in capit. Cum causa. de testibus, verb. ad alium in fine.

Dubium. *An census personalis sit licitus?*

COMMVNIOR sententia est censum personalem esse illicitum: sic tenent Innocentius, Hostien. Panormitan. Ioan. Andræas. & communiter Canonistæ in cap. In ciuitate. de vsuris. Angel. in verb. vsura. §. 74. & alij multi quos citant Nauarr. in d. commen. nu. 81. & Didac. libr. d. cap. 7. num. 5. Qui etiam fatetur hanc esse communem sententiam. In contrarium posse constitui censum super obligatione personali, sunt Conrard. quæst. 74. & 75. & aliqui recentiores. Sotus lib. 6. de iust. & iure. quæst. 5. artic. 1. Ioan. Medina in C. de rebus per vsuram acquisitis. quæst. 11. Couar. loc. cit.

Quantum ad veritatem huius quæstionis, si subtiliter rem metiri velimus, non est negandum posse talem contractum fieri: At si moraliter agamus prout Martinus Quintus & Calixtus Tertius definiuerunt, puto talem contractum valdè esse suspectum, nec posse consistere. At per bullam Pij Quinti omnino sublatus est talis personalis census: quia vult censum fundari super re immobili, certa, & fructifera. Quare iustissimè in prætorijs Hispaniæ tam secularibus, quam Ecclesiasticis

huiusmodi census verè, aut præsumptiuè vsurarius iudicatur, vt Nauarr. in d.comm. num. 83. testatur.

An in contractu census, si censuarius per biennium Ecclesiæ, & triennio priuatus cesset à solutione, cadat re, super qua census fundatur?

RESPONDETVR nequaquam cadere. Id enim locum habet in contractu Emphyteotico ex capit. Querelam. de iureiurando, Gloss. in cap. Constitutus. de religiosis domibus; & non in censuali: Est autem differentia inter censum & Emphyteosin. Nam in censu transfertur in recipientem dominium tam directum, quam vtile: In Emphyteosi autem non transfertur nisi vtile, directum manet apud concedentem. Glossa & Doctores in d.cap. Constitutus. Solet tamen quandoque apponi conditio in censu, vt non soluto censu biennio, aut triennio cadat res in commissum, tunc standũ est conditioni. Quod maximè locum habet in censu perpetuo non redimibili. Quando tamen talis conditio in constitutione census ponitur, cum conditio grauis & onerosa sit, augendum esset pretium census. Talis autem conditio licita esset in casu quo ex malitia, aut negligentia pensio nõ solueretur, non autem si ex impotentia: quia vbi nulla est culpa, nulla debet infligi pœna. Vide de

Differentia inter censum & Emphyteosin.

de hac materia Iosephum Angles loc. citat. in quæst. de Censibus ad finem, & Didac. vbi supra num. 1.

Dubium. *An contractus censuum siue pensionum secundum eam formam, qua nunc passim in Germania vtuntur, sit licitus?*

HANC dubitationem post alios latissimè disputaui in comment. de vsur. cap. In ciuitate. q. 12. & seq. Et quia, pastores sæpè ancipites redduntur ob frequentiam huius contractus, volui breuius hic inserere, quæ multis prosecutus sum in d. q. 12.

Ante omnia vt contractus intelligatur sic formatur casus. Quidam vir diues & potens pecunia, ne ea otiosa remaneat, aut thesaurus absconditus sit, sed aliquid lucri pariat, emit pensionem duorum millium aureorum à principe, aut ciuitate libera sub sufficienti & secura hypotheca, ita vt pro singulis centum, annuè percipiat quinque aureos; prout in imperio constitutionibus Carolinis de Anno Domini 1548. in comitijs Augustanis in ordinat. polit. cap. 17. & sub Rudolpho Secundo à deputatis Imperij Francofordiæ Anno 1577. tit. 19. cautum est, & nunc consuetudine omnium bonorum Deum timentium receptum, cum hoc pacto vt venditori census siue pensionis, semper liceat pro sua volunta-

te pensiones eodem pretio redimere. His prœmissis ad discernendum, an sub hoc contractu vsura pallietur, animaduertendum an emens talem pensionem reseruet sibi vt capitale omni tempore possit repetere, aut post determinatum tempus: Quod si fiat, mutuum est, & vsura tegitur: Quia de natura mutui est, cp sors, siue capitalis summa possit reuocari, & recipiens teneatur ad restituendum idem in genere, vel specie, vt tradunt Conrard. de contractibus. quæst. 8. & quæst. 33. Ioannes Medina in C. de rebus per vsur. asquis. Panormit. in disput. 5. incip. Augerio. col. penult. Carolus Molinæus in tract. de commerc. & vsuris, num. 17. Couarr. lib. 3. variar. resolut. cap. 7. num. 2. & communiter DD. & alibi. Nunc per conclusiones sequentes resolut. adhibenda.

Prima Conclusio. Non est negandum, longissimo tempore dubitatum fuisse de iustitia talis contractus. Conclusio ostenditur. Tempore Martini V. & Calixti III. dubitatum extitit de iustitia censuum, quorum illi Pontifices in suis constitutionibus mentionem fecerunt. Sed maior erat ratio dubitandi de nostris, vt clarum est ex conditionibus, quæ inseruntur dictis constitutionibus, quas ponimus in d. q. 12. conclus. 1. Secundo probatur DD. auctoritate. Henric. de Gandauo quodlibeto 8. q. 22. Gregor. Arimenen. magnus in Theologia Magister, vt testes sunt Ioan. ab Anania in

in d.cap. In ciuitate.& Salyc.C. de vsur.in Authent. Adhæc,improbarunt hunc contractũ, Innocent.& Ioan. Andr. in d. cap. In ciuitate, & Paulus Castrens.in cons.289. incip. Præsens dubium videtur.li.1. negant licitum esse emere census nouos,& de nouo constituere. Idem patet ex Baldo, de Feud. in tit. Si vasallus ab aliquo interpellatus fuerit.cap.1.colum. 2. qui dicit quod aliqui dicunt istum contractum nõ esse sine scrupulo vsurarum.& in cap. 1. de iureiur.num.14.refert inter quæstiones maximè periculosas in conscientia. Faciunt ad idem propositum Stephan.Bertrand. cons. 170. incip. Non sine grandi difficultate lib.3. Federic.de Senis.in cons. vlt. incip. Quæstio vertitur. Tyraquell.lib.1.de vtroque retract. §. 1. in verb.Rentes.Glossa 6.num.16.plurima adducimus in dicta quæst.12.conclus. 5.

Secunda Conclusio. Emptio annuorum nostrorum redituum est multum odiosa & suspecta: Hanc ponimus & latius probamus vbi supra.conclus.6. Atque in primis confirmatur auctoritate DD.allegatorum in præced. conclus. & sic Innocent. cum alijs in cap. In ciuitate admonet Christi fideles vt abstineant ab huiusmodi contractibus, quibus consentit Tyraquel. loc.cit. dum ait: Verum huiusmodi emptiones sunt nonnihil suspectæ, ab ijsque semper abstinui, & amicos abstinendos censui, vt etiam fecit Innocent.in d.cap.In ciuita-

te. Carol. Molin. de commerc. q. 5. à num. 18. & anteà Bald. in l. Vnica. C. de his quæ pœnæ nomine in testam. relinq. numer. 39. Couarr. lib. 3. variar. resolut. cap. 8. num. 7. & 8. & alij alibi. Quatuor rationes etiam reddimus huius Conclusionis vbi supra.

Tertia Conclusio. Contractus emptionis redituum siue pensionum ex natura sua est licitus, & non vsurarius. Hanc multis etiam probamus in d. q. conclus. 8. Dictum (ex sua natura) quia, haud negatur posse apponi conditiones & pacta, quæ contractum vsurarium reddant. Conclusionem docent Conrard. de contract. quæst. 83. Gerson in 2. par. in tractat. propos. 9. Richard. quodlib. 2. q. 23. articul. 3. Henric. Hoitta. de contract. dub. 5. Dominic. Sotus libr. 6. de iustit. & Iure. q. 5. artic. 1. Ioan. Medina in C. de rebus per vsur. acquis. q. 15. Gregor. de Valentia 2. 2. disputat. 5. qu. 25. Ex Iurisperitis Guilhelm. Bont. Louan. in tractat. de vsur. Chassan. super consuetud. Burgundiæ. Rubr. 4. §. 23. numer 33. Molin. in d. tractat. sæpissimè. Couarr. lib. 3. variar. resolut. cap. 7. Andr. Gaill. lib. 2. practicar. obseruat. obseruat 7. & in Concilio Constantiens. plures DD. subscripserunt quorum nomina, cognomina, & sententias de verbo ad verbum repetimus loc. cit. Nunc conclusio duabus solum rationibus fundatur, ne Enchrydij metas transeamus. *Prima*, Vsura habet

habet locum in mutuo vero vel palliato. Sed in hoc contractu nullum intercedit mutuum; cum sors, siue capitalis summa non possit repeti, sed alienetur. *Secunda*, Contractus recipiunt interpretationem à cõsuetudine, Glossa in l. Si fundus. §. in commissoria. ff. de legat. commun. Panormit. Felin. Bald. & alij in c. Cum M. de constitut. & hæc est generalis conclusio quam plurimis allegationib. comprobat. Anton. Gabrielius libr. 6. commun. conclusionum in titul. de consuetud. conclus. 1. Vt consuetudo inspicienda ad hoc, vt videatur, an contractus sit vsurarius, nec ne. Bartol. in l. Si quis fugitiuus. §. Apud Labeonem. ff. de ædib. edict. Bald. in l. 1. Cod. de his, quæ pœnæ nom. in testam. Panormit. in consil. 15. vol. 1. Decius in cons. 170. incip. Viso themate, & his quæ narrata. Oldrad. cons. 207. incip. Vniuersis præsentes literas inspecturis, & post plures Gabriel. loc. citat. num. 29.

Sed consuetudo est non solum in Germania, sed etiam in Gallia, alijsque prouincijs celebrandi huiusmodi contractus, quam consuetudinem exercent etiam viri probi, & optimæ opinionis homines. Qua de causa cessat præsumptio Vsurarum. Oldrad. & Bald. vbi supra. Tyraquel. lib. 2. de vtroque retract. §. Finis. num. 130. Gerson. de contractib. part. 2. post principium.

Quarta Conclusio. Pactum additum in emp-

tione annuæ pensionis, vt venditori liceat infra certum tempus redimere & non postea, efficit non quidem contractũ vsurarium, sed iniustum, & ita talis conditio reijcienda, vt census maneat redimibilis etiam post terminum præscriptum. Molinæus de commerc. q. 50. num. 352. Couarr. lib. 3. variar. resolut. cap. 9. Ioannes Bapt. Lupus de vsur. commentar. 1. §. 2. nu. 69. Et pro hac sententia sæpe pronunciatum multis arestis probat Molin. & in Granatensi prætorio sic iudicatum Couarr. testatur. Cum enim emptio annui reditus sit odiosa & suspecta, talis conditio non admittenda, sed potius reijcienda.

Quinta Conclusio. Conditio addita vt liceat venditori redimere post certum tempus, ex. gr. decem annos, & non prius reddit contractum census vsurarium, & in totũ vitiat. Molin. post alios in d. q. 50. Couar. & alij: Quia Pontificum constitutiones statim & omnitẽpore post venditionem volunt venditori ius competere, vt se liberare valeat redimendo censum.

Sexta Conclusio. Emptio annui reditus non redditur illicita per hoc quod venditor obligat emptori aliqua bona in hypothecam, quæ possit distrahi secundum consuetudinem loci, aut pacta conuenta, si venditor tempore definito non soluat pensionem: aut creditor aliquod interesse patiatur ob moram solutionis.

nis. Hanc tenent communiter DD. & ratio probat. De iure licitũ est tale pactum in contractibus pro securitate creditoris. l. pactum. ff. de pignorat. actionib. valet pactum, quod si venditor intra certum terminum debitum nõ soluerit, tunc prædia impignorata & Hypothecata liceat creditori vendere. Faciunt etiã l. 1. C. de pact. pignorat. l. Si fundus. §. fin. ff. de pignor. l. Si necessitas. §. Si annua. ff. de pignor. action. Barthol. & Alexand. cum Gloss. ibid. quod si quis ex certo fundo teneatur soluere pensionem ad certum terminum, & non soluerit, ex tunc creditor potest pignus vendere pro pensione non soluta, & ibid. §. fin. pignus non solum potest vendi propter debitum nõ solutum, sed etiam propter accessiones. De hac re latius in d. q. 12. concl. 12. Nec etiam iniustum reddit hunc contractum, quod bona hypothecæ titulo obligata debeant in valore excedere summam capitalem. Quia hypotheca non solum pro assecuratione capitalis, sed etiã veri interesse apponitur, quod moraliter contingere potest, præsertim quando ex mora pensio non soluitur.

Septima Conclusio. Conditio apposita in hoc contractu, quod bona hypothecata non possint alienari sine consensu censualistæ, non facit hunc contractum vsurarium. Ratio, quia bona hypothecata sunt obligata emptori census, vt se indemnem conseruet, quod iure fa-

cere poteſt, & ſic hæc conditio inſeruit vt cognoſcat in alienatione, an ſibi bene prouideatur: Cum multum referat, qualem quis habeat debitorem, fidelem, vel infidelem, diuitem, an inopem.

Octaua Concluſio. Non vitiat etiam talem contractum conditio adiecta, vt ſi in euentum penſio biennio, aut triennio non ſoluatur, emptor poſſit diſtrahere hypothecam tam pro recuperanda ſumma capitali quam pro reliquis damnis, & intereſſe. Hæc concluſio conſtat ex communi ſenſu, & ſatis confirmatur ex iuribus allegatis in 6. concluſ. Intelligendum tamen quod hypotheca iuſto pretio debeat diſtrahi: Nec emptor plus de vendito pignore ſibi reſeruare debet, quam ſuum ſit debitum.

Nona Concluſio. Licitum eſt etiam apponere eam conditionem, vt antequam fiat redemptio; venditor teneatur per medium annum, aut bimeſtre ante redemptionem denunciare in tali termino faciendam reluitionem. Conrardus de contractib. q. 83. concluſ. 8. Et Pius V. in ſua Bulla de cenſibus eam etiam comprobat. Apponitur illa conditio pro commodo emptoris, vt in tempore poſſit proſpicere ſuæ indemnitati deſtinando ſuam peculiam ad aliud honeſtum lucrum.

Decima Concluſio. Ad iuſtitiam emptionis horum redituum requiritur iuſtum pretium.

Patet,

Patet, quia si non interueniat rectum iustumque pretium, iustitia læditur, contractus simulatur, & proximus circumuenitur. Non est autem in omnibus locis vnum idemque pretium. In quibusdam prouincijs emuntur centum, septem. In alijs 6. In alijs 8. vel. 9. In alijs quinque, vt latius deducimus in d. cap. In ciuitate. q. 14. conclus. 2. In prouincijs Germaniæ, quę subsunt imperio iustè emuntur quinque pro centum, ex constitutionibus Imperij allegatis supra in principio huius quæstionis, Si quid vltra quinque accipiatur, aut detur id tanquam vsurarium & iniquum iudicandum ex d. constitutione Carolina. ca. 17. Hoc enim pretium tanquam iustum taxatum & constitutum est à Republ. Imperatore, & statibus Imperij, quare nequaquam transgredi licet, vt latius ostendimus in dicta q. 14. concl. 5. Hinc si quis plus quam quinque pro centum accipiat, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem excessus. Quod satis innuitur in d. constit. Carolina, dum vult, ꝙ plus accipitur, aut datur, pro vsurario lucro habeatur. Sic in Camera Imperiali Spiræ quando emptio annui reditus iustam & constitutam pensionę excedit, reductio fit ad legitimum modum, ita vt tantum annuè quinq; accipiantur de 100, teste Andrea Gaill. practic. obseruat. lib. 2. obser. 5. num. 11.

Vndecima Conclusio. Licet ex genere suo omere reditus fructuarios, vtpote in frumen-

to, vino, aut alijs speciebus non sit illicitum; tamen hiscè miseris temporibus maximè suspectum est, maioremq; fraudis iniquitatisque speciem habet, quam si in pecunia reditus constituatur. Priorem conclusionis partem tradunt Conrard. quæst.72. Gabr.in 4.d.15.qu. 12.conclus.1.Maior.ibid.quæst.34. Henric.de Hoitta de contractibus dub.2. Innocent. Ioan. ab Anania & alij in capit. In ciuitate de vsur. Ambros. à Vignate super capit. Salubriter, eod.tit.num.74. Guido Papa in tractat. de vsur.num.74. Couarr.lib.3.variar.resolut.cap. 7.num.2. Nauarr.in comment. de vsur.num. 104.& 120. & communiter alij alibi. Posteriorem partem tradunt Molinæus de commerc. quæst.21.& Didac.libr.3. variar. resolut.capit. 10.num.3.& satis comprobant diuersarum regionum iudicia, & constitutiones quarum quædam omninò prohibent; quædam reducunt ad pecuniarios census, aliæ moderantur secundum valorem pecuniæ numeratæ: ita vt non plus in frumento, aut vino accipi possit, quam vt pretium resolutum tantum quinque pro 100.efficiat, de quibus adferendo aliarum nationum constitutiones & prohibitiones latius egimus in dict.capit.In ciuitate. quæst.15 conclus.4. Pro hac autem materia est optima ordinatio politica antea facta, sed postremò reformata Anno Domini 1577. Francofordiæ à deputatis Imperij tit.19. vbi & illius salu-

taris

taris constitutionis ratio simul redditur : Sic autem ordinatio habet, si Germanicum ideoma latino sermone exprimatur : Contingit quod dum frumēta & vina in vili pretio sunt, quidam in huiusmodi speciebus emunt census, qui durāt etiam tempore charitatis annonæ: ita quod quandoque in pretio recipiantur pro 100.10.aut 20.aut etiam 30. quod non solum vergit in damnum pauperum, sed etiam in preiudicium dominorum, quibus pauperes subiecti sunt : Cum exhausti necessaria substantia debitos census persoluere, & onera cōsueta ferre nequeant. Atque talis emptio est contra diuinas humanasque leges, charitatem proximi, bonos mores, & præsertim contra Imperij constitutiones. Conceditur nihilominus, quod reditus frumenti, vini, aliarumq; specierum emantur: Ita tamen vt non plus in frumento, vino, & alijs rebus accipiatur, quàm quod solutis, speciebus in pretium pecuniæ, non nisi 20. florenis vnus ematur, vt taxatio facienda habito respectu ad tempus celebrati contractus : vel ad pretium, quo frumentum & vinum currenti anno vēduntur spatio 14. dierum post tempus messis, aut autumni, &c. Qui contra hanc constitutionem fecerit dolo, astutia, aut fraude, emptor capitalem summam perdet, & aliàs ex officio à magistratu punietur pro ratione excessus. Hæc in constitutione, quæ malè seruatur à multis, & tamen

transf-

transgressores non puniuntur fortasse quia canes qui custodiæ ouium præesse debebant, funguntur officio luporum.

CAPVT XXVIII.

DE DEPOSITO, COMMODATO, Locato, & Conducto.

DEPOSITVM est contractus, in quo dominium non transfertur, sed sola custodia rei alteri committitur, & regulariter est in fauorem deponentis. Depositum cum nihil in eo transferatur, non est propriè contractus, sed quædam fidei commissio.

Depositum cum sit in vtilitatem & gratiam deponentis, quando, & quomodo de culpa quis teneatur, dictum est supra. cap. 15.

Si depositum fuerit rerum consistentium in numero, pondere, & mensura, si quis eo vtatur, nisi prohibitio obstet, non peccat, si intentionem habeat reddendi tantundem in quantitate, & qualitate. Hinc si pecuniarium sit depositum, non erit peccatum cum eo negociari & lucrum quærere, modo nullum deponenti periculum immineat, & si quid lucri depositarius ex sua industria acquirat, non tenetur dare deponenti. Vide Syluestrum, Angelum, Aureâ Armillam, & alios in verb. Depositum. Nauarr. in Manuali. cap. 17. nu. 181. Si autem

autem pecunia esset consignata, vel deponens prohibuisset, illicitum est ea vti.

Si autem depositum non consistat in pecunia, nec in eis, quæ numero, pondere, & mensura constant, vti eo inuito domino, aut sine licentia eius expressa, vel præsumpta furtum est, vt DD. tradunt.

De Commodato.

COMMODATVM est, quando vsus alicuius rei, quæ vsu non consumitur gratis alicui conceditur: vt equi, libri, vestis & similium rerum. De ratione commodati est, vt res gratis concedatur: Quod si pretium intercedat fit cõtractus locati, vel alterius generis.

Potest enim commodare omnis, qui contrahere potest, quãdo absolutus dominus rei, quæ commodatur, est.

In primis peccat commodans, si commodatum ante tempus præstitutum à commodatario repetit eo inuito, cum notabili ipsius damno, nisi ipse æquale damnum pateretur, si non repeteret.

Deinde commodatarius etiam peccat, quando præfinito tempore non reddit; aut deterius sua culpa etiam leuissima reddit, nec contentum, facit commodantem: Aut quando commodato vtitur in vsum alium, quàm concessum à commodante: aut diutius, quàm conuentum, vtitur, cum notabili damno

no ipsius commodantis, & tenetur ad recompensationem damni, etiam in casu fortuito, quia casus fortuitus ei, qui est in mora, nocet.

Tandem peccat commodatarius, quando commodatum remittit per nuncium non habitum pro fideli, & dolo, aut culpa ipsius amittitur, & non vult soluere, Aliter tamen sentiendum, si remittit per nuncium habitum pro fideli.

Commodans etiam alicui scienter rem vitiosam, si non dicit commodatario vitium, tenetur ad recompensationem damni, si quod sequitur. secundum Glossam receptam in cap. vnico de commodato. Quando commodatarius teneatur de damno in casu fortuito, vide supra in cap. 15.

De hac materia lege Angelum, Sylueſtrum, Auream Armillam cum alijs in verb. Commodatum. Canonistas in cap. vnico. de commodato, Nauarr. in Manuali, capit. 17. à num. 182.

De Locato & Conducto.

CONTRACTVS locationis est, per quem alicuius rei vsu non consumptibilis, vtitur alteri pretio conceditur. Locato conductum correspondet, vt ex definitione posita clarum. Is enim conductor dicitur, qui accipit locatum.

Loca-

Locare potest omnis, qui plenum rei dominium habet, & cui non est prohibitum.

Locatio autem potest fieri omni homini, cui emptio permissa est, nisi is sit miles, aut curialis; his enim prædia conducere non licet. C. de locato & conducto.

Dubium primum. *An qui conduxit agrum alienum, tempore sterilitatis pensionem soluere teneatur annuam?*

STERILITAS conductorem liberat à solutione annuæ pensionis, quando temporum iniuria prouenit, sine negligentia & culpa conductoris; & tanta est, vt communis consuetudo, vel regionis opinio sufficere eam probet: aut quando tanta, vt ex tribus partibus solitis non colligantur nisi duæ: aut vix fructus sufficiunt ad expensas factas. Nec ad hunc effectum est differentia, an pensio soluatur in pecunia, vel alia quauis re. Quando autē annus non omnino, sed pro parte tantum sterilis est, pro parte etiam soluenda erit pensio. Nam sicut propter omnimodam sterilitatem omninò pensio remittitur: Ita quando ex parte est sterilitas, ex parte etiam remittenda pensio est: Sicuti enim se habet totum ad totum; sic pars ad partem. Si autem Colonus siue conductor nihil ex agro, aut fundo percipit ratione terræ, sed propter tempestatem, aut combustionem, aut deuastationem militum, non

dicitur sterilitas ad effectũ remissionis pẽsionis, vt colligitur ex capit. Propter sterilitatem, de locato & conducto. Si autem anno præcedenti vel sequenti sterilitas præsentis anni recompensetur, pensio anni sterilis soluenda erit, ex dict. capit. Vide Summistas in verb. locatum.

Dubium secundum. *Quando pensio, aut merces locationis augenda?*

RESPONDETVR. Quando fertilitas ex eo prouenit, quod fructus industria conductoris crescunt non est pensio augenda; quia sua industria non debet ei esse damno: nec etiam quando ex fœcunditate prædij, aut fundi. Si autem casu fortuito fertilitas augetur, vtpote quia alia molẽdina destructa sunt, ex meo molendino plus lucri conductor habet in duplo, possum augere pro rata pensionem; sicut ob sterilitatem casu fortuito euenientem remittere pro rata teneor. Vt sentiunt Panormitaus in dicto capit. Propter. Angelus in verbo Locatio. §. 1. 7. Sylvest. ibidem. quæst. 14. Aurea Armilla, eodem verb. numero 17. Nauarrus in Manuali, capit. 17. numero 191. & alij alibi: Quia contrariorum est eadem disciplina.

De-

Dubium tertium. *An locator à Colono siue conductore repetere possit rem locatam ante præfinitum tempus, & in quibus casibus?*

INQVILINVS aut conductor in quatuor casibus potest expelli, ex cap. d. Propter. & communi sententia ibidem cum Gossa. *Primus casus est*, quando per biennium non soluit canonem: si locatio fuit ad longum tempus: aut ad minimum in quinque annos. *Secundus*, si sua domo, vel re, propter aliquam superuenientem necessitatem ipse locator indigeat: Si tamen aliter commodè sibi prouidere posset, non diceretur necessitas ad hunc finem. *Tertius*, si domus locata indigeat reparatione, qua non indigebat tempore locationis. *Quartus*, quando conductor in domo peruersè conuersatur: aut ea abutitur etiam absque damno locatoris, vt pote recipiendo meretrices, admittendo scorta, lusores, & id genus hominũ: Vel etiam quando vtitur re locata in damnum locatoris, vt tenet porcos suffodientes domum, aut cædit arbores in prædio, aut non colit agros suo tempore, &c. In talibus tamen casibus dominus tenetur remittere pensionẽ pro rata temporis: poterit tamen damnum repetere, si quod passus sit.

Quando conductor aliquid necessarium, vel vtile, in re locata expendit, locator debet

restituere expẽsas. ff. locati & conducti. l. Dominus. si tamen possit tollere expensas sine lesione rei locatæ, non tenetur locator.

Locans scienter rem vitiosam, vt vasa, domum, &c. & non indicans conductori; si damnum sequatur, non solum peccat, sed etiam tenetur ad restitutionem. Angel. verb. Locatio. §. 24. Sylvest. ibidem. quæst. 18. Aurea Armilla num. 23. Nauar. loc. cit. 196.

CAPVT XXIX.

DE EXPOSITIONE Octaui præcepti.

Non loquêris falsum testimonium contra proximum tuum, & de peccatis quæ committuntur in iudicio.

PRÆCEDENTIBVS præceptis erga proximum, cautum est, ne eum factis lædimus: hoc prohibetur, ne verbis nocumentum contra iustitiam inferamus.

Per prohibitionem falsi testimonij in primis peccata, quæ in iudicio committi solent, prohibentur: Quæ perpetrantur aut falsum dicendo: aut verum, quando necessitas exigit, supprimendo: aut quando tegendum, reuelando. Deinde minus principaliter verba cum iniuria proximi extra iudicium prolata vetantur.

tur. Agetur ergo in primis hoc. cap. de personis spectantibus ad iudicium, nimirum Iudice, Accusatore, Reo, Teste, & Aduocato, quo nomine etiam significantur Notarij, Procuratores, & similes, qui in iudicio officijs funguntur.

De iustitia & iniustitia Iudicis.

IVDICIVM est actus iustitię proprius, vt patet ex nomine. Iudicium enim idem est, q̃ dictio iuris, & iudicare idem est, quod ius dicere: & Iudex idem, quod ius dicens, vt tradit S. Thom. 2.2. quæst. 60. art. 1. Vt iudicium autem rectum sit, tria requiruntur, nempe vt procedat ex iudicis auctoritate, iustitiæ affectione & prudentiæ rectitudine: Si primum desideretur, dicitur vsurpatum: Si secundum, peruersum, & iniustum: Si tertium, temerarium. Ex defectu horum iudex varijs modis peccare potest.

Ad rectum iudicium tria requiruntur. Iudicis auctoritas, iustitiæ affectio, & prudentiæ rectitudo.

Quantum ad defectum autoritatis, si Iudex non habeat iurisdictionem in eum, quem iudicat, mortaliter delinquit, & sententia est nulla. S. Thomas loco citat. artic. 2. & quæst. 67. artic. 1. Sotus libr. 3. de iustitia & Iure. qu. 4. artic. 2. & alij alibi. & capit. At si clerici. de iudicijs, & capit. Vt animarum. de constitut. libr. 6. Hinc Iudex secularis peccat, quando iudicium fert in Ecclesiasticos, aut statuta, ordinationes, decretaque edit contra eorum li-

Quibus modis ex defectu autoritatis Iudex peccet.

bertatem & immunitatem. Eadem est ratio si causas ad suum forum non pertinentes, vt matrimoniales, & similes cognoscat & iudicet: quia tales causæ sunt exemptæ à iudicio seculari. Idem est iudicium, si velit iudicare de omninò occultis, quæ probari non possunt; aut à reo inquirit occulta crimina, de quibus nec infamia, nec semiplena probatio, quæ cõstat dicto testis omni exceptione maioris, nec indicia sufficientia extant. Quia occulta non humano, sed diuino iudicio sunt reseruata. Et eadem causa peccant pastores, absoluentes non subditos: aut à casibus reseruatis, nec non etiam iudices, aut prælati Ecclesiastici dispensantes in illis, quæ suæ potestati non subsunt.

Ad rectitudinem iudicij secundo loco requiritur, vt ex affectione & inclinatione iustitiæ originem ducat, ita vt non fiat contra iustitiam, nec proferatur ex prauo affectu. Quatuor autem modis, vt habetur, 11. quæst. 3. cap. Quatuor, humanum iudicium peruertitur; timore, dum metu potestatis alicuius veritatem loqui pertimescimus; cupiditate, dum premio alicuius animum corrumpimus; odio, dum contra quemlibet aduersarium molimur; amore, dum amico, vel propinquo condendimus præstare auxilium. Et hoc capite Iudex peccat, qui ne potentes & magnates offendat, iniquam profert sententiam: aut vltra debitum differt executionem

nem iustitiæ, & tenetur ad restitutionē damnorum, quæ sequuntur. Iudex enim debet fortem habere animum: vt potens sit irrumpere iniquitatem, ne forte pertimescat faciem potentis iuxta Ecclesiastic. 7. Eodem pacto peccat Iudex, qui pecuniam accipit, vt benè vel malè iudicet: aut vt iudicare differat, vel omittat, cum obligatione restituendi acceptum, vt communiter Doctores tradunt. Super qua re Nauarr. multa dicit in commentario de datis & promissis, pro iustitia & gratia in Extrauagantem Gregorij XIII. Pontificis sempiterna memoria colendi.

Tertio loco ad rectitudinem iudicij necessarium est, vt proferatur secundum rectam rationem prudentiæ; aliter est temerarium. Ex hoc capite in primis mortaliter agit iudex, nisi paruitas materię excuset, si præcipitet sententiam. Quia proximum exponit periculo damni, & seipsum adducit in discrimen salutis animæ. Idem constat ex 2. quæst. 1. capit. Deus omnipotens.

Secundò temerariè agit Iudex, quando ignarus est, & non studet legibus, nec consulit alios in grauioribus negocijs, & tenetur ad restitutionem damni, si quid partibus inde emergit.

Tertiò temerarium est iudicium, quando iudex ex leuibus coniecturis, & suspi-

cionibus ad iudicandum procedit, 2. quæst. 1. capit. 1.

Quarto in hoc peccati genus iudex cadit, quando contra iustitiam, leges, & rectam rationem iudicat, nec sequitur leges, allegata ac probata, sed propriam scientiam: Sic peccat quando non seruat ordinē iuris, vtpote procedendo ad sententiam sine sufficienti probatione, quæ constat duorum aut trium testimonio: aut nō existente accusatore, condemnando reum nocentem non citatum, nec auditum, dilatando vel negando iustitiam petitam: decernendo torturam sine sufficientibus indicijs, & similes actus contra leges & formā iudicij, qui ex iure iudici noti esse debent, & non confessario: & quandocunque ex his & similibus parti præiudicatur contra iustitiam, Iudex tenetur ad recompensationem. Huc etiam spectat, quando Iudex pœnam relaxat, aut condonat sine iusta causa: aut cum causa, nisi prius pars læsa iniuriam remiserit. Regulare enim est, quod Iudex non debet relaxare pœnam, nisi pars læsa contenta sit, vt tradunt S. Thomas 2.2. quæst. 67. artic. 4. Sotus libr. 5. quæst. 4. artic. 4. Nauarr. in Manuali capit. 25. numer. 14. & alij alibi. Quæ autem causæ sint ob quas Iudex pœnam relaxare, aut augere, vel dimittere, aut permutare possit, docet Nauarr. in Rubr. capit. Nouit. de iudicijs, num. 99. Cum autem in supremo iudice scilicet

cet Principe, plena potestas resideat accusatore desistente, si expediat ad honorem Dei, & vtilitatem Reipublicæ, ex causis mouentibus ipse potest remittere, diminuere, & mutare pœnam; Si autem scandalũ imminet: aut meritò timetur, ne detur occasio delinquendi, si fiat pœnæ remissio, grauissimum peccatum committitur: Interest enim Reipubl. vt malefactores puniantur, & prouincia purgetur. l. congruit. de officio præsidis. Inferior autem Iudex, cui secundum leges præscriptus est agẽdi modus, non potest pro suo arbitrio pœnam remittere, aut mutare cum constitutus tantũ sit custos, & conseruator legum, non dispensator: quare tali casu occurrente ipse cum scientia & consilio sui superioris debet disponere. Postremò Iudex potest peccare, quando non seruat circumstantias loci, & temporis: vt si quem iubet rapi è loco sacro contra immunitatem Ecclesiæ. 17. quæst. 4. in multis canon. & in toto tit. de immunitate Ecclesiarũ: Aut si strepitus iudicij, aut processus expediat in die festo, contra capit. 1. & final. de ferijs. In multis alijs ratione sui officij Iudex delinquere potest, de quibus canones & leges agunt, & Summistæ in verb. Iudex & iudicium, legendi.

DE Accusatore.

ACCVSARE tenetur aliquis, quãdo cognoscit crimen, quod vergit in detrimen-

tum reipubl. & multitudinis ſpirituale, aut temporale; ſi aliter impediri non poteſt, & ſufficienter probare valeat. S. Thomas 2. 2 quæſt. 68.art. 1. Caietan.ibidem.Sotus lib.50. 5. artic. 1. Nauarr. loc.citat. nu. 32. & alij alibi.

Quia in tali caſu bonum publicum, anteponendum eſt malo particulari, quod ex accuſatione ſequitur. S. Thomas vt Sotus & alij ſentiunt, videtur compræhendere ſub accuſatione iudicialem denunciationem, quæ ſolùm differt ab ea, quod denuncians non tenetur probare, ſed tantum iudici indicare, vt inquirat.

Accuſatio iniuſta redditur, ſi accuſator: vel per calumniam falſa crimina imponit; aut vera, quæ probare non poteſt: vel per præuaricationem ſiue colluſionem, fraudem adhibet, nempe inclinando in fauorem & partem rei: vel per tergiuerſationem omninò deſiſtit à perſecutione cauſæ. In hoc enim, quod deſiſtit, terga quaſi cauſæ vertit. Vide 2.quæſt.3. Si quem pœnituerit.

Tergiuerſatio autem non ſemper eſt crimen, ſed ſolum quando accuſator tenetur in accuſatione perſiſtere. Tergiuerſatio autē eſt ſine culpa, ſi quis in propria cauſa deſiſtat: aut in publica leui cū diffidit de probatione, tunc cum reo poteſt conuenire ex d.c. Si quem: aut quando ex cauſa animum mouente principis auctoritate proceſſus tollitur, ex eod.cap.

Quan-

Quando accusator altero istorum trium modorum iniustitiam committit, nisi paruitas rei excuset, mortaliter peccat, & tenetur ad restitutionem damni, quod sequitur: Quia proximum lædit contra iustitiam.

De Reo, aut Accusato.

DE hac materia legendi S. Thomas 2. 2. q. 69. Sotus libr. 5. qu. 6. Nauarr. in Manuali. loc. cit. à nu. 35. & cap. 18. à num. 57.

Quia hæc materia lata, vt clarior sit resolutio, veritas per conclusiones resoluetur.

Prima Conclusio. Quicunque legitimè à suo iudice de proprio crimine interrogatur, tenetur sub peccato mortali crimen suum confiteri, & veritatem aperire, etiamsi ob confessionem criminis morte plectēdus foret. S. Thom. artic. 1. Sotus, & Nauarrus, & idem capit. inter verba. 11. quæst. 3. conclus. 6. & alij alibi. Quia virtus iustitiæ est ad salutem necessaria, ergo quicunque eam tenetur seruare. Iustitia autē subditum compellit superiori obedire, iuxta Præceptum Pauli. Omnis animā potestatibus sublimioribus subdita sit, &c.

Secunda Conclusio, Quando reus à non suo iudice, nec secundum ordinem iuris interrogatur, non tenetur suum crimen confiteri. Quia quisque potest se, suaque defendere: nisi iure ad contrarium compellatur.

Tertia

Quãdo iudex reum legitimè interroget.

Tertia Conclusio. Iudex legitimè reum interrogat quando tria concurrunt.

Primum, quod sit iudex competens rei.

Secundum, quod crimen plenè probatum sit; vel semiplenè per vnum testem omni exceptione maiorem; aut vt præcedant indicia sufficientia; aut infamia probata.

Tertium, vt huiusmodi probatio illi aperiatur, vt sciat in quo statu sit. His seruatis, reus tenetur fateri veritatem; Quod si nolit, nec habeat animum confitendi si iterum à Iudice legitimè interrogaretur; non est in confessione sacramentali absoluendus, cum non sit cõtritus, vt trãdunt Nauarrus in Manuali, capit. 25. num. 36. & Sotus in lib. de ratione tegendi & deteg. secretum. q. 7. memb. 2.

Quarta Conclusio. Reus siue iustè, siue iniustè in iudicio interrogatus, citra peccatum mortale non potest mentiri: aut veritatem mendacio tegere. S. Thom. in art. 2. & 3. Sotus ibidem. & Caietan. Nauar. in cap. Fratres. num. 27. de pœnit. d. 5. & in Manuali cap. 28. num. 3. & alibi. Couarr. lib. 1. variarum resolutionum cap. 1. num. 2. & alij alibi. Si autem in iudicio leue diceretur mendacium, etiam in re pertinente ad iudicium, esset solum veniale, vt sanior sententia contra Caietanum sentit.

Quinta Conclusio. Reus de se confessus, quãdo interrogatur de suis complicibus & socijs criminis in casibus exceptis, vt vocant, tenetur

eos

eos reuelare nisi crimina sint correcta: Quod si nolit, non est absoluendus, & confessarius, si absoluat non obligando ad denunciationē peccat, vt Nauarr. & Sotus tradunt, & huius rei reus admonendus est à confessario, vt intelligat, quos denunciare teneatur, quia tenetur eos reuelare etiamsi à Iudice non interrogetur, qui tamen etiam in talibus casibus tenetur interrogare de complicibus, quando ratio dictat reum habere complices.

Sunt autem hæc crimina excepta Latrocinij, Falsæ monetæ, Proditionis, Coniurationis, Maleficorum aut sagarum, Læsæ maiestatis, Hæreseos, &c. de quibus Glossa & Doctores in capit. 1. de confessis, & eadem Glossa in lege. Quoniam liberi de testibus, à Theologis autem omnia dicuntur excepta, quæ sunt in damnum tam spirituale, quà temporale Reipublicæ & multitudinis, si non sint correcta: sed in futurum pendeant.

Sexta Conclusio. Quamuis nullo modo liceat reo in iudicio mentiri, quando iniustè & præter ordinem iuris interrogatur, potest tamen veritatem prudenter occultare, non respondendo ad ea, quæ proponuntur, vel vtendo verbis amphibologicis, & æquiuocis, quæ alium sensum admittunt: aut etiam appellando, subterfugere, Sanct. Thom. artic. 2. Sot. ibidem. Nauarr. latè in commentario ca. Humanæ aures. 22, quæst. 5. in quæst. 2. commenti.

& quæst.

& quæst.3.num.11. & in Manuali Confessariorum cap. 25. num. 43. Quando aliquis non tenetur respondere iudici, etiam adiurata potest vrbanè ei dicere, quod non tenetur respondere, cum non iustè interrogetur, & si cogere velit, appellare; si non timet iudicis iniuriam: & si hoc timet, respondere potest, se nihil scire subintelligendo intra se, quod dicere teneatur: aut etiam se non fecisse scilicet, vel prodere debeat, mente concipiendo. Aliter tamen se res habet, quando aliquis iustè interrogatur secundum ordinem iuris: quia tunc tenetur veritatem ad mentem iudicis simpliciter sine ambagibus, & æquiuocatione confiteri, & dare gloriam Deo, cuius vicem Iudex obtinet, quando rectè iudicat.

Septima Conclusio. Quamuis reus in iusta causa, quando à iudice grauatur possit appellare: Non licet tamen iniustè hoc facere causa differendæ: aut repellendæ iustæ sententiæ, S. Thom. artic. 3. Sotus eodem artic. & alij alibi. Quia sicut Reo imponere, calumnia est, sic etiam Iudici: Qui autem dolosè & iniustè appellat, præterquam quod obedientiam violet nõ parendo iudici, etiã reipsa ei imponit falsum, quasi per iniustam sententiam læserit.

Octaua Conclusio. Reus iustè condemnatus etiam ad mortem, non potest se defendere, sed tenetur parere sententiæ. Quia qui potest tire-

ti resistit, Dei ordinationi resistit, Roman. 13. & ipse sibi damnationem acquirit. Qui autem se contra proprium iudicem defendit, potestati resistit.

Nona Conclusio. Iniustè damnatus ad mortem potest iudici resistere, nisi scandalum detur: ex quo grauis perturbatio timeatur. S. Thom. in art. 4. & Sotus ibidem: quoniã iniqua sententia nullam subdito inducit obedientiam. Hinc à fortiori, iniustè detentus potest vincula rumpere, carcerem frangere, aliaque facere quæ necessaria sibi sunt ad euasionem.

Decima Conclusio. Reus, qui ritè interrogatus negauit delictum, quod confiteri tenebatur, & nihilominus ob aliud damnatus ducitur ad supplicium, non tenetur ad confitendum illud, nisi notabile damnum inde probabiliter sequeretur. Quia contrarium nullo iure conuincitur; cum ad eius animæ salutem sufficiat sacramentalis confessio cum absolutione, vt recte Nauar. in Manuali Confess. cap. 25. num. 38. tradit.

De Teste.

PECCATVM testis maximè prohibetur octauo præcepto. Non dices falsum testimonium conrra proximum tuum.

Prima Conclusio. Quando aliquis à suo iudice se-

ce secundum ordinem iuris in testem requiritur, tenetur testimonium ferre. Quia quicunque subditus tenetur obedire suo superiori iusta præcipienti.

Secunda Conclusio. Quicunque ritè in testem vocatur, si suum testimonium ita sit necessarium, vt sine eo proximus periclitetur, si se fraude, aut dolo subtrahit & excusat, mortaliter delinquit, cum obligatione restituendi damnum. Angelus verb. Testis. §. 26. & 27. Sotus lib. 5. quæst. 7. art. 1. Nauarr. in Manual. cap. 25. num. 41.

Tertia Conclusio. Si quis in testem vocetur super criminibus occultis, de quibus nulla præcedit infamia, nec adsunt indicia, aut semiplena probatio, non tenetur testimonium dicere. S. Thom. 70. art. 1. Sotus & alij, ratio patet ex supra dictis.

Quarta Conclusio. Quandocunque aliquis potest suo testimonio proximum liberare aut ab iniusta morte, vel à falsa infamia, vel ab iniquo damno, tenetur id facere. S. Thomas & Sotus loc. d. hæc autem obligatio est charitatis, & non iustitiæ. Scriptum est enim, Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & in Psalm. 81. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Eadem conclusio à fortiori est vera, quando quis scit crimina, quæ sunt in exitium spirituale, aut temporale Reipubl.

Quinta Conclusio. Extra tales casus nemo tenetur

netur sua sponte testimonium ferre, nisi legitimè compellatur; quia nec ratio iustitiæ vrget, nec charitas cogit secretum, quod aliquis scit, reuelare.

Sexta Conclusio. Testis, qui pro ferendo testimonio vero pecunias recipit, mortaliter peccat cum obligatione restituendi ei, à quo accipit. S. Thom. q. 71. artic. 4. ad 3. Sotus loc. citat. q. 8. art. vlt. in fine. Nauarr. num. 45. c. d. Angel. Sylvest. Aurea Armilla in verb. Testis & constat ex cap. Non sanè. 14. q. 5. potest. tamen testis expensas itineris, & laboris, quem interim negligit petere.

Septima Conclusio. Quicunque testis in iudicio affirmat, quod scit esse falsum, aut dubitat esse verum, mortaliter peccat cum obligatione restituendi damnum, si quod sequitur: cõstat, quia peccat contra octauum præceptum, & infert iniuriam proximo.

De Aduocato.

DE hac materia, S. Thom. in qu. 71. Sotus lib. d. q. 8. Nauarr. in Manuali. c. 25. à nu. 28. Summistæ in verb. Aduocatus.

Prima Conclusio. Aduocatus sciens & prudẽs iniustam causam defendens, mortaliter peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem. Quia cooperatur malo alterius, & dat causam damnificandi proximum. Quando autem aduocatus per ignorantiam defendit iniustam

causam, excusari potest pro ratione ignorantiæ: Si ignorantia inuincibilis, omninò excusabitur: Si autem vincibilis, non excusabitur, quia aut causam non acceptet: aut studeat ci diligentia.

Quando autem Aduocatus dubitat de iustitia causæ, potest acceptare, debet tamẽ partem suam dubiæ iustitiæ admonere: Cum autem in processu iniustitiam discernit, desistere tenetur, & suam partem instituere.

Secunda Conclusio. Aduocatus non existens aptus ad patrocinãdum, si patrocinetur mortaliter peccat. Panorm. in Rub. de postulat. S. Thom. art. 2. Nauarr. nu. 28. Talis enim exponit proximum probabili damno.

Tertia Conclusio. Licitum est aduocato patrocinium suum pretio æstimare: quia non tenetur patrocinium & consilium suum causis aliorum gratis præstare, ergo vendendo non peccat contra iustitiam, S. Tho. & Sot. in art. 4. Moderandum est autem stipendiũ pro magnitudine causæ, scientiæ, & laboris, secundũ consuetudinem regionis: Si ergo excedit, & accipit plus quam debet, peccat.

Tenetur autem aduocatus causæ pauperũ gratis præstare patrocinium, quando non est alius, qui velit suscipere: alias mortaliter peccat. S. Thom. & Sot. quæst. d. artic. 1. Caietanus & Aurea Armilla cum alijs in verb. Aduocatus.

Quarta

Quarta Conclusio. Aduocatus peccat, quando conuenit de quota parte litis, dimidia, tertia, aut quarta, &c. quia hoc legibus prohibitum, ne detur occasio fraudibus, dum aduocati hac compensatione contendunt vincere per fas & nefas, Nauar. & Summistæ loc. cit.

De Notario.

DE hoc vide Summas in verbis Notarius, & Tabellio. & Nauarrum in Manuali, cap. 35. à num. 52.

Prima Conclusio. Notarius si per ignorantiã suæ artis alicui damnum infert, peccat, & tenetur ad recompensationem damni, exempli gratia. Si testamentum ex eius ignorantia minus fuit solemne, quam ob causam hæres institutus hæreditatem amittit: probatur Conclusio. Per regulam iuris in 6. Non est sine culpa qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet, & constat etiam, qui enim sua culpa causam damni dat, damnum dedisse dicitur.

Secunda Conclusio. Notarius mortaliter peccat, quando non seruat capitula à se iurata, in creatione notariatus: quæ sunt. Quod conficiet instrumenta, de quibus fuerit rogatus, nihil veritatis tacendo, aut falsitatis miscendo. *Secundum*, non reuelabit secreta sibi commissa nisi iusta de causa. *Tertium*, non conficiet scienter instrumentum de aliquo contra-

ctu vsurario, & de quouis illicito. *Quartum*, retinebit protocollum de instrumentis datis. *Quintum*, erit fidelis ei, à quo creatus notarius. *Sextum*, nullo amore, odio, spe, vel timore, officio suo abutetur.

Tertia Conclusio. Notarius peccat, quando rogatus ab aliquo, vt det sibi instrumentum, quod dare tenetur, non dat, aut occultat alicui instrumentum necessarium, aut rumpit, lacerat, & delet, nec non etiam si falsos testes scienter recipit: vel scripturam radit in alicuius damnum, & alterius fauorem.

Quarta Conclusio. Notarius mortaliter delinquit si excipit, & in publica forma scribit statutum, vt soluantur vsuræ, aut solutæ non repetantur, & est excommunicatus. Clement. 1. de vsuris, eadem est ratio, si in publicam formam redigit statuta contra libertatem Ecclesiasticam, cap. Graue, de sentent. excommunicat.

CAPVT XXX.

DE TEGENDO ET DETEGENDO SECRETUM.

DE materia secreti doctissimè Dominicus Sotus libellum conscripsit, & Nauar. agit in d. cap. Inter verba. conclus. 6. & in cap. Sacer-

Sacerdos.de pœnit.d.6. & in Manuali, cap. 18. à num.51.

Secretum est quod à nemine: vel à tam paucis scitur, quod neque est famosum, neque notorium. *Secretum quid sit.*

Secretum est duplex. Vnum, quod ex sua natura solum ab vno sciri potest; quales sunt cogitationes, & actus hominis interiores. Aliud, quod à pluribus sciri potest, quamuis actu non sciatur, vt sunt actus exteriores, qui neq; famosi, neque manifesti sunt. *Secretum duplex.*

Triplex est secreti posterioris gradus. Quoddam enim est secretum confessionis, quo omnia continentur, quæ sigillo sacramentalis cõfessionis clauduntur. Secundum est extra confessionem, quando homo cognoscit peccatũ occultũ alterius, cuius reuelatio nocet proximo in anima, corpore, honore, fama, aut fortuna. Tertium, cuius celatio à sciente expressè, vel tacitè promissa est. Expressè quando aliquis promittit se celaturum: Ad quem gradum pertinet, quando quis prudenter alteri, vel vt patri, aut prælato, aperit, aut vt consiliũ capiat. Tacitè, quando ex modo dicendi colligit, quod quis velit seruari in secreto à sciẽte.

Prima Conclusio. Quicunque sub sigillo confessionis sacramentalis aliquod crimen occultum cognoscit, non potest illud reuelare absque grauissimo peccato, nisi fiat ex iusta causa cum licentia confitentis, & hic gradus se-

cretorum omnibus fortius ligat. De hac materia latius dictum in prima parte, de Confessione.

Secunda Conclusio. Quando aliquis extra sacramentalem confessionem dicit alicui, hoc tibi dico sub confessione, non tenetur aliquis sub sigilllo confessionis celare, licet teneatur sub secreto naturæ. Innocent. Panormitan. & communis opinio in cap. Omnis. de pœnitent. & remission. prope finem. Nauarr. in d. cap. Sacerdos. num. 39. & alij alibi. Quia sigillum confessionis tantum obligat, quãdo quis sacramentaliter confitetur.

Tertia Conclusio. Quando alicuius peccatum occultum est, cuius reuelatio nocet animæ, corpori, famæ, aut bonis proximi, si quis reuelet non seruatis seruandis, mortaliter peccat quia agit contra charitatem, & violat præcepta Decalogi, de non nocendo proximo.

Quarta Conclusio. Quando aliquis promisit seruare secreta, quæ prodere non tenetur, nullo modo potest prodere etiam ad præceptum superioris: Quia iuris naturæ est seruare secretum, quod committitur. Proueb. 11. Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana. Qui autem fidelis est, seruat amici commissum. capit. Qui ambulat. 5. quæst. 5. & ex parte promissi nascitur etiam obligatio: quia seruare fidem est etiam iuris naturæ: Vide Nauarr. in d. capit. Sacerdos. Si autem manifesta-

festatio paruum & leue damnum inferat, est tantum veniale peccatum reuelare. Caietan. 2.2. qu. 70. artic. 1. Sotus de iustit. & Iure. libr. 5. q. 7. artic. 1. Nauarr. in Manuali. cap. d. nu. 62. & alibi.

Quinta Conclusio. Quando alicui committuntur secreta, quæ statim homo cum sciuerit reuelare tenetur, vtpote, quia sunt in corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in graue damnum alicuius personæ, si fama proximi per correctionem fraternam conseruari non potest; nec malum verisimiliter impedire valet, sciens tenetur propalare testificando, denunciando, aut alio modo; nec contra hoc per secreti commissionem potest obligari. S. Thom. 2.2. quæst. 70. artic. 1. ad. 2. Sotus loc. cit. Alphons. Castrens. lib. 2. de iusta hæreticorum punitione. capit. 25. & alij alibi.

Ex dictis in primis infertur eum mortaliter peccare, qui aliorum referat literas, aut scripturas, quando ex hoc notabiliter in aliquo proximus læditur: Quod si quis autem ex consensu expresso, aut præsumpto eius, ad quem mittuntur, aperiat, non peccat. Simile est iudicium, quando auctoritatem habens, vt pater in filium: Superior religionis in subditos, suorum literas aperiunt & legunt. Deinde deducitur, eum etiam grauissimè peccare, qui libellum aut scripta fa-

mosa in aliquem inuenta publicat; talia enim quis simul ac reperit tenetur abscondere, aut rumpere, iuxta l.1.Cod.de libellis famosis.

CAPVT XXXI.

DE MENDACIO.

INTER peccata verborum frequentissimũ est mendacium, ideò de eo nunc agendum: nam de alijs scilicet, susurratione, murmuratione, maledictione, blaspemia, detractione, & similibus actum est in secunda parte, quia dicta relata sunt inter filias vitiorum capitalium.

De mendacio legendi S. Thom.2.2.quæst. 110. Summistæ in verb. Mendacium. Nauarr. in Manuali, cap.18.num.3. & in cap. Humanæ aures.22.quæst.5.

Mendaciũ quid sit.

Mendacium est falsa vocis significatio, cum intentione fallendi.

Requiritur ergo ad rationem mendacij, vt quis enunciet falsum cum intentione dicendi falsum. Quod autem additur (cum intentione fallendi) spectat ad perfectionem & maiorem grauitatem mendacij. Nominatur mendaciũ ex eo, quod contra mentem dicitur. Ex dictis infertur eum, qui falsum dicit credens esse verum formaliter non mentiri, licet materialiter falsum dicat.

Men-

Mendacium ex ſua natura malum eſt: vnde nec licitum eſt mentiri, aut pro conſeruatione vitæ, aut pro ſalute hominum, aut quacunque ex cauſa. Hinc ex Auguſtino in libr. contra mendacium in 22. quæſtion. 2. capit. Primum, dicitur. Quiſquis autem eſſe aliquod genus mendacij, quod peccatum non ſit putauerit, decipiet ſeipſum turpiter, cum honeſtum ſe deceptorem arbitretur aliorum.

Triplex eſt mendacium, Officioſum, Iocoſum, & Perniciosum. Officioſum, quod nemini nocet, ſed alicui prodeſt ad commodum. Iocoſum, quo tantum leuis delectatio quæritur: vt quando quis colloquio miſcet aliquod verbum falſum placendi ſtudio; quod nulli obeſt. Hæc duo mendaciorum genera ſunt venialia, cauenda tamen: Nam ſcriptum eſt. Noli velle mentiri omne mendacium. *Mendaciũ triplex Officioſum, Iocoſum, & Perniciosum.*

Perniciosum eſt, quod alicui in ſpiritualibus, vel temporalibus detrimentum adfert, de hoc intelligendum, Sapientiæ 1. Os quod mentitur occidit animam, & Pſalm. 5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Hoc mẽdacium eſt mortale, quando notabile nocumentum proximo infertur: aut intenditur. Quare grauiſſimè peccant, qui mentiuntur in rebus fidei, religionis, & morum. S. Thomas loc. cit. art. 4. Caietan. ibidem & Nauarr. in Manuali cap. d. nu. 4. Hinc mortaliter agunt, qui ſcienter & prudenter falſum concionan-

tur: aut vitam alicuius sancti aliter quam se fingunt, aut falsa miracula prædicant.

De promissis adimplendis.

AD mendacium spectat non adimplere promissum; est enim dictum rectè; displicet Deo infidelis & stulta promissio.

Conditiones requisitæ ad obligationem in promiss.

Ad hoc autem, vt promissio obliget, aliquæ conditiones requiruntur. *Prima*, vt promissio sit de re licita cum intentione se obligandi: Quare si quis ficto animo promittat, aut facturum se aliquid illiciti promittat, nulla nascitur apud Deum obligatio. Eadem est ratio de promissione rei impossibilis, quia ad impossibile nemo obligatur, iuxta regulam iuris in 6. capit. Nemo ad impossibile. *Secunda Conditio*, vt sit voluntaria & deliberata: Vnde promissio metu, & dolo extorta non obligat in conscientia. Quia ille, qui vim & metum infert, non meretur, vt ei promissum seruetur, vt optimè S. Thom. 2.2. quæst. 89. artic. 7. ad 3. docet. Deliberatio etiam tanta sufficit in promisso, quanta in voto. *Tertia*, debet esse de re notabili: quia vt sæpè repetitum, parvitas materiæ in omni materia excusat. Quare si quis alicui promittat salutare amicum, aut mandata parui momenti exequi: aut similia leuia præstare, si non impleat, non incurrit mortalem culpam. *Quarta*, vt non superueniat mutatio status rerum, quæ non erat tem-

pore

pore promissi. Sic si promisi aliquam ducere in vxorem, quæ habetur pro honesta, si deinde fornicata fuerit, non tenor: aut si promisi alicui dare mutuo 100. florenos, quos habeo, spolior à militibus, cessat obligatio: Promissio enim fit, debitis subintellectis conditionibus. Regula ergo in hac materia esse potest. Quod omnis vere, deliberata, & voluntaria promissio obliget, quando est de re licita, possibili, & notabili, nec eam mutatio rerum status superueniens tollit.

Quomodo mendacium fugiendum sit, qui legere voluerit, videat Guilhelmum Peroaldum Episcopum Ludunen. Tomo 2. de virtutibus & vitijs, in tractat. de peccato linguæ. capit. 5.

CAPVT XXXII.

DE DVOBVS VLTIMIS Præceptis Decalogi.

9. *Non concupisces vxorem proximi tui.*
10. *Non concupisces rem proximi tui, non domum, non agrum, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, non vniuersa, quæ illius sunt.*

DE his præceptis parum est dicendum, cum eorum cognitio aperta sit ex 6. & 7.

Du-

Duplex his præceptis concupiſcentia prohibetur, ſecundum Auguſt. in Exod. q. 71. Altera ſolum ſpectat, quid vtile, quidq; fructuoſum ſit. Alteri propoſitæ ſunt libidines & voluptates.

Præterea aduertendum pro intelligentia horum præceptorum, triplicem eſſe concupiſcentiam. Naturæ, Spiritus, & Carnis.

Naturalis concupiſcentia eſt recta concupiſcendi vis, quæ à Deo auctore cum natura nobis inſita eſt, vt ſunt appetitus comedendi, bibendi, ſe conſeruandi, &c. & hæc quando fines ſuos non egreditur, bona eſt.

Spiritualis eſt, qua ad deſiderium eorum inflammamur: quæ carni & ſanguini repugnant: & ad hanc tanquam valdè ſalutarem ſacræ literę adhortantur, Sapient. 5. & 6. Concupiſcite ſermones meos, & Eccleſiaſtici 24. Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me.

Carnalis autem concupiſcentia prohibetur præcepto de non concupiſcendo, per quam nihil aliud intelligimus, quàm vſum prauæ concupiſcentiæ carnalis, qui voluntati humanæ ſubeſſe poteſt. Si autem talis concupiſcentia nullo modo voluntaria ſit, non imputatur ad culpam. Nihil enim damnationis eſt iis, ait
Rom. 8. Apoſtolus: qui ſunt in Chriſto IESV, & non ſecundum carnem ambulant. Ambulare ergo ſecundum carnem, eiuſque deſideria perficere, culpabile eſt: Hoc enim eſt quod idem Apo-

Apostolus innuit cum dicit. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius. Rom.6.

Nono præcepto. Non concupisces vxorẽ proximi tui, prohibentur omnes cogitationes, morosæ delectationes, consensus turpes, voluptates, & amores libidinosi, circa actus exteriores prohibitos sexto præcepto. Quoscunque ergo actus non licet opere externo exercere ratione sexti præcepti: hos non licet concupiscere, nec in eos consentire, eisdemque delectari propter hoc præceptum.

Decimo præcepto, prohibetur omnis cõcupiscentia inordinata, quæ est in damnum proximi, aut etiam consensus deliberatus, & quorum iniustitia prohibetur quantum ad opus exterius in septimo præcepto, eorum actus interiores quando non procedunt ad exteriores, vetantur hoc præcepto.

Peccant ergo hoc præcepto, qui furtis, rapinis, ludis inhonestis, aut turpi lucro delectãtur. Nec nõ etiam qui rerum penuriam & annonæ caritatem expetunt, vt res suas carius vendere possint. Deinde qui aliorum necessitatem desiderant, vt ipsi aut vendendo, aut emendo lucrentur: Eadem est ratio multorũ aliorum: qui vt lucrum acquirant, affectant proximi malum contra iustitiam.

CA-

CAPVT XXXIII.

DE PRAECEPTIS ECCLESIÆ, & Ieiuniorum obseruatione.

Quinque sunt præcepta Ecclesiæ.

1. Statutos Ecclesiæ festos dies celebrato.
2. Sacrum missæ officium diebus festis reuerenter audito.
3. Ieiunia certis diebus temporibusque indicta obseruato,
4. Peccata tua sacerdoti proprio annis singulis confitetor.
5. Sacrosanctam Eucharistiam ad minimum semel in anno, idque circa festum Paschæ sumito.

De primis duobus constat ex dictis in præcepto, Memento, vt diem Sabbathi sanctifices.

De quarto dictum in prima parte de confessione.

De quinto de Sacramento Eucharistiæ actum est. Restat hîc de ieiunandi præcepto.

De ieiuniorum obseruatione.

DE hac materia vide Canonistas in tit. de obseruatioue ieiuniorum. S. Thom. 2. 2. quæst. 147. Scholasticos DD. in 4. d. 15. Ioan. Medi-

Medinam in Cod. de ieiunio. Nauarr. in Manuali, capit. 21. à num. 11. Summistas in verb. Ieiunium. & Doctissimum Didacum Couarruuiam libr. 4. variarum resolutionum. capit. 20.

Ieiunium triplex est. Naturæ, Virtutis, & Ecclesiæ. *Ieiunium triplex est.*

Ieiunium naturæ est abstinentia ab omni cibo & potu, & tale ieiunium, vt suo loco diximus, requiritur ad sumptionem Eucharistiæ.

Ieiunium virtutis, est abstinentia à cibo & potu secundum regulam temperantiæ, quæ in mediocritate consistit.

Ieiunium Ecclesiæ de quo hîc agimus, est abstinentia à cibo secundum regulam ab Ecclesia traditam.

Ad quid valet ieiunium?

PRIMO, ad concupiscentias carnis reprimendas, eiusque illicitos motus sedandos.

Secundo, vt mens liberius eleuetur ad sublimia contemplanda.

Tertio, ad satisfactionem pro peccatis. De his S. Thom. loc. cit. art. 1.

De laudibus ieiunij Sancti Patres disserũt, Hieron. lib. 2. contra Iouinianum. Chrysost. hom. 1. & 2. in Genesin. & homil. 18. & 73. ad populum. August. in tractatu de vtilita-

to

te ieiunij. Tomo 9. Gregor. in homil. 1. Dominicæ in 40. Basilius Magnus in homil. 1. & 2. de laudibus ieiunij. Ambr. in libr. de Helia & ieiunio. Leo in sermon. 1. 2. 3. 4. & 5. de ieiunio septimi mensis. Athanas. in lib. de virginitate. Cyprian. de ieiunio & tentationibus Christi.

An ieiunium sit in præcepto, & quid requiritur ad obseruationem huius præcepti?

PRIMA *Conclusio.* Ieiunium Ecclesiasticum est sub præcepto obligante ad peccatum mortale. S. Thom. in artic. 3. & in 4. d. 15. q. 3. a. 4. Palud. & alij ibidem. Panormit. & Innocent. in Rubr. de obseruat. ieiuniorum. Summista in verb. Ieiunium. Nauarr. & Couarr. loc. cit. & hæc est communissima sententia.

Secunda Conclusio. Dies, quibus ieiunium obseruandum est, vel in iure continentur, vel ex consuetudine Ecclesiæ habentur, & sunt quatuor tempora anni. 76. dist. Quadragesima tota, de consecrat. d. 5. cap. Quadragesima, & vigiliæ Apostolorum, & aliorum solemnium dierum secundum præceptum Ecclesiæ, & consuetudinem approbatam.

Tertia Conclusio. Ad ieiunij obseruationem requiritur de necessitate præcepti, vnica comestio in die S. Thom. in art. 6. Panormit. & Innocent. & alij Doctores cit. & constat ex vnia-

uersalis Ecclesiæ consuetudine. Dictum est (vnica comestio) quia secundum communē sententiam potus non frangit ieiunium, nisi aliquis potu vtatur in fraudem ieiunij. Neque etiam frangunt ieiunium, quæ per modum medicinæ sumuntur. Tempus autem refectionis in die ieiunij apud nos congruum erit post vndecimam vel circa: Notabiliter autem sine rationabili causa anticipare, non caret culpa.

Quarta Conclusio. Vespertina collatio moderata, pro consuetudine Ecclesiæ non frangit ieiunium, constat ex consuetudine totius Ecclesiæ, quæ pro regula in ieiuniorum materia habenda, & communi Doctorum sententia. Dictum (moderata) Quia qui faciunt collationes immoderatas, quas alij grossas appellant, nisi sint dispensati, cum nomine collationis cœnam pallient: frangunt ieiunium; & parum refert ad ieiunij obseruationem, cōtra quorundam vanam religionem, comedere calida, vel frigida; quando in debita quantitate fit excessus. Non est etiam licitum collatione solita vti in meridie & differre prandiū in vesperum, nisi rationabilis causa ad id moueat. Si autem id ad iter faciendum: aut negocium gerendum necessarium foret, sine scrupulo fieri posset, vt tradūt Iosephus Angles in 1. part. 4. in tract. de Ieiunio, quæ. 9. 5. difficult. & Aurea Armilla in verb. Ieiunium.

Quinta Conclusio. Qui in die ieiunij pluries comedit, non peccat toties, quoties comedit, sed tantum prima vice, quando ieiunium violat, & sic in vno die ieiunij, semel violato præcepto, pluries comedendo non committuntur noua peccata. Sic tenent Durand. & Paludanus in 4. d. 15. Angelus verb. Ieiunium, §. 11. Sylvest. eodem verb. quæst. 8. Caietanus ibid. & 2. 2. quæst. 147. art. 8. Nauarr. in Manuali cap. 21. numero 14. Dictum (in die) quia alia ratio est de Quadragesima: nam qui vno die ieiunium frangit: secundo de nouo peccat, si frangat. Hæc Conclusio est contra quosdam DD. qui volunt toties committi peccatum mortale quoties quis comedit in die ieiunij, sed prior sententia communior; & ratio reddi potest: quia sola illa prima commestio post debitam, vel ante eandem est, quæ ieiunium violat, & sequentes superueniunt iam ieiunio fracto.

Sexta Conclusio. Ad ieiunium Ecclesiasticum necessarius est delectus ciborum. Quia vt S. Thom. in artic. 8. tradit; ieiunium institutum fuit ad reprimendas concupiscentias carnis, ea de causa necessarium est abstinere ab escis, quæ libidinem inflammant, delectationem habent, maximeque hominem ad carnalem voluptatem prouocant: huiusmodi autem sunt, carnes animalium, & quæ ab his semen tinam trahunt originem. In hac conclusione

ſione omnes Catholici conueniunt, contra autem hæreticos ſcribunt de delectu ciborum Ioannes Eckius in locis communibus. Iodocus Clychthoueus in propugnaculo Eccleſiæ contra Lutherum. Alphonſus Caſtrenſis in libr. de hæreſibus, verbo Cibus, & alij alibi.

Septima Concluſio. Quoties quis in die ieiunij veſcitur cibis vetitis, toties peccat mortaliter, ſecundum communem DD. ſententiam. Quia præceptum de abſtinentia à certis cibis eſt negatiuum, & ſic quoties violatur & frangitur, nouum peccatum committitur. Hinc etiam qui diſpenſationem habet de non ieiunando, non propterea poteſt veſci carnibus, & ouis.

Octaua Concluſio. Propter ineuitabilem neceſſitatem, atque fragilitatem, & euidentem languorem, licet carnibus veſci in Quadrageſima: probatur ex Concil. Toletan. 8. cap. 9. vbi ita ſtatuitur. Quiſquis ſine ineuitabili neceſſitate, atque fragilitate, & euidenti languore, ſeu etiam impoſſibilitate ætatis, diebus Quadrageſimæ eſum carnium præſumpſerit attentare, non ſolum reus erit reſurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab eiuſdem diei ſancta communione. Eadem Concluſio probatur ex vſu & intentione Eccleſiæ, quæ admittit carnibus veſci conſtitutis in infirmitate, vt praxis in ipſa vrbe Roma docet, nec pia mater intendit

cum tanto rigore & periculo suos filios obligare. Verum in his quando necessitas imminere videtur, consulendus vterque medicus spiritualis & corporalis, vel adhibendum consilium doctorum & piorum virorum. Quod semper faciendum, quando quis dubitat; an obligetur ad ieiunium. Alia tamen ratio est, quando causa excusationis est euidens.

Causæ excusantes à ieiunio.

Nona Conclusio. Omnes iustæ causæ excusantes à præcepto ieiunij, reducuntur ad tres Impotentiam, Necessitatem, & maius bonum, S. Thom. in artic. 4. communiter receptus, & alij loc. citat.

Propter impotentiam excusantur pueri, secundum receptiorem sententiam vsque ad 12. annum completum. Conueniens tamen est, vt etiam pueri in hoc tempore se in ieiunio exerceant, pro modulo ætatis plus & minus; ob eandē causam excusantur senes senagenarij, infirmi, mulieres grauidæ, & lactantes, hac etiam causa excusantur pauperes, qui tantum nō possunt habere, vt vnam refectionem simul habere queant: aliàs minimè.

Propter necessitatem excusantur omnes, qui laborare tenentur, nec à labore cessare possunt absque detrimento corporalis salutis, & status exterioris: Quando est talis labor, cum quo commodè non stat ieiunium, hac de causa excusantur Faber ferrarius, Agricola, Carpentarius & alij qui laboriosas exercent artes.

artes. Alia tamen est ratio, quando leuiora exercitia, quæ parum laboris continent, faciunt.

Postremò ob maius bonum à ieiunio excusatur, qui ieiunando non potest sanctioribus & melioribus operibus vacare, qualia sunt opera misericordiæ spiritualia, vel corporalia, quæ suapte natura sunt opera misericordiæ: Hoc tamen limitant Caietan. & Sylvest. quando huiusmodi opera fiunt ex charitate, & non propter mercedem.

In ieiuniorum obseruatione notandum, quod potest aliquando contingere, vt quis excusetur ab integro ieiunio, & non ab omni eius parte, tunc pro illa parte tenetur ieiunare. Sic etiam qui iustè excusatur à ieiunando, quando potest vesci escis ieiunio congruis, nõ debet vti vetitis.

Quis dispensare potest in Ieiunio?

PRIMA *Conclusio.* Summus Pontifex dispensat in ieiunijs generalibus absolutè, ne quis ieiunij lege teneatur: aut illo tempore vt communiter DD. sentiũt. Potest autem Episcopus dispensare in ieiunijs factis ex voto.

Secunda Conclusio. Quando casus singularis circa aliquem accidit, ne tali occurrente casu, aut causa teneatur ieiunare, etiam Episcopus potest dispensare, & eo absente Parochus, & quilibet religiosus cum suis subditis. S. Thom.

in 4. d. 15. quæst. 3. artic. 2. & 22. vbi supra. & Caietan. ibid. Nauarr. loco citat. num. 21.

Tertia Conclusio. Episcopi non solum, sed etiam alij Prælati, & animarum pastores, possunt interpretari, & declarare legem non ligare aliquem in particulari casu ad ieiunandum; & in tali casu, si pastor, aut prælatus esset ignarus, non esset sufficiens: Quare hæc declaratio melius posset fieri à Doctore Theologiæ, vel canonum.

Quarta Conclusio. Quando causa est euidens, quæ excusat ab obseruatione ieiunij, non est necessaria dispensatio, aut declaratio, quando non est facilis accessus ad superiorem. S. Thom. 2.2.q.d.art.4.

QVAR.

QVARTA PARS. DE IVSTITIA, ET INIVSTITIA CLERICORVM IN ORDINE AD BENEFICIA.

DE hac materia legendi canones cum Doctoribus in titulo de præbendis & dignitatibus. Summistæ in verb. Beneficiũ & Clericus. Dominicus Sotus lib. 10. de iustit. & Iure. Nauarr. in Manuali confessariorum cap. 25. à num. 112. & alibi.

CAPVT I.

DE INGRESSV AD BENEficia Ecclesiastica.

PRIMA *Conclusio*, In intrantibus ad beneficia Ecclesiastica ætatis maturitas, morum grauitas, & literarum scientia requiruntur, non tamen in pari gradu, sed diuerso pro distinctione ac diuersitate beneficiorum; cap. Cum in cunctis, de electione, & communi sententia ibidem.

Secunda Conclusio. Quicunque recipit beneficium quod ex sua fundatione, erectione, aut alijs constitutionibus requirit certas conditiones, tenetur illas habere conditiones in acquisitione: aliàs collatio est nulla. Panormit. communiter receptus in cap. Cum in cunctis de elect. & Concil. Trident. sess. 25. cap. 5. de reformat.

Tertia Conclusio. In suscipiente beneficium requiritur recta intentio, vt quis nimirum velit fideliter inseruire Domino Deo, in sanctitate & iustitia. Quia beneficiũ datur propter officium, cap. fin. de rescriptis in 6. Hanc conclusionem tradunt S. Gregor. cap. 1. Pastoralis. Petrus à Soto de institutione Sacerdotũ lect. 3. Nauarr. in Miscellaneo. 36. de oratione, & alij alibi. Hinc præpostera veniunt intentione ad Ecclesiastica munia, qui honores, luxum, diuitias, aut aliquid temporale quærunt.

Quarta Conclusio. Minus principali intentione licet desiderare beneficium ad necessariam sustentationem in clericali statu. Quia qui altari inseruit, de altari viuere debet. 1. Corinth. 9. cap. Cum secundum. de præbend.

Quinta Conclusio. Qui Ecclesiam parochialem accipit, sine intentione accipiendi ordinem presbyterij, vt eius fructus per annum, aut annos percipiat, & deinde dimittat, mortaliter peccat; & tenetur ad restitutionem omni-

omnium fructuum perceptorum durante tali intentione, nisi voluntatem mutet, & presbyterium in primo anno suscipiat. cap. Commissa. de elect. in 6. & communis sententia ibid. Idem est iudicium, quando quis in principio rectam habet intentionem, sed deinde proponit non fieri Sacerdos: ab illo temporis puncto tenetur restituere fructus. Gloss. in d. cap. Dominicus Sotus libr. 10. de iustitia & iure. q. 5. art. 6. conclus. 1. & alij alibi. Collator etiam qui scienter confert tali, grauissimè peccat, & tenetur Ecclesiam seruare indemnem.

Sexta Conclusio. Qui obtenta parochiali Ecclesia, & habita eius pacifica possessione, infra annum non promouetur ad Sacerdotium, ipso iure statim est ea priuatus sine vlla alia admonitione, & si quos fructus post annum recipit, tenetur restituere. cap. Licet. de elect. in 6. Potest autem Episcopus ratione studiorum ad septem annos dispensare: modò in primo anno promoueatur ad Subdiaconatum, cap. Ex eodem, ibidem.

Septima Conclusio. Qui recipit beneficium simplex, animo nunquam seruiendi Ecclesiæ, sed tantum fructibus eius fruendi peccat. Panorm. & Gloss. in cap. Relatum. de clericis nõ residentibus, Nauarr. in Miscellaneo. 44. & alij alibi.

Octaua Conclusio. Qui bona intentione, id est, animo inseruiendi accipit beneficium, sed

in progressu iusta de causa mutat intentionem non peccat. Nauarr. loc. cit. Quoniam talis actus non habet malam circumstantiam.

Nona Conclusio. Si quis sit dignus ad regendum animas, appetere beneficia curata inferiora, siue Parochias, non est peccatum. Hæc conclusio videtur esse contra S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 1. Cuius doctrinam moderantur Sotus libr. 9. quæst. 7. artic. 3. Aurea Armilla & Caietan. in summa. verb. Beneficium. Confirmatur dicta Conclusio. Ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 18. de reformat. vbi inuitat ad concursum beneficiorum curatorum: Quod fieri non posset, si appetitus esset malus. Hinc petet à fortiori, quod quis potest appetere & procurare beneficia sine cura, quando debitas habet conditiones.

CAPVT II.

DE ACCEPTIONE PERSONARUM, quæ committitur in beneficiorum acquisitione.

CONTINGIT vt plurimum ex acceptione personarum, quod indignæ personæ promoueantur ad beneficia; quare paucis de hoc vitio dicendum.

Acceptio personarum, est iniustitiæ crimen in præsenti, quo in distributione beneficiorum non

non causæ ad rem pertinentis, sed personæ, aliarumque eius qualitatum habetur ratio: vel clarius & breuius ex Alexand. Halen. 2. part. quæst. 136. memb. 1. est iniustitia, qua præfertur persona personæ, propter causam indebitam.

Solet committi acceptio personarum, quãdo non merita earundem, morum honestas, aut scientia considerantur in ordine ad vtilitatem Ecclesiæ: sed ea, quæ extrinsecus adiacent; vt sunt diuitiæ, amicitia, potentia, generis nobilitas, consanguinitas, seruitus, & huiusmodi.

Prima Conclusio. In collatione beneficiorũ Ecclesiasticorum non rarò contingit, acceptio personarum. 8. quæst. 1. cap. Moyses. & cap. Licet. & constat, quia multi prælati Ecclesiastici, & alij collatores ædificãt Sion in sanguinibus; & ratione consanguinitatis, aut affectus carnalis conferunt beneficia, vel eligunt personas ad dignitates. cap. Graue nimis de præbendis.

Secunda Conclusio. Omnis qui sciens, aut debens scire confert beneficium indigno, aut eum scienter promouet ad beneficium Ecclesiasticum, mortaliter peccat. Caietan. 2. 2. quæst. 63. art. 2. Sotus lib. 3. de iustit. & Iure. q. 6. art. 2. Nauarr. de oratione, Miscellaneo. 35. & alij alibi. Quia læditur non solum charitas sed etiam iustitia, cum infidelis sit distributio

indig-

indigno facta. Eadem est ratio de eligentibus indignos.

Tertia Conclusio. Qui confert indigno beneficiũ; vel similẽ ad dignitates eligit, vltra peccatum mortale, quod committit, tenetur etiã Ecclesiæ ad restitutionem omnium damnorum, quæ ex mala promotione, aut electione sequuntur, secũdum communem Doctorum sententiam; quia læditur iustitia, & qui causam damni dat, damnum dedisse dicitur.

Quarta Conclusio. Qui promouet, aut eligit indignum ad beneficium, aut dignum scienter omisso digniori, mortaliter peccat. Caietan. in summa verb. Beneficium. Sot. loc. cit. & alibi. Nauarr. Miscellan. 38. Quia quisque in conscientia digniorem tenetur eligere, quem nouerit secundum iudicium conscientiæ, secundum communem tam Theologorum, quam Canonistarum sententiam: quicquid Gloss. in can. licet. 8. quæst. 1. & in cap. Nobis de elect. & aliqui canonistæ contradicant. Canonistarum communem esse sententiam demonstrat Decius in cap. Constitutis. 2. de appellat. & attestatur Nauarr. loc. d. Quia huiusmodi promotio est contra iustitiam distributiuam, vt tradit S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. peccata autem contra iustitiam sunt mortifera secundum eundem ibidem. q. 59. art. 4. nisi exiguitate damni excusentur. Hanc conclusionem Caiet. & Sotus moderantur, quod in simpli-

plicibus beneficijs solũ venialiter peccet, qui promouet dignum postponendo digniorem.

Quinta Conclusio. Quando eligitur dignus omisso digniori collatio tenet; nec rescinditur. S. Thom. in d. quæst. 63. artic. 2. ad 3. communiter receptus, & constat capit. Cum olim. capit. Cum dilecti. de elect. & cap. Nonnulli. de cleric. non resident. & sic intelligenda iura, quæ videntur saltem requirere, vt dignus eligatur.

Ratio huiùs conclusionis redditur, quia aliàs quælibet electio pateretur calumniam, cum haud facilè sit iudicare semper quis dignior. Ex dictis in primis infertur eum mortaliter peccare, qui eligit aliquem, de quo non habet notitiam, siue per se, siue per alios: qui cum ipso conuersati sunt, secundum Panormitan. capit. Bonæ memoriæ. 2. de postulat. prælatorum, & capit. Scriptum. de elect. Quia talis non potest secundũm suam conscientiam eligere bonum; aut meliorem, cum personam non nouerit. Informatio ergo recipienda de persona, quæ eligenda, aut cui beneficium cõferendum. Deinde quando aliquis in collatione, aut electione bona fide, & syncero animo procedit adhibita diligẽtia morali secundum argumenta humana, etiamsi erret non eligendo, aut promouendo digniorem, non peccat mortaliter: quia iudicia humana diri-

gun-

guntur humanis argumentis, quę quandoque fallunt.

Sexta Conclusio. Collator beneficiorum Ecclesiasticorum præsertim habentium curam animarum, non statim atque sciuerit illa vacare, debet conferre: nec etiam primo supplicii absque consideratione vlla distribuere. Probatur Conclusio in primis iure naturali: Qui enim tenetur aliquid facere bene, debet præmittere id, sine quo illud fieri nequit, cap. Præterea. de offic. deleg. At ex superioribus constat, non posse fieri collationes bene, nisi in primis merita personæ cognoscantur, & considerentur, ac conferantur. Ad idem facit illud Apostoli. 1. ad Timoth. 5. Nemini citò manus imposueris, vbi S. Thomas sic inquit. Agit de promotione, & monet. Quod sicut non debet cito punire: ita non debet cito promouere. Neq; communicaueris peccatis alienis. In quæ verba addit idem S. Thomas: Quasi inordinatè promoueas, & ex hoc contingat peccatum eis, vel in plebe, hoc tibi imputabitur. Hæc etiam Conclusio manifesta est ex Concil. Trident. sess. 24. capit. 18. de reform. quod vult beneficia conferri per concursum, & examen. Vide pro hac Conclusione Navar. in Miscell. 40. à nu. 3.

Septima Conclusio. Si quis confert beneficium consanguineo ratione sanguinis: vel diui-

diuiti, aut potenti ob diuitias, & respectum humanum, committit acceptionem personarum, 8. quæst. 1. capit. Moyses. ex S. Hieronymo in cap. 1. ad Titum. & ibidem in cap. Apostolica. & S. Thom. in d. quæst. 63 communiter recepto. Summistæ in verb. Acceptio personarum. & euidens est ex descriptione acceptionis personarum posita. Quando autem cõsanguinei sunt æquè digni, atque reliqui sine acceptione personarum prælatus potest eos præferre: Quia cæteris paribus est locus gratificandi ratione amoris: Nisi scandali periculum obsit. Eadem est ratio in electione.

CAPVT III.

DE PLVRALITATE BEneficiorum.

ANTE resolutionem notandum ex S. Thoma quodlib. 9. artic. 15. quod triplex estactionum ordo. Quædam enim deformitatem habent inseparabilem, vt mendacium, fornicatio, &c. Quædam sunt indifferentes; vt deambulare, ridere, &c. Quædam absolutè consideratæ habent quandam deformitatem adiunctam, si tamen debitis circumstantijs vestiantur licitè fieri possunt: vt occidere absolutè est illicitum, si quis tamen defensionis gratia, aut causa executionis iustitiæ occidat, licitum est.

Prima

Prima Conclusio. Habere plura beneficia, quàm vnum, non est de genere earum rerum, quæ sunt per se malæ: Quoniam in aliquibus casibus licitum est habere plura, vt infra patebit.

Secunda Conclusio. Pluralitas beneficiorum est ex gradu rerum habentium speciem mali & periculosarum: constat ex capit. De multa. & cap. Extirpandæ. de præbend. & dignitatib. & in Extrauag. Execrabilis. eodem tit. vbi mala numerantur, quæ ex pluralitate nascuntur. Quare in capit. Quia prohibetur. ibid. multitudo præbendarum canonibus inimica dicitur. Rectè ait, S. Bernard. à S. Thom. loco dicto citatus. Qui non vnus sed plures in beneficijs est, non vnus, sed plures erit in supplicijs.

Quoniam multi præsertim hoc exulcerantissimo tempore aut in Ecclesia Dei de statu Ecclesiastico, immemores sui ordinis, vocationis & periculi, in quo versantur, quipluria beneficia possident, quibus ne in minimo quidem satisfaciunt, pro maiorum & fundatorum intentione, quique multò plura desiderant, nec desiderare cessant, donec infernus eorum animas absorbeat, vtile & necessarium visum est hoc loco in hac tertia editione rationes aliquas adiungere, quibus beneficiorum pluralitas detestanda ostenditur. De hoc autem argumento latius scripserunt Gulielm. Parisiens.

ſienſ. Epiſcopus in libr. de collatione Beneficiorum. S. Thom. quodlib. 9. artic. 15. Guilhelmus Perald. Lugdunenſis Epiſcopus tom. 2. de virtutibus & vitijs in tract. de auaritia à capit. 11. Dionyſius Carthuſian. in tract. contra pluralitatem benefic. & in dialogo de eadẽ materia. Cardinal. Alexand. & Turrecrem. in cap. Singula. d. 89. Aluarus Pelagius, de planctu Eccleſiæ. lib. 2. art. 9. Ioan. Selua. de beneficio. 3. par. q. 39. Ioan. de Lignano in tractat. de plural. benefic. in 4. vol. Oceani iur. Canoniſtæ in cap. De multa. & in cap, Extirpandæ. de præbend. Angel. in verb. Beneficium à §. 34. Syluester eodem verb. 4. & alij alibi.

Ante omnia præſupponendum cum S. Thoma in dict. art. 15. quem Cardinal. Alexandrin. Turrecrem. Syluester & alij in hoc ſectantur, quod hæc quæſtio in iure diuino, expreſsè non inuenitur determinata, cum in ſacra ſcriptura expreſſa mentio de ea non fiat, quamuis ad eam illuſtrandam argumenta ex auctoritatibus ſcripturæ adduci poſſint, quæ tamen non dilucidè veritatem oſtendunt.

Prima Ratio. Ex ijs quæ ex ſacris literis deſumi videntur contra pluralitatem Matth. 6. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire: Aut vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Quæ verba ſeptima ſynodus cap. 15. ad propoſitum allegat, cuius definitio inſeritur in capit. Cle-

cus.21. q.1.his verbis:Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus Ecclesijs. Negociationis enim hoc est, & turpis lucri proprium, & ab Ecclesiastica consuetudine penitus alienum. Audiuimus enim ex ipsa Dominica voce, quod nemo potest duobus dominis seruire,&c. Et post pauca. Vnusquisque enim secundum Apostolicam vocem in quo vocatus est,in hoc debet permanere,& in vna locari Ecclesia. Quæ enim per turpe lucrum in Ecclesiasticis rebus efficiuntur, aliena consistunt à Deo: Ad vitæ verò huius necessitatē studia sunt diuersa,&c. Facit & illud Esaiæ,capit.5. Væh qui coniungitis domum ad domū, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci, nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? Et quomodo ergo non erit væh eis,qui accumulant beneficia beneficijs,&coniungūt dignitates ad dignitates,& copulant etiā more auarorum negociatorum minimas modicasq; præbendas maximis,ac si ipsi soli in medio Ecclesiæ viuere ac dominari deberent?

Secunda Ratio. Ex iure naturali. Contra ius naturæ est, quod vnum membrum habeat locum in diuersis corporibus, vt lippis & tonsoribus notum est. At vna Ecclesia vnum corpus est,arg.sumpto ex Apostolo.Roman.12.& Corinth. 12.& ad Ephes.4.Personæ autem deputatæ per beneficij titulum ad Ecclesiæ ministerium sunt membra Ecclesiæ, arg. eorum

quæ

quæ loc.cit. Apostolus profert.& cap.Singula. ex B. Gregorio.d.89.

Tertia. Eidem iuri naturali repugnat quod caput vnius corporis, sit membrum alterius. At per pluralitatem beneficiorum contingit quod prælatus, qui est caput suæ Ecclesiæ, sit manus in alia, id est canonicus, vel cãtor. Hinc rectè in cap. Ad hæc licet, de præbend. Gregor. Salernitano Archiepiscopo scribit, quod illud est omni rationi cõtrarium, vt vnus clericus in vna, vel diuersis Ecclesijs, plures dignitates, vel personatus obtineat: quoniam singula officia in Ecclesijs assiduitatem exigant personarum.

Quarta. Nihil magis natura abhorret quam monstrum. At pluralitas beneficiorum generat monstra, tollit enim vni Ecclesiæ aut caput, aut oculum, aut aliquod membrum, sicque eam monstruosam reddit. Qui enim plura beneficia habet in diuersis Ecclesijs, cum pro eodem tempore in diuersis locis esse non possit, in vna Ecclesia tantum residere & officium explere potest.

Quinta. Pluralitas beneficiorum sacris canonibus inimica est. cap. Quia in tantum, de præbend. Hinc iura canonica passim prohibent pluralitatem. cap. Sanctorum. dist. 70. 21.quæst. 1. cap. Clericus. & capit. Clericum. & de præbend. d. capit. Quia in tantum. & cap. Ad hæc. cum seq. & cap. De multa. & in

Extrauag. Ioan. 22. quæ incipit: Execrabilis, de præbend. & Concil. Tridentinum. sess. 24. de reformat. capit. 10. in dicta Extrauag. Execrabilis. inconuenientia significantur, quæ quæ ex pluralitate beneficiorum sequuntur.

Primum. Interdum vnus qui vnicum quamuis modicum officiũ vix implere potest, plurimorum sibi vendicat stipendia, quæ multis literatis viris vitæ puritate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abundè sufficere, si æqua fieret distributio. Vt plurimum talis est inordinatio in Ecclesia, q̃ asini quo sunt maiores, eo pluribus sunt onusti beneficijs.

Secundum. Ipsis habentibus materia vagandi paratur. Cum in diuersis distantibusque locis beneficia possideant, necesse est sæpius huc atque illuc discurrere reditus colligere, negotia procurare nunc hîc, nunc illic aliquo tempore residere, atque ad talem corporis diuagationem, sequitur etiam animi inconstantia & morum dissolutio inducitur. Imo vt hoc addatur deprauatio disciplinæ Ecclesiasticæ sæpè inde nascitur: Qui in diuersis locis beneficia tenent, diuersorum etiam morum formam induunt, pro varietate hominum, cum quibus conuersantur. In vno loco disciplina omninò iacet, in alio quod dolendum est, tamen verum est, in Germania pro parte canonici sunt Hæretici. In tertio propriam Ecclesiam vbi

vbi resideant non habent, sed vice residentiæ in oppido designato tanquam securales, & oues errantes vagantur, donec tempus impletum sit. Hinc quando ad Ecclesiam, vbi adhuc parum pietatis & veteris disciplinæ est, redeunt, vnus longas latasque lactucas colligit, secundus dissectas caligas inuehit, tertius rubeas adportat, quartus verecundia suffunditur, si clericali veste incedere debeat, sic breui veste indutus, gladioque accinctus limina Ecclesiæ petit, ibique clericum induit, & exteriorem secularem habitum relinquit donec egrediatur, & sic de reliquis. Vnde horum exemplo, quandoquidem iuuētus est prona ad malum, alij corrumpuntur, & canonica disciplina aboletur.

Tertium Inconueniens. Diuinus cultus minuitur, qui potius foret audendus, capit. Ex parte, de constitution. dum vnus multis beneficijs præest, quia numerus Deo in loco seruientium decrescit in Ecclesia, vbi DEVS laudandus. Sicut enim cœlum ornant stellę: sic Ecclesiam splendidiorem reddunt personæ diuinum ministerium puro corde, morum grauitate, animi alacritate, ac mentis deuotione, nec non voce exequentes, & fructus labiorum suorum altissimo reddentes.

Quartum. Hospitalitas debita in ipsis beneficiorum locis non seruatur ob absentiam beneficiariorum.

Quintum. Detrahitur honori & commodis Ecclesiarum.

Sextum. Iura & libertates Ecclesiarum perduntur & negliguntur.

Septimum. Ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia maiorum & antecessorum extruxerat.

Octauum. Quod amarius dolendum est, cura animarum negligitur. Hæc pluralitas, animarum continet periculum d.c. Quia in tantum, & cap. Dudum. 2. de elect.

Nonum. Vitiorum sentibus fomentum periculosè præbetur.

Decimum. Additur à S. Thoma. in d. art. 15. S. Antonin. in 3. part. tit. 15. cap. 1. §. 8. Cardin. Alexand. & Turrecrem. loc. cit. Gabr. in 4. d. 15. quæst. 8. art. 3. notab. 3. & latius super canon. missæ lect. 28. in lit. P. & alijs alibi. Videlicet defraudatio voluntatum testatorum, & fundatorum, qui ad hoc sua bona Ecclesijs contulerunt, vt certus numerus Deo seruientium in ea Ecclesia esset. Qui autem in absentia fructus percipiunt, diminuunt illum numerum: ita quod aliquando vbi deberent esse triginta aut quadraginta canonici ex fundatione & primæua institutione, vix sint residentes sedecim in Ecclesia, vt experientia compertissimum est in multis locis, & sic vt Gabriel in d. lect. ait, violatur iustitia, frangitur fides, fraus committitur, animæ defun-

ctorum

ctorum à pœnis tardius liberantur, à cœli gaudijs diutius suspenduntur, ac per hoc tota cœlestis curia lætitia, quam de eorum haberet præsentia, spoliatur, & Dei cultus minuitur.

Sexta ratio contra pluralitatem. Ea est inimica etiam legibus ciuilibus, quæ improbant, vt quis duas militiæ præfecturas simul habeat. C. Qui militare non possunt. l. His quidem. libr. 12. aut duo collegia. l. 1. ff. de colleg. illicitis, &c.

Septima. Illud illicitum & inhonestum de quo erubescendum est. Quandoquidem verecundia non est nisi de inhonesto, auctore Aristotele libr. 2. Rhetoric. Sed de pluralitate beneficiorum in Ecclesia, est erubescendum, arg. cap. Singula, versus finem. dist. 89. & auctoritate Chrysost. allegata à D. Thom. in d. artic. 15. asserentis: Quod tenebra erubuit: lumen erubescat: Quod figuræ non fuit concessum, rei reor esse illicitum. Figuræ autem, id est, veteri testamento non fuit concessum, quod inter leuitas qui capiebat in Bethlehem, caperet in Hierusalem: Cum ergo perfectiores esse debeamus, qui capit in Tyro, non capiat in Damasco. Hæc Chrysost. Sed proh dolor, nunc quidam auaritia, ambitione, & inordinata viuendi ratione excæcati induratique, ita perfricuerunt frontem, quod nec erubescerent, si omnia beneficia et-

iam ampli ac opulenti Episcopatus tenerent, sed potius exultarent: Sed id non mirum, cum etiam quibusdam hoc tempore, quo omnis antiqua canonum patrumque disciplina ab Ecclesiasticis reijcitur, non erubescendum videatur, quamuis plurimis beneficijs ornati seu potius onusti sint, nec non egregijs honorum titulis insigniti, si publicè cũ multorum scandalo eorum concubinæ in curribus & rhedis vehantur, & circumducantur. Et tamen ille insignis, si Dijs placet, comitatus patrimonio CHRISTI, non solum viuit, sed etiam luxuriatur. Multa contra beneficiorum pluralitatem congerunt Guilhelm. Parisiensis & Carthus. vbi supra. Atque sic libet cõcludere verbis Ioannis Diaz. Episcopi in practic. criminal. capit. 42. quæ etiam adfert Rebuff. in praxi beneficior. 2. part. titul. de dispensat. ad plura beneficia. Quid enim rationi naturali magis aduersum, quam quod vnus & idem varia Ecclesię stipendia in varijs & distantibus sæpè locis, & quibus varia incumbunt onera, in seipso suscipiat? Quæ est enim humana Respubl. quæ suos iudices, rectores, & alios officiarios stipendijs in absentia frui & vagari permittat? quis in sua quantumuis ampla & ditissima domo, vni ministro absenti salaria plurium persoluit? ac ab eo quoscunque suo nomine subrogatos admittit? Sola domus Dei Ecclesia sancta tali inordinatione suo priuatur ministerio,

ſterio, ac debitis fraudatur obſequijs, quid debet Eccleſia Dei plurium nobilium vanitati, vt patrimonio IESV CHRISTI dilectiſſimi ſponſi ſui, q̃ flagellis, alapis, ſanguinis quoque effuſione quæſiuit, eorum alat accipitres, educet canes, ſaginet equos, nutriat lenones, ac adulatores, & ſeditioſos homines, qui paſſim rempublicam turbent? Sic ille.

Tertia Concluſio, Qui habet beneficium curatum, dignitatem, aut perſonatum in pacifica poſſeſſione, eſt inhabilis ad ſimile beneficium, etſi aliud acceptet, ipſo iure eſt priuatus primo, & ſi pergit retinere, perdit vtrumque, & fit incapax ad quodcunque aliud, & etiam ad ordines ex dict. Extrauagan. Execrabilis. & capit. De multa. & capit. Cum iam dudum. de præbend. capit. Ordinarij. de officio ordinarij in 6. Concil. Trident. ſeſſ. 7. capit. 4. & 5. de reformat. & ſeſſ. 24. cap. 17. de reform.

Beneficium curatum eſt, quod habet curam animarum ſiue in foro conſcientiæ, ſiue in foro fori.

Dignitas, eſt quædam præeminentia cum adminiſtratione in choro, ſtallo, & capitulo, & vocatur aliquo nomine dignitatem ſignificante, & pro ea habetur ſecundum conſuetudinem loci.

Perſonatus & dignitas, vt plurimum pro eodem accipiuntur, tamen etiam aliquando officium ſignificat in Eccleſia collegiata per-

ſonatus, vt primiceriatus. cap. Cum accesſ. ſent. de conſtitut. Perſonatus autem in propria ſignificatione, aut officium, aut dignitem in Eccleſia collegiata denotat, iuxta c. De multa. de præbend. & cap. Dudum .2. de elect. & Doctores ibidem. Quare in dictis canonibus non compatitur ſecum aliud ſimile beneficium, quia vnumquodque eorum requirit ſeruitium, & reſidentiam in loco. Hinc Bald. in dicto capit. Dudum 2. num. 12. Perſonatus eſt quædam excellentia in Eccleſia cum adminiſtrationis annuæ gradu: & dicit Magiſter ſententiarum perſona idem eſt, quod per ſe ſonans. De his latè DD. canonum in d. capit. De multa. & capit. Dudum. 2.

Hoc tamen addere placet non eſſe perſonatus, de quibus canones loquuntur, Eccleſias curatas, quas in noſtris partibus nomine perſonatus donamus, exiſtentes in ea opinione, cõtra ſacros canones & communem DD. ſententiam, quod perſonatus non requirant reſidentiam: Quare hunc titulum perſonatus tribuimus melioribus & pinguioribus beneficijs curatis, vt oues ſub tali calore rectius tondere, & mercenarios introducere valeamus. Sed Deus qui non eſt acceptor perſonarum, ſuo tempore reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Videtur autem hoc nomen perſonatus relatum ad curam paſtoralem ex conſuetudine Anglicanæ Eccleſiæ, vbi curati dicuntur

tur personæ, vt sentiunt Innocent. Ioan. Andræas, Cardinalis Zabarella & alij in d.cap. De multa.

Quarta Conclusio. Pluralitas beneficiorum Ecclesiasticorum incompatibilium, & requirentium residentiam cum dispensatione potest esse licita. Constat. ex dict. capit. Ordinarij, & Concil. Trident. in d. sess. 7. ca. 5. & communi sententia: Talis autem dispensatio debet à sede Apostolica impetrari, cum cognitione & relatione causæ: & valoris beneficiorum: Nec sufficit in his iusta causa, nisi dispensatio coniuncta sit propter ius positiuum.

Quinta Conclusio. Qui sine iusta causa impetrat dispensationem etiam à pontifice, in foro conscientiæ, & apud Deum, licet in foro exteriori non molestetur, non est tutus, S. Thom. loc. citat. Gabriel, vbi supra artic. 3. Henric. de Gandauo quod li. 2. Sot. lib. 3. de iust. & Iure. quæst. 6. artic. 3. Nauarr. in Manuali confess. capit. 25. num. 128. & in Miscellaneo 60. de orat. Panorm. Ioan. Andræas, Hostiens. in cap. Cum dudum. de elect. Summistæ in verb. Beneficium. & alij alibi. Quia Pontifex non est beneficiorum Dominus, sed dispensator, & dispensatio sine iusta causa non dispensatio, sed dissipatio est, cum sit contra voluntatem Domini, vnde S. Bernard, ad Rubertum ait. Quid tibi blandiris de dispensatione, cuius conscientia tenetur diuina sententia ligata.

Iusti-

Iustitia autem causæ semper est metienda in ordine ad vtilitatem Ecclesiæ, & non ad cõmodum priuatæ personæ, vt canones & DD. tradunt. Quare potentia, eminentia, eruditio, industria, & prudentia parum ad hunc effectũ conferunt, si magis obsint, quàm prosint Ecclesiæ, vt proh dolor hisce temporibus non rarò luce meridiana clarius cognoscimus. Si quis autem plura beneficia possideat ad splendidiorem victum, luxum, pompam, & generis splendorem: aut ad augendum ditandumque statum coniunctorum sanguine, non erit tutus apud potentissimum iustissimumque Deũ, licet in suo splendore & pompa, apud cæcum mundum, beatus prædicetur, vt communis doctrina est.

Sexta Conclusio. Quandocunque vnum beneficium etiam simplex sufficit ad decentem sustentationem, non est licitum aliud habere, secundum communem sententiam, & Concilium Tridentinum. session. 24. cap. 17. de reformat. Quia beneficia sunt instituta, vt qui altari inseruit, de altari viuat: Quando ergo vnum beneficium ad honestam vitam sufficit, non est ratio possidendi aliud. Quod autem beneficium sit sufficiens ad decentem sustentationem, non auarus, non gulosus, nõ superbus, sed pius, prudens & timoratus iudicabit. Qui autem impiæ cupiditatis affectu, ea quæ benè constituta sunt, varijs artibus eludere, &

plura

plura ſimul beneficia obtinere nõ erubeſcunt, ſeipſos & non Deum decipiunt, vt Concilium Tridentinum ſeſſion. 24. de reformat. cap. 17. rectè atteſtatur.

Septima Concluſio. Poteſt quis tenere duo beneficia ſimplicia non requirentia reſidentiam, quando vnum non eſt ſufficiens ad ſuſtentationẽ, etiam ſine diſpenſatione. capit. Gratia. de reſcriptis in 6. & hæc eſt communis DD. ſententia in cap. Iam dudum. &c. Extirpandæ. §. qui vero, de præbend. vt teſtis eſt Nauarr. loc. cit.

Octaua Concluſio. Si quis habet dignitatem, aut beneficium curatum, quod ad decentem ſuſtentationem non eſt ſufficiens, poteſt obtinere aliud ſimplex, modo perſonalem reſidentiam non requirat. Concil. Tridentinum loco citat.

Nona Concluſio. Non ſolum peccant, qui quærunt, & parant inordinatè ſibi plura beneficia, ſed etiam cognati, amici, & Domini, qui eis in hoc fauent, vt in ſpecie tradunt Doctores. Pariſienſ. in 4. ſentent. d. 24. q. 40. & Nauarr. in Enchiridio de orat. cap. 22. num. 61. & in Miſcellaneo. 60. Quia digni ſunt morte nõ ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Rom. 1.

Decima Concluſio. Qui plura beneficia poſſidet, quorum vnum ſufficit ad decentem ſuſtentationem ſine iuſta cauſa & diſpenſatione, plu-

pluries eodem die tenetur dicere horas canonicas, secundum Guilhelm. Parisien. in tract. de collation. beneficiorum. Dionys. Carthus. de pluralitate beneficiorum. art. 8. Nauarr. loc. cit. In eandem sententiam ire videtur Albert. Ferrariens. de horis canonicis num. 34. dum ait, vsum huius seculi seruare, vt qui habet plura beneficia, semel tantum horas dicat, se autem nescire, an vsus futuri idem seruet.

Quia vnumquodque beneficium, sicut suũ habet commodum, ita etiam onus. Onus autem annexum beneficio Ecclesiastico est oratio horarum canonicarum, iuxta omnium sententiam: Qui ergo duo obtinet beneficia iniustè, duo vt ferat onera necesse est, iuxta illam regulam. Commoda qui sentis iungas onus emolumentis. ff. de regul. iuris. Quemadmodum ait, Episcopus Parisien. quot feuda vnusquisque tenet, tot debet inde seruitia: Sic quot præbendas, vel beneficia vnusquisque detinet, tot debet inde Ecclesiastica seruitia. Ex hac conclusione cum prædictis auctoribus infertur eum, qui inordinatè plura beneficia habet, & semel tantum in die horas recitat, ex duplici capite ad restitutionem fructuum obligatum esse, tum quia iniustè possidet beneficia, tum quia non recitat horas pro multitudine beneficiorum.

Vndecima Conclusio. Qui canonicè, & iustè ex dispensatione, aut iusta consuetudine, quæ

vim

vim dispensationis obtinet, si non repugnet iuri naturali, aut diuino, plura beneficia obtinet, non tenetur nisi semel dicere horas canonicas. S. Thomas quodlib.1. artic. 13. communiter receptus. Ioan. à Lignano de horis canonicis. Nauarr. loc. citat. & alij alibi: Quia in hoc casu dispensatio, aut iusta consuetudo, si vnum non sufficit ad sustentationẽ, ex duobus facit vnum ob necessitatem, pietatem, & vtilitatem. Aut in hoc casu plura beneficia dicuntur vnũ, sicut in magnis frigoribus multæ tunicæ vna dicuntur morali vnitate, vt post Gersonem. Gabriel lect. 28. in lit. P. super canonem missæ, loquitur.

Duodecima Conclusio. Qui babet vnum beneficium non sufficiens ad sustentationem, si secundum per se sufficiens consequatur, debet prius dimittere, etiamsi iure, consuetudine, aut dispẽsatione essent compatibilia: Quia omne beneficium sufficiens per se ad decentem sustentationem, non est compatibile cum alio absque culpa mortali, vt constat ex Glossa, capit. Dudum. 2. de elect. cuius doctrinam Conc. Trident. sess. 24. cap. 17. de reform. confirmauit. Vide Nauarr. in Miscellaneo. 61.

Ex qua conclusione, & alijs supradictis liquidum est, eum, qui obtinet curatum beneficium, vel dignitatem per se sufficientem, non posse petere, aut obtinere etiam aliud sim-

ſimplex ſimul cum priori : Cum Concilium Trident. concedat tantum ſimplex, quando curatum, aut dignitas non eſt ſufficiens ad ſuſtentationem.

Decima tertia Concluſio. Qui inordinatè contra iura & canones plura obtinet beneficia, ſi hoc conſtet, non eſt abſoluendus in foro conſcientiæ, niſi quæ ſic obtinet, demittat, ſecundum communem ſententiam. Quia qui in ſtatu peccati vult manere, non eſt contritus, & ideo non abſoluendus: Talis autem eſt, qui inordinatè plura tenet beneficia, ſi non habeat animum dimittendi.

CAPVT IV.

DE SIMONIA.

IN acquiſitione, aut demiſſione beneficiorũ ſolet quandoque Simonia intercedere, proinde hoc loco de ea agendum.

De materia Simoniæ legendi canones, prima cauſa per aliquot quæſtiones, & in tit. de Simonia Doctores canonum ibidem. S. Thomas 2.2, q. 100. Alij Theologi in 4. d. 25. Dominicus Sotus lib. 9. de iuſtitia & iure. à q. 5. vſque ad finem. Franciſcus Victoria in relect. de Simonia. Summiſtæ in eodem verb. Nauarr. in Manuali confeſſ. cap. 23. à num. 99. & nos latiſſi-

tissimè agimus in commentario. tit. iuris canonici de Simonia.

Vnde Simonia nomen acceperit. Actor. 8.

Simoniæ peccatum nomen accepit à Simone Mago, qui potestatem conferendi Spiritum sanctum voluit emere ab Apostolis, vt patet. Quare respõsum accepit à sancto Petro: Pecunia tua tecum sit in perditionem; quia existimasti donum Dei pecunia possideri.

Quid sit Simonia.

Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum, vt communiter DD. definiunt, pro intelligentia, definitio paucis explicanda est.

Explicatio definitionis Simoniæ.

Dicitur (studiosa) quia ad Simoniam requiritur deliberatio, (voluntas) ad includendum Simoniam mentalem; quæ non transit in opus exterius. (Emendi & vendendi.) Quia Simonia vtroque modo potest committi: Nomine autem emptionis & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus, & transactio; Renunciatio, Permutatio, &c. (Aliquid spirituale) Spirituale hîc intelligimus omne donum spirituale diuinitus particulari ratione datum & institutum, quod nos ad gratiam in præsenti, & ad gloriam in futuro promouet. Huiusmodi autem spirituale est triplex. Quoddam per essentiam; vt dona Spiritus sancti, gratia, virtutes infusæ: Aliud per causam; vt sacramenta, & sacramentalia. Tertium per effectum; vt prædi-

care, orare, diuina peragere, &c. (vel spirituali annexum) hæc particula adiungitur ad comprehendendum ea, quæ non sunt per se spiritualia, sed habent dependentiam à spiritualibus; vel ordinantur ad ea; vt sunt iura patronatus, & sepulturæ, calix consecratus, præbendæ, canonicatus, & beneficia, vnde Sacerdotes viuunt.

Simonia est triplex. Mentalis tantum, Conuentionalis tantum, & Realis. Mentalis est Simonia tantum mente concepta, sine vlla conditione tacita, vel expressa, siue aliquid tradatur, siue non, & hæc est duplex: Purè mentalis, quæ tantum consistit in mente, & voluntate, & Mentalis, quæ quidē progreditur ad opus, sine tamen pacto.

Conuentionalis tantum, quando intercedit pactum tacitum, aut expressum, & hæc itidem duplex. Vna purè conuentionalis, quando tantum fit conuentio, nihil tamen datur, vel accipitur. Alia quando præter conuentionem siue pactum, ex vna parte tantum aliquid datur, aut recipitur: Quare dici potest Semirealis.

Realis est, quando accedente pacto spirituale traditur, & temporale accipitur, exempli gratia, Petrus conuenit cum Paulo, vt canonicatum ex quo nihil emolumenti propter absentiam percipit, sibi resignet pro 200. aureis. Paulus resignat, & Patrus pecu-

niam

niam tradit: hæc eſt Simonia Realis. Similiter eſt Realis, quando pars pretij ſoluitur, etiamſi non tota ſumma ſtatim tradatur, exempli gratia, Petrus non eſt ſoluendo, dat Paulo tantũ ad computum triginta aureos.

Simonia ex ſuo genere eſt peccatum grauiſſimum. Actor. 8. Pecunia tua tecum ſit in perditionem, &c. 4. Reg. 5. cap. de Giezi. 13. Reg. de Ieroboam. Nu. 22. in Balaam & alibi, & ex tit. de Simonia.

Ad hæc ſpirituale nullo modo æſtimari poteſt pecunia, vt conſtat ex dict. cap. Actor. Quia exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri: ergo iniquiſſimum eſt velle vendere, aut emere ſpirituale. De grauitate huius peccati plurima adducit Guilhelmus Peroaldus Lugdunenſ. Epiſcopus Tomo 2. de virtutibus & vitijs, in tractat. de auaritia. capit. 7.

Tandem in materia Simoniæ, nomine pecuniæ intelligitur quicquid pecunia æſtimari poteſt, ſecundum communem DD. ſententiam. His in communi præſuppoſitis ad reſolutionem particularium per concluſiones deſcendendum eſt. *Quid nomine pecuniæ in definitione Simoniæ accipiatur.*

Prima Concluſio. Miniſtri Eccleſiæ & altaris, ſine vitio Simoniæ poſſunt accipere à populo neceſſaria ad ſuſtentationem. Hanc concluſionem probat Apoſtolus, cum ait, quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? Quis plantat *1. Corin. 9.*

vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? & post pauca. Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? & qui altario deseruiunt, cum altario participant, &c. Dicta conclusio non solum est iuris diuini, sed etiam naturalis: Quare nemo sapiens in ea dubitat.

Secunda Conclusio. Pro spirituali sacramentorum gratia pecuniam accipere, aut dare, crimen Simoniæ est. 1.q.1. can. Gratia. & cap. Ad Apostolicam. eod. titul. Quia de ratione gratiæ est quod gratis detur, alioquin si venderetur gratia non esset gratia. Hinc in Euangelio. Gratis date, gratis accepistis.

Matth. 10. *Tertia Conclusio.* Spirituales actiones, quæ exercentur in sacramentorum administratione, vendere, vel emere est Simonia, ex d. cap. Ad Apostolicam, & communi sententia. Quia iuxta Regulam Caietan. in verb. Simonia, nulla res composita ex spirituali & corporali, si in ea principale sit spirituale, vt in sacramentalibus actionibus, absolutè potest vendi, aut emi: Aliàs intelligitur emi, vel vẽdi spirituale, quod est principale.

Quarta Conclusio. Quando aliquid datur ministris Ecclesiæ gratis in administratione sacramentorum: aut ex antiqua consuetudine: aut statuto superiorum; accipere non est Simonia, ex d. cap. Ad Apostolicam. & communi

muni sententia DD. quia huiusmodi censentur esse pro sustentatione ministrorum Dei, debet autem abesse intentio praua, nec tale aliquid ab inuitis exigendum per spiritualium subtractionem; sed gratis administratis spiritualibus, nolentes possunt cogi à potestate superiori ad obseruationem consuetorum, ex d. cap. Ad Apostolicam. & S. Thom. communiter recepto. 2. 2. q. 100. art. 3.

Quinta Conclusio. Accipere aut exigere aliquid per modum pretij pro consecratione Episcoporũ, benedictione Abbatum, velamine virginum; & alijs actibus similibus: qui benedictione & consecratione perficiuntur, est Simonia. 1. q. 1. cap. Ordinationes. & capit. De ordinationibus. & capit. Quibusdam. & alijs ibidem. cap. 1. de Simonia. & communi sententia. Si autem alicubi sit prisca consuetudo, vt in huiusmodi actibus Hierarchicis aliquid retribuatur, credendum illud tanquam sustentationis stipendium fuisse introductum, ex S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 4. communiter recepto, & Soto quæst. 6. art. 1. loc. cit. & alijs alibi.

Sexta Conclusio. Pro collatione ordinum quorumcunque clericalis etiam tonsuræ, dimissorialibus literis, testimonialibus, aut sigillo, nullo prætextu potest aliquid accipi: aut exigi, capit. 1. de Simon. Concilium Tridentin. session. 21. capit. 1. de Reformat. Eadem

est ratio de examine. Notarius autem Episcopi, quando à publico non habet statutum salarium, pro singulis literis demissorijs, & testimonialibus, potest accipere decimam partem aurei, quæ secundum cursum nostræ monetæ videtur facere tres batzios, vt ex praxi Romanæ curiæ colligere possumus, vbi pro singulis testimonialibus iulius accipitur.

Quando autem notarius plus accipit ascendendo pro gradu & dignitate ordinum, exempli gratia, plus pro testimonialibus Diaconatus, quam Subdiaconatus, & plus pro Presbyteratus, quàm Diaconatus, Simoniacus est. Quia in tali casu taxatur, & venditur dignitas ordinum; quæ vendi & taxari non potest. Notario autem nihil competit nisi ratione laborum. Vide Nauarr. in Manuali, capit. 23. num. 102. & capit. 25. num. 54. & nos in capit. 1. de Simonia quæst. 1. conclus. 5. Ex dicta conclusione & Concilio Tridentin. infero taxas, statuta, & consuetudines etiam immemorabiles quorumcumque locorum, quæ potius abusus & corruptelæ sunt, censendas Simoniacas, & percipientes, plus quàm à Concilio Tridentino statutum est incidere in pœnas à iure contra Simoniacos decretas. Hinc qui pro testimonialibus ordinum & dimissorialibus plus accipiunt, non solum mortaliter peccant, & iniustè faciunt, sed etiam Simoniaci sunt. Quod notandum pro quibusdam, qui pro dimisso-

dimissorijs non verentur quandoque extorquere aureum aut plus. Et quando Episcopi directè, vel indirectè in his participant, grauius peccant.

Septima Conclusio. Qui dant certas eleemosynas alicui Ecclesiæ, aut monasterio adiecta conditione, vt certa opera spiritualia exerceantur, vt missæ, orationes, aut eleemosynæ, &c. Non committunt Simoniam nec dantes, nec recipiẽtes. Debet tamẽ recta esse intentio, vt huiusmodi eleemosynæ dentur pro sustentatione, & causa excitante ad opera pia, & non pro pretio rerum spiritualium, quæ nulla pecunia æstimari possunt. Constat conclusio ex cap. Significatum, de præbend. Gloss. & DD. ibidem. Concilio Trident. sess. 25. cap. 4. de reformat. & vsu totius Ecclesiæ; cui si quis contradicat, temerarius est. Talis obligatio cum onere & honore transit ad successores in Ecclesia, vel beneficio, ita vt quicunque huiusmodi temporalia percipiunt, teneantur onera imposita adimplere. Quod si neglexerint, grauissimè peccant, & piæ animæ, quæ talia disposuerunt clamitant in conspectu Dei contra eos. Ex dictis infero cum Nauarro in Manuali, capit. 25. num. 134. quod mortaliter peccat Sacerdos, qui non dicit tot & tales missas, quot & quales, & quo in loco tenetur, absque iusto impedimento; aut quas omisit, vt debet non implet.

Tres autem ſunt caſus, in quibus ceſſat huiuſmodi obligatio pro parte, vel toto, quos ex Gerſone colligit Gabriel ſuper canonem miſſæ lect. 28. *Primus*, quando aliquis eſt impotens, aut Eccleſiæ pereunt, vel hæreditates & reditus perduntur, quibus miniſter talis Eccleſiæ, & beneficijs ſuſtentandus eſſet qui officium complere debet. Ex hac parte grauiſſimè non rarò peccant heredes, aut teſtamentorum executores, quando pias vltimas voluntates, & pia legata prorogant, quæ debentur pijs locis: Quia Eccleſiæ, vel monaſteria, quam diu non percipiunt Eleemoſynas deſtinatas, non tenentur rependere opera ſpiritualia. *Secundus caſus*, quando eſt vrgentior vtilitas, quæ quandoque prouenit ex temporis ſucceſſu; vbi oportet, vt canoniſtæ loquuntur, vt alia ratio reformet pactum, exempli gratia, aliquis inſtituit miſſam ſingulis diebus pro defunctis, conuenit populus in diebus Paſchæ, Natiuitatis, &c. non eſt alius Sacerdos, qui celebret, ratio dictat, & honeſtas poſtulat, vt non legatur, aut non cantetur miſſa, pro defunctis. *Tertius caſus*, eſt diſpenſatio ſuperiorũ ex iuſta cauſa: Quare Concilium. Tridentin. loc. cit. committit ſuperioribus ordinum, vt pro ſua conſcientia miſſas moderentur in Eccleſijs & monaſterijs, pro quantitate Eleemoſynarum, vbi eſt exorbitans numerus.

Hoc loco annotandum, quod quando beneſi-

neficium ſimpliciter eſt inſtitutum cum pacto, vt poſſidens quotidie celebret, ſi fundatio aut conſuetudo nō habet, vt per ſe, vel alium faciat officium, vel beneficium eſt præcisè ſufficiens pro vna perſona, tale pactum recipit interpretationem ſecundum ius, vt celebret quando frequentius poteſt ſalua honeſtate, & debita deuotione, vt Panormitan. & alij in dict. capit. Significatum. & Nauarr. loc. citat. tradunt cum alijs alibi.

Octaua concluſio. Clericus, qui magis principaliter vadit ad Eccleſiam, & horas canonicas propter quotidianas diſtributiones, aut celebrat propter temporale, committit mentalem Simoniam, vt communiter DD. docent. S. Thom. quodlib. 8. artic. 12. Gabriel. loc. citat. lit. L. & D. Panormitan. Felinus, Ananias & alij in capit. Suam. de Simonia. Hoſtienſ. in capit. Olim. de verborū ſignificat. Didacus Couarr. lib. 1. variarum Reſolut. cap. 20. numer. 5. Nauarr. de orat. & hor. canon. cap. 6. num. 16. & de pœnitent. diſt. 5. capit. final. num. 56. & alij alibi. Si quis autem principaliter ad Eccleſiam pergit, aut celebrat, vt Deo debitam ſeruitutem & honorē præſtet, & minus principaliter propter temporale commodū mouens, referendo illud in ſuſtentationem, vt ſpiritualibus melius & rectius intendere valeat, non peccat, quia ſic mens rectè eſt ordinata. Attendendum autem cuilibet diligenter,

vt Gabriel admonet, ne mentiatur sibi iniquitas, vt non ex auaritia & cupiditate, per talia spiritualia opera multiplicet plurimas diuitias superuacuas, & non necessarias, nisi ad pompam, & carnis curam.

Nona Conclusio. Qui nolunt ire ad funebrem processionem, vel officium diuinum peragere, nisi cum pacto de certa pecuniæ quantitate, committunt Simoniam. 23. quæst. 2. canon. Questa est nobis. & cap. Abolendæ. de sepult.

Decima Conclusio. Clerici nihil possunt accipere ratione terræ consecratæ in sepultura mortui, nec etiam pro sepultura; Si autem alicubi sit consuetudo, vt detur aliquid pro vsu sepulturæ, vel Ecclesiæ, quando in ea aliquis sepelitur, seruanda est ex dict. cap. Abolendæ.

Vndecima Conclusio. Pro ingressu religionis aliquid pretij temporalis dare, aut accipere est Simona. 1. quæst. 2. canon. Quam pio. & cap. Veniens. & cap. de Regularibus. de Simonia. Ratio est euidens. Status religionis est res spiritualis, ergo gratis concedendus. Hinc qui recipitur ad religionem cum pacto, vt suum patrimonium, hæreditatem, vel annuos reditus, conferat monasterio, Simoniacus est, & etiam recipientes.

An autem liceat aliquid recipere, aut exigere etiam ex pacto pro sustentatione, quando mona-

monasterium monialium est tenue in reditibus, qui nõ sufficiunt nisi pro certo numero, & plures volunt recipi, controuersia est inter DD. & cum graues tam pro affirmante, quàm negante parte sint auctores, quisque prout conscientia dictat, sapere potest, modo adsit recta intentio cum significatione & protestatione, quod non accipiatur nisi pro sustentatione, quando affirmans opinio tenetur, quá amplectitur, S. Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 3. ad 4. & in 4. sentent. Vt eum interpretantur & sequũtur, in eius religione & doctrina enutriti. Sotus libr. 9. de iustit. & Iure. quæst. 6. artic. vlt. ad 4. sequentes verò addunt etiam ex pacto licere; Cardinalis Caietanus in d. locum. S. Thom. 2. 2. Doctissimus Franciscus Victoria in Relect. de Simonia, part. 2. num. 12. qui ait. hanc communem esse opinionem, Sylvest. in verb. Simonia. quæst. 15. qui plures in hanc sententiam citat. Angelus vir miraculis clarus eodem verbo 4. qui sic ait. Sed tu tene in conscientia opinionem S. Thomæ, qui dicit quod pro ingressu monasterij non licet aliquid recipere: aut exigere quasi pretium, sed pro victu personæ recipiendæ, licet. Si non sufficiant opes monasterij: & deinde subiungit quod etiam liceat pacisci in conscientia. Accedit Nauarr. in tractat. de reditibus benefic. à numer. 100. & in Apologia eiusdem libri monitione 84. qui attestatur,

hanc

hanc opinionem in Hiſpania in praxi receptam. Negantem partem tenent Dionyſius Carthuſianus in libr. 1. & 2. latiſſimè de Simonia, & alij ab eo citat. Roſella in ſumma, allegatur etiam S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 18. vbi dicit communē tutiorem, & penè omnium eſſe ſententiam, quod pro ingreſſu monaſterij de temporalibus ex pacto nihil liceat accipere, quod non eſt contra affirmantem opinionem; Quæ à Dionyſio, & alijs adferuntur contra priorem ſententiam facilè ſoluuntur, ex dictis ab Angelo, Sylueſtro, & Nauarro. Præterea inter omnes conuenit, quod non licet aliquid accipere quocunque titulo quando monaſterium eſt opulentum, & ſemper melius iudicandum, vt non recipiantur plures, quam de bonis & Eleemoſynis monaſterij viuere poſſunt: Si tamen alibi fiat in contrarium recta intentione, & ex cauſis mouentibus, non ſtatim damnetur: q̃ viri in Theologia & iure dictiſſimi tradiderunt.

CAPVT V.

DE SIMONIA QVAE CONtingit circa beneficia Eccleſiaſtica.

BENEFICIA Eccleſiaſtica, cum coniuncta ſint Eccleſiaſticis muneribus & officijs,

cijs, & à ſpiritualibus dependeant, non rarò circa ea Simonia committitur.

Prima Concluſio. Dare, aut accipere aliquod pretium temporale pro quocunque beneficio Eccleſiaſtico, eſt Simonia. 2. quæſt. 3. canon. Si quis obiecerit. & cap. De hoc. & cap. Cum eſſent. eod. tit. Quia beneficia Eccleſiaſtica ſunt coniuncta ſpirituali, & ab eo dependēt: Quando ergo temporale venditur, ſpirituale etiam coniunctum venditur, aut emitur, ex d. cap. Si quis obiecerit.

Secunda Concluſio. Si quis conferat, aut accipiat beneficium pro munere ab obſequio; vel lingua, eſt Simonia. 1. q. 1. canon. Ordinationes, & d. cap. Cum eſſent. Gloſſ. Panor. & alij ibidem. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5. Sotus libr. 9. q. 7. art. 3. Nauarr. in Manuali. cap. 23. nu. 102. & Summiſtæ in verb. Simonia. Quia munus ab obſequio, vel lingua, æſtimatur pecunia, & idem eſt ad hunc effectum, ac ſi quis pecuniam daret. Hinc ſi quis alicui prælato principaliter inſeruiat, vt beneficium ſibi cōferat, aut procuret; Simoniam cōmittit. Quod multò fortius fit, quando promiſſio, aut pactum accedit.

Tertia Concluſio. Prælatus Eccleſiaſticus conferens beneficium conſanguineo ratione conſanguinitatis, non committit Simoniam, quicquid aliqui dicant. Hanc concluſionem tradunt, S. Thom. loc. citat. ad 2. Sotus ibid.

Ange-

Angelus, verb. Simonia 5. §. 1. Nauarr. loc. d. numer. 107. & alij alibi. Quia vbi non est spiritualium venditio, ibi non est Simonia. In dicta autem collatione nulla est venditio, cum nullum sit pretium, quod de substantia venditionis est. Committit autem talis prælatus peccatum acceptionis personarum, vt capit. 2. conclusione 7. huius partis traditum est, grauissimè peccans si indigno conferat.

Eadem est ratio de eo, qui ex metu confert beneficium indigno, mortaliter quidem peccat, non tamen incurrit Simoniam, vt Sotus tradit. Conferre autem ex metu digno nonnulla est culpa; quia collatio non fit legitimo fine.

Quarta Conclusio. Qui procurat pecunia electionem sibi, vel alteri ad Ecclesiasticam dignitatem, Simoniam committit, & electio nulla est, cap. De hoc. & cap. Matthæus. eodem tit. Eadem est ratio, si quis dat pecuniam alicui per se, vel tertiam personam, vt consentiat, aut votum det sibi, vel alteri. d. cap. De hoc.

Quinta Conclusio. Qui dat mediatori, aut intercessori aliquod pretium, vt procuret sibi collationem, Simoniæ crimen incurrit. Innocent. Panormitan. & Anthonius à Butrio in capit. Tuam. de ætate & qualitat. Felin. cum Innocentio, & in capit. Tanta. de Simonia, Nauarr. vbi supra numero 106. Quia

paria

paria ſunt dare collatori, & dare tertio, vt moueat collatorem ad conferendum: Alia tamen ratio eſt, quando quis daret procuratori pro laboribus, quos impendit in ſolicitando, aut ratione gratitudinis, & amicitiæ, vt Nauarr. declarat.

Sexta Concluſio. Qui habet ius acquiſitum in beneficio, & eſt in poſſeſſione, poteſt offerre pecuniam pro iniuſta vexatione amouenda. cap. Dilectus. 1. & DD. ibidem de Simon, N. S. Thom. q. d. art. 2. ad 5. Sotus q. 6. art. 1. Nauarr. num. 102. & alij alibi. Quia in tali caſu non emitur beneficium, ſed remouetur obſtaculum, quod impedit, ne quis ſuo iure poſſit frui. Non eſt tamen licitum dare pecuniam pro redemptione vexationis, quando ius non eſt acquiſitum, ſed adhuc in incerto ſtatu verſatur.

Septima concluſio. Qui villam, aut caſtrum emit aut vendit, cui annexum ius patronatus, non poteſt carius emere, aut vendere ob ius patronatus, capit. Querelam. de Simon. Quia ius patronatus cum ſit res ſpiritualis, non poteſt pecunia taxari. Ob eandem rationem non poteſt ſeparatim vẽdi ius patronatus à caſtro, aut villa, ſed cum his tranſit. Clemen. Paſtoralis. de re iudicat. Patronatus etiam pro præſentatione nihil temporale accipere poteſt ſine Simonia, ſecundum mentem omnium.

Ius patronatus est ius honorificum, onerosum, & vtile, competens alicui in Ecclesia pro eo, quod Diœcesani consensu Ecclesiam construxit, fundauit, aut dotauit, vel alius à quo causam habuit. Ratione talis iuris semper præsentare potest ad tale beneficium, quod fundauit, aut dotauit.

Octaua Conclusio. Priuatæ personæ, si permutant sua beneficia sine auctoritate & consensu superiorum, ad quos pertinet conferre, aut instituere: vel ordinarij secundum praxim quorundam locorum, permutatio est Simoniaca, & nulla. Clemen. vnica, de rerum permutat. & capit. Quæsitum. & capit. Vniuersorum, eodem tit. Possunt tamen priuatim inire tractatum, vt superiori proponant, modo pactum & promissionem non concludant. Quãdo autem permutatio pecuniã, aut aliquo tẽporali procuratur, vt contingere non rarò solet, quando pingue beneficium cum exiguo ferè nullius valoris permutatur, Simonia est, & in tali casu vehemens semper est Simoniæ præsumptio: Quia nemo libenter id quod melius relinquit, vt deterius acceptet. De qua re Felinus capit. Verisimile. de præsumptionibus, & Rebuffus in praxi benefic. 3. part. capit. de permutatione.

Nona Conclusio. Qui in permutatione beneficij minoris emolumenti in reditibus, cum beneficio pinguiori in recompensationem reditu-

dituum dat aliquod temporale, aut pecunia æstimabile, Simoniam committit. Hæc Conclusio est contra Panormitan. capit. Ad quæstiones, de rerum permutat. Caietanum. 2. 2. quæst.100.artic. 4. Angelum verb. Permutatio.§. 6. Auream Armillam verb. Beneficium. §.75. Eam autem tenent Adrianus quodlib. 9. art.vltimo. Didac. Couarr. lib. 1. variarum Resolut.cap.5.numer.9. Nauar. loc.citat.nu.100. & alij alibi. Ratio est. Si temporale non potest permutari cum Ecclesiastico beneficio, quod spirituale censetur, nec etiam poterit temporale dari pro reditibus alterius beneficij, qui temporales sunt, cum hi reditus ex titulo beneficij, qui spiritualis censetur, percipiantur; alioquin facilè posset persuaderi licitè dari pecuniam pro beneficio Ecclesiastico sine Simonia, hoc expressè addito, pecuniam non pro sacro titulo, sed pro ipsis temporalibus reditibus conferri, quod à vero longissimè abest. Obseruandum etiam est, quod beneficiorum permutatio non debet fieri sine legitima causa: quæ referenda aut in vtilitatem Ecclesiæ: aut personarum permutantium.

Decima Conclusio. Pecunia procurare beneficij resignationem in proprium; aut alterius fauorem, Simonia est; omnium sententia. Quia temporali spirituale emitur & procuratur. Si autem resignatio fiat ad manus Collatoris in fauorem alicuius digni, modo aliud

pactum non accedat, per quod libertas in conferendo Collatori præscindatur, non committitur Simonia, imò ex quadam honestate superior debet conferre ei, in cuius fauorem resignatio facta est, si dignus sit. Si autem indignus, nullo modo acquiescere potest, sed libere cuilibet digno conferre potest. Vide ad hanc materiam Couarr. loco citat, numer. 5. Optimus autem resignandi modus est, liberè ad manus collatoris resignare sine vlla conditione, vt conferat pro sua conscientia, cui voluerit. cap. Ex parte 1. de officio delegati. Præterea si quis possidet beneficium, ad cuius titulum est promotus, non potest illud resignare, nisi facta eius rei mentione, nec tunc resignatio admittenda, nisi constet quod aliundè commodè viuere possit: Aliter facta resignatio non valet. Concilium Tridentin. session. 21. capit. 2. de Reformat.

Quid sentiendum, si quis renunciet beneficio in gratiam alterius cum pacto, vt renunciatarius sibi restituat expensas quas fecit in acquisitione beneficij, an sit Simonia? Casus talis est. N. adhuc iuuenis canonicatum in aliqua Ecclesia obtinuit apud Episcopum, processu temporis mutat ob aliquam causam mentem, nec intendit in statu Ecclesiastico perseuerare, sed suum beneficium resignare, & quia expensas fecit in curia Episcopi pro expeditione, & etiam in solutione statutorum eas non libenter perdit

quæ-

quærit aliquem, qui appetat tale beneficium, conuenitque cum eo vt in eius fauorem resignet, addito pacto de soluendis expensis huiusmodi factis in acquisitione. Quandoquidem hic casus non raro vt constat, accidit sicque expensarum titulo quandoque Simonia tegitur, placuit dubio satisfacere. Respondetur ergo paucis in hoc casu ex parte vtriusque Simoniam committi & quidem realem completam, si intercedant solutio & receptio: probatur.

Primo. In acquisitione spiritualium omnis pactio conuentioque quæ iure non inest, cessare debet. 1. quæst. 2. cap. Quam pio. cap. fin. de pact. & arg. cap. Ad audientiam. 2. de rescript. Gloss. & Felin. ibidem. Panorm. in cap. Olim. 1. de restit. spoliat. num. 6. Antonin. ibid. num. Ioan. Imolen. in d. cap. fin. At in nostro casu conditio iure non inest, sed extrinsecus apponitur. Ergo Simonia committitur.

Secundo. Simonia incurritur, si quis renunciet liti super beneficio, aut alio spirituali, dato aliquo temporali etiam nomine expensarum per text. clarum in capit. Cum pridem. de pract. Glossa. Panormitan. Anton. Cardin. & alij ibidem. S. Antonin. 2. part. titulo 1. capit. 5. Angel. in verbo Renunciatio. §. 9 Sylvest. eod. verb. quæst. 6. ergo à fortiori est Simonia si quis resignet beneficium cum onere solutionis expensarum. De

Simonia circa resignationem latius in comment. de Simonia. capit. De hoc. quæst. 6.

CAPVT VI.

DE POENIS SIMONIACORVM.

DE pœnis Simoniacorum vide Extrauagantes communes de Simonia, S. Thomam cum Caietano 2. 2. quæst. d. artic. vltimo, Victoriam in 2. part. relectionis de Simonia. Sotum loc. cit. quæst. 8. artic. 1. Nauarr. loc. cit. numero 111. & latè Nicolaum Boërium decisione 117.

Prima Conclusio. Simonia purè mentalis, nõ obligat ad restitutionem, vt communiter DD. sentiunt.

Secunda Conclusio. Simonia mentalis, quæ processit ad exterius opus etiam sine pacto nõ obligat ad restitutionem. Hæc conclusio est contra quosdam DD. Henricum de Gandauo quodlib. 6. quæst. 26. Adrian. quodlib. 9. artic. 3. Maiorem in 4. d. 25. quæst. 1. & Sotum loc. citat. Conclusio autem posita, est communis DD. vt Nauarr. loc. cit. num. 103. testatur, & eã in specie tenent Panormitan. Innocent. & alj in capit. final. de Simonia. Caietan. Sylvest. & Aurea Armilla in verb. Simonia, & alij alibi.

Ratio

Ratio conclusionis, quoniam in re tanti momenti, vbi canones nihil certi declarant, & sunt graues auctores, pœnæ sine causa non sunt ampliandæ, sed restringendæ.

Fundamenta tenentium contrarium soluit. Nauarr. loc. citat. quem videre diligens lector poterit.

Tertia Conclusio. In Simonia tantum conuentionali, id est, quando solùm est pactum; & neutra ex parte aliquid datum, vel acceptũ, nulla est obligatio restituendi: Quoniam vbi nihil datur, aut recipitur, ibi nihil restituendũ est: Si autem temporale sit acceptum, & nihil spirituale adhuc traditum illud restituendum danti.

Quarta Conclusio. Quando acceptum spirituale, nec datum temporale probabilior sententia est, quod non sit obligatio restituendi. Nauarr. loc. cit. nu. 4. & num. III. Cassiod. in decis. 5. de constitut. & hoc seruat stylus Romanæ curiæ eodem attestante, & probatur, secundum oppositum tenentes, non est Simonia Realis, quæ pœnis subiacet, quando tantum temporale datur; ergo etiam non est Realis, quando tantum spirituale traditur: nec potest sufficiens reddi ratio, quare in hoc casu sit, & non in alio. Potest talis tamen puniri pœna extraordinaria, & priuari beneficio.

Quinta Conclusio. Omnis collatio, præsentatio, electio, aut quæuis alia dispositio bene-

ficiorum per realem Simoniam facta, est nulla. 1. q.1.can. Si quis Episcopus, & canon. Presbyterum. & cap. De hoc. eod. tit. & ex Extrauag. 2. eod. tit. & communi DD. sententia, & sic quæsita per Simoniam realem sunt restituenda, & relinquenda.

Sexta Conclusio. Simoniacus in ordine & beneficio, & mediatores, sunt excommunicati excommunicatione reseruata Pontifici, ex Extrauagan. Pauli II. eodem titul. & Summistis in verb. Excommunicatio, Soto loc. cit. Nauarr. in Manuali, cax. 27. num. 106. & alijs alibi. Eadem excommunicatione sunt ligati, qui accipiunt, aut dant aliquid ob ingressum in monasterium, ex Extrauagant. 1. eod. tit. Quam dicunt tantum intelligendam de ingressu in monasteria virorum, eo quod Martinus V. sic declarauerit & restrinxerit.

Septima Conclusio. Simoniacus in beneficio tantum, quamuis sit excommunicatus iuxta prædictam conclusionem, non est tamen ipso iure suspensus. Innocent. in capit. Tanta. eodem tit. Naurr. in cap. 23. numer. III. hæc Conclusio est contra S. Thomam. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 1. Caietanum ibidem. Sotum. d. qu. artic. 2. Panormit. in d. capit. Tanta. Ratio, quia hoc non reperitur neque in iure nouo, neque antiquo. Quare Simoniacus in beneficio, acta pœnitentia & relicto beneficio, potest celebrare.

Octaua

Octaua Conclusio. Simoniacus in ordine, est ipso iure etiam suspensus, ex Extrauag. 2. de Simonia. & cap. Tanta. eod. tit.

Nona Conclusio. Simoniacus, quando iudicialiter constiterit, incurrit infamiam, & punitur depositione, cap. Inquisitionis, de accusationibus, & 5. quæst. 1. cap. Sanè.

Decima Conclusio. Omnis Simoniæ cum deliberatione commissæ, pœna est ignis inferni, nisi quis digna pœnitentia eam purgauerit: Quia omnis talis Simonia est peccatum mortale. De alijs legantur DD. citati in suis locis.

CAPVT VII.

DE RESIDENTIA, QVAE annexa est quibusdam beneficijs.

RESIDENTIA nihil est aliud, quàm personale ministerium in loco debito, sic residere dicitur in Ecclesia, qui ei debitam seruitutem præstat per se.

Pro intelligentia notandum, quod omnia beneficia non sunt eiusdem naturæ. Quædam de iure, consuetudine, aut fundatione requirunt residentiam: Quædam non,

ſed tantum certas miſſas in ſeptimana: quas quis vel per ſe, vel per alium implere poteſt. Deinde inter ea, quæ reſidentiam requirunt, alia habent iuriſdictionem & curam animarũ adiunctam: vt Epiſcopatus, & Decanatus, Abbatia, Cura paſtoralis, &c. Alia non habent huiuſmodi annexa; vt canonicatus, præbenda, &c.

Prima Concluſio. Epiſcopus iure diuino tenetur ad reſidentiam in ſuo Epiſcopatu. Hanc concluſionem copiosè probant contra Ambroſium Catharinum Reuerendiſſimus ac Illuſtriſſimus Dominus Bartholomæus Caranza Ordinis S. Dominici Archiepiſcopus Toletanus in libello de Reſidẽtia Epiſcoporum, ad Concilium Tridentinum. Dominicus Sotus in fine libri de natura & gratia, ad idem Concilium, & latè libr. 10. de iuſtitia & iure. quæſt. 3. artic. 1. Caietan. 2. 2. quæſt. 185. artic. 5. Ioannes Driedo de libertate Chriſtiana, Didac. libr. 3. variarum Reſolut. capit. 13. numer. 9. & alij alibi. & Concil. Trident. ſeſſ. 23. capit. 1. Probatur Concluſio ex eis, quæ ſacræ literæ Epiſcopis tribuunt. Dicuntur Paſtores, Superintendentes, Speculatores, Magiſtri, Rectores, Doctores, Lux, &c. quæ omnia denotant munia & officia præſentium: Quare etiã Chriſtus in Euangelio diſtinguit inter bonum Paſtorem & mercenarium, de qua re legendũ apud Ezechielem c. 34. & Auguſt. in libr. de paſto-

paſtore & ouibus. Hinc infertur à DD. quibuſdam, quod Epiſcopus Cardinalis non poterit ratione Cardinalatus abeſſe à ſuo Epiſcopatu, & in curia reſidere: & Concilium Trident. loc. cit. id planè confirmat. Super qua re doctiſſimè in concione coram fœlicis memoriæ Pio Quinto in conſeſſu aliquorum Cardinalium, diſſerentem magno cum feruore, audiui Doctiſſimum & Pijſſimum Franciſcum Toletum Doctorem Theologum Societatis Ieſu, poſtea Illuſtriſſimum & Reuerend. Cardinalem Romanæ Eccleſiæ, cuius anima nunc requieſcit, vt optimè ſperamus, in pace: Neq; etiam poterit abeſſe Epiſcopus à ſua Eccleſia, quia prorex, aut alicui regi in ſeculari gubernatione præeſt: Quia gubernatio temporalis non eſt ſpirituali præferenda, cum poteſtas ſpiritualis temporali dignior, præſtantior, & ſuperior ſit. Qua in re grauiſſimè multi Eccleſiarum prælati & primates peccant, lynceos oculos habentes ad temporalia, talpis cæciores in ſpiritualibus, hoc velamine vtẽtes, quod non ſolum ſint Epiſcopi, Abbates, aut etiam prælati Eccleſiæ, ſed etiam Principes, Duces, aut Comites, ſed hoc ab eis conſiderandum, quod dignius trahat ad ſe indignius. Iuxta textum, Gloſſam & DD. in c. Quod in dubijs, de conſecrat. Eccleſiæ & altaris. Dignius autem eſt ſpirituale: Quare ſi talis Epiſcopus, Abbas, aut Primas ob negligentiam animarũ

Vide Concil. Triden.

ibit ad infernum, trahet secum Principem, Ducem, aut Comitem.

Secunda Conclusio. Potest tamen Episcopus à suo grege abesse, quando Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, & euidens Ecclesiæ, & Reipub. vtilitas abesse postulant: tunc causæ absentiæ approbandæ sunt à Romano Pontifice: aut à Metropolitano, vel eo absente, suffraganeo Episcopo antiquiore: nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus: & Reipubl. officium Episcopatibus adiunctum: Concil. Tridentin. sess. 23. cap. 1. de Reformat.

Tertia Conclusio. Habens beneficium curatum inferius Episcopatu, non solum positiuo, sed etiam diuino iure tenetur residere. Hanc conclusionem quantum ad id quod de iure diuino sit residentia, probant DD. primę conclusionis, & ei, quæ ex sacris literis Pastoribus tribuuntur. Quantum ad ius positiuum clarum est ex multis can. in titul. de cleric. non resident. & Concil. Trident. Vnde cap. Quia nonnulli. eod. tit. mandatur quod Ecclesia non conferatur nisi illi, qui residere & regere valeat per seipsum: Aliàs perdit Ecclesiam, & donans conferendi potestate priuatur. Quando autem Ecclesia parochialis est annexa dignitati, debet regi per idoneum & perpetuum vicarium.

Quarta Conclusio. Clerici non residentes in bene-

beneficijs curam animarum habentibus, præter peccatum mortale, quod incurrunt, pro rata temporis absentiæ, tenentur ad restitutionem omnium fructuum perceptorum, etiam nulla declaratione alia secuta, nec tuta conscientia possunt sibi retinere; sed debent restituere Fabricæ Ecclesiæ: vel pauperibus loci, & incidunt in alias pœnas contra non residentes statutas, Concil. Trident. loc. citat. Quare si quis non resideat in curato beneficio, non solum potest contra eum agi super priuatione beneficij, sed etiam restitutione fructuum. Quando autem ob causam per Episcopum cognitam, & in scriptis licentiam datam curatus abest; vltra bimestre talis licentia non concedenda, nisi ex graui causa.

Quinta Conclusio. Omne beneficium, quod habet fructus sufficientes ad sustentationem honestam, requirit residentiam de iure communi. cap. Conquerente. de cler. non resid. & communis sententia ibidem.

Sexta Conclusio. In aliquibus casibus clericus excusatur à residentia, & in absentia percipit fructus. *Primus*, Quando est in seruitio Papæ. capit. Cum dilectus. de cleric. non resident. *Secundus*, Duo canonici existentes in seruitio Episcopi, si occupentur in vtilitatem Ecclesiæ. cap. Ad audientiam. cap. Dilectus. & cap. De cætero. Hos nos sacellanos Episcopi nominamus in collegijs: & aduer-

ten-

tendum, quod nisi sint in seruitio Episcopi pro vtilitate Ecclesiæ, in conscientia non gaudent tali priuilegio de fructibus in absentia percipiendis, quicquid hic mundus sentiat. Quare, vt bene Gabriel in 4. dist. 15. q. 8. art. 3. annotat, reproba patet consuetudo, vel statutum in quibusdam Ecclesijs, quod Episcopus duos ex canonicis eximat tanquam suo seruitio deputans, qui nec sibi seruiunt, nec commorantur, & tamen reditus beneficiorum percipiunt tanquam præsentes, præter quotidianas distributiones. Quibus addimus, quod nulla ratione sit talis consuetudo tolerabilis, quando in alienis Episcopatibus tales sacellani resident, ex rationibus, quæ ex canonibus manifestæ sunt.

Tertius, Quando aliquis absens est pro vtilitate Ecclesiæ: tum enim præsens censetur, ca. ex parte. eod. tit.

Quartus, Quando quis studet Theologiæ: aut iuri canonico ad quinquennium in aliqua vniuersitate. Eadem est ratio, quando aliquis in aliqua vniuersitate dictas facultates legit. capit. final. de Magistris & DD. ibidem. Hoc priuilegium non habet locum in alijs scientijs, nisi aliud consuetudo obtineat: Si autem aliquis vagetur, & non det operam literis, in nullo releuatur hoc priuilegio.

Quintus, Dum aliquis legitimam habet licentiam, ab habente potestatem, & ex iusta causa,

tausa, quæ in scriptis in beneficijs curatis habenda, ex Concilio Trident.loc.cit. Super nō residentia in perpetuum, solus Pontifex dispensat.Gloss.cum text.in canon.Licet canon. de elect.in 6. Panormit.in repetitione, capit. Extirpandæ. §. qui vero. num. 2. de præbend.

Sextus, Quando est consuetudo honesta ex causa introducta,nec Ecclesiæ debitum obsequium detrahitur. Innocent. in cap. Tuæ. de cler. non resid.Panorm.in cap. Inter quatuor, ibidem,& alij communiter.

Tandem notandum ex cap. Cum ad hoc. Panorm. ibidem & alijs alibi, quod quando huiusmodi priuilegia, consuetudines, aut dispensationes,aut licentiæ,etiamsi essent à Pontifice concessæ, inducunt damnum Ecclesiæ, reuocātur, quamuis prius fuissent in eius vtilitatem. Et quando cessant esse in vtilitatem & commodum Ecclesiæ,fruens eis non est tutus in foro conscientiæ,quicquid sit apud homines,penes quos hoc misero Ecclesiæ statu, non rarò quodlibet licet: Ex quibus infertur, quod quando in aliqua Ecclesia collegiata tot canonici abessent, vt præsentes non sufficerēt ad explendum diuinum opus, possunt absentes citari ad residentiam, & quod si non comparuerint,elapso canonico termino beneficijs priuari: Quia quæ pro vtilitate Ecclesiæ & augmento cultus diuini instituta sunt, contra Ecclesiam militare non debent.

Septimæ

Septima Conclusio. Clericus non residens, quando ignoratur, vbi sit, citandus est in valuis suæ Ecclesiæ tribus edictis per interuallum, & si tunc infra sex menses non redierit, aut causas in iure efficaces absentiæ dederit, priuatur beneficio. capit. Ex parte. cap. Qualiter· capit. Inter quatuor. & cap. Ex tuæ deuotionis. de cleric. non resident. & Concil. Tridentin.

Octaua Conclusio. Quando quis in casibus iure permissis, percipit fructus principales, siue vt vocant corpus præbendæ, in absentia, non recipit quotidianas distributiones, etiamsi consuetudo sit in contrarium, quæ ad hoc nulli suffragatur, ex constitutione Bonifacij Octaui, capit. Vnico de cleric. non residente in 6. quam renouat Concilium Tridentin· sess. 24. capit. 12. de reformat. sublatis quibuscunque statutis & consuetudinibus in cõtrarium. Vnde etiam colligitur, quod non valet consuetudo, & irrationabilis sit, qua receptum est in quibusdam Ecclesijs, quod præsens in Ecclesia tempore missæ animarum, lucrifaciat etiam distributiones matutinarum quibus non interfuit, siue dormiuit, aut si summo sacro intersit, lucrifaciat distributiones vesperarum, etsi vesperis non intersit quacunque ex causa. Talis enim consuetudo satis reijcitur in d. constitut. Bonifacij, & doctrina commentatorum in eand. constit. Nec statuta in

tain contrarium valent. vt ex Concil. Trid. loco cit. patet. Pro hoc est Gloss. pragmaticæ in tit. Quo tempore deboat quis esse in choro. §. Tollens prorsus, super verb. vsurpat.

Nona Conclusio. Quotidianæ distributiones debent dari infirmis, qui ob infirmitatem; aut corporale impedimentum diuinis interesse non possunt. Quia dicta constitutio hos excipit, & communis sententia approbat: De qua re vide ad longum Didac. Couarr. libr. 3. variarum resolution. capit. 13. Hæc tamen Conclusio secundum Doctores intelligenda, quando ægritudo est causa vera absentiæ, cum is scilicet, qui ægrotat solitus est tempore bonæ valetutinis interesse diuinis: Quod si verò non consueuit sanus, aliquibus officijs, exempli gratia, matutinis interesse ne rumpat somnum, ægrotus non percipiet distributiones matutinales. Panormitan. & Ioan. Andræas in capit. Ad audientiam. eodem tit. Dominicus & Francus in d. capit. vnico. Couarr. loco citat. Nauarr. in tractat. de orat. & horis canonicis, capit. 11. numer. 10. & sic tenent omnes, attestante Felino in ca. Apostolicæ. de except. Quod autem in multis locis, statutis cauetur; aut consuetudine obseruatur, vt quam primum ædes quis egreditur, priuetur distuibutionibus ægrotus, hoc sane intelligendum. Quia potest quis in tantum esse sanus, vt exem. grat. die Domi-

nico

nico possit priuatim in Ecclesia audire missam, ad quam ex præcepto tenetur, qui tamen non ita sit confirmatus, vt diuinis officijs Ecclesiasticis possit sine periculo valetudinis interesse. Item possit quis fortasse perdurare in missa, & non in alijs officijs: Nam qui tenetur ad faciendum aliquid, si non potest facere totum, vel eo modo, quo iubetur, tenetur facere partem, quam potest: aut totum eo modo, quo potest, iuxta doctrinam Innocentij III. capit. Cum dilectus, de dolo & contumacia. Quando respondet citatum ad certum diem teneri ad comparendum post illum: quàm citò commodè potest: Et præceptum Ecclesiæ, cum non potest adimpleri totum, adimplendum est pro parte, quæ potest. Caietan. 2. 2. q. 147. artic. 7. & Nauarr. loco citat. & in Manuali Confessar. cap. 21. numer. 22. Eadem ratione contingere potest, antequam quis valetudine confirmetur, vt ex præscripto medici, debeat parum ambulare ad irritandum appetitum, aut captandum recentem aërem. In talibus casibus rationabiliter non potest priuari quotidianis distributionibus. Intelligenda ergò prædicta statuta, vt iuri & rationi sunt congrua, quando quis egreditur ædes ad vagandum, & non corporis valetudinis causa: aut egreditur ad tractanda negotia: quę consideratis circumstantijs sanitatem significant.

Decima Conclusio. Absens à loco beneficij tem-

tempore peſtis, licet principalis fructus percipiat in abſentia, non tamen habebit quotidianas diſtributiones, niſi conſuetudine obtentum ſit, vt abſenti ex iuſta cauſa dentur. Franciſcus à Ripa in tractat. de peſte. 2. part. numer. 145. & Didac. Couarr. loc. cit. numer. 8. Alia tamen eſt ratio, quando quis in loco beneficij reſidet: & propter infectionem ſuarum ædium impeditur, quod diuinis commodè intereſſe non poſſit. Ex hac concluſione etiam iudicium ſumi poteſt, an quotidianæ diſtributiones dandæ ei qui ob ſeditiones abſq; ſua culpa à ciuitate pellitur. Tali enim debentur diſtributiones ſecundum Calder. in conſil. 17. de præbend. & poſt alios Couarr. quando conſuetudine receptum eſt, quod abſentibus ex iuſta cauſa dentur.

Vndecima Concluſio. Quando quis abſens eſt, & occupatur in negotijs Eccleſiæ ſuæ, pro eius vtilitate percipit quotidianas diſtributiones: in hac re non eſt dubium.

Duodecima Concluſio. Si alicubi conſuetudine obtentum eſt, vt canonicus quotidianas diſtributiones percipiat, ſi initio diuinorum, aut horarũ, diuinis interſit, licet ſtatim egrediatur, aut eſt iniqua conſuetudo: aut ita interpretanda, quando quis ab officio diſceſſerit, ex cauſa, quæ honeſtam iuducat occupationẽ, ita quidem, vt non ad otium, aut fabulas in templo, aut extra diuertat, vt deducitur ex ra-

tione textus in d. capit. vnico. Paludan. in 4. d. 15. quæst. 5. conclus. 9. Didac. loc. citat. versic. Decimotertio illud est omninò; vnde qui vigore huiusmodi cõsuetudinis, aut statuti percipit, non est securus in conscientia.

Decimatertia Conclusio. Ad lucrandum distributiones quotidianas nõ sufficit, vt quis præsens sit quocunque modo in Choro; sed requiritur, vt in Choro, vbi illæ lucrifiunt dicantur canendo cum alijs, & communicando in recitatione: Probatur in primis, distributiones non dantur solum eo, quod dicuntur, vel canuntur horæ, sed quia dicuntur cum alijs in Choro, vel alia parte Ecclesiæ, vbi & quemadmodum statutum est: vt non solum ex canonibus, & Concilo Tridentino, sed etiam statutis multarũ Ecclesiarum constat. Finis enim institutionis distributionum quotidianarum est, vt augeatur numerus personarum canentium, & Deum laudantium in publicis & solemnibus, diuinis officijs. Quando autem datur aliquid cum conditione aut pacto, non transfertur dominium, conditione non secuta, aut pacto non seruato, C. de condit. ob causam datorum. & ff. de condit. causa data non secuta; & confirmatur fortius ex Concil. Basiliensi sess. 21. in tit. Quomodo diuinum officium sit celebrandum: quod recipitur & inseritur in pragmatica sanctione, eodem titul. his verbis. Et cum

psal.

psallendi gratia ibi conueniãt, muta, aut clausa labia tenere non debent, sed omnes præsertim, qui maiore funguntur honore in Psalmis, hymnis, & canticis; Deo alacriter modulentur: super verbo Psallendi; addit bene Cosmas super pragmatica sanctione, alta voce. Ad idem facit dictum Concilium paulo infra; dum ait; Nemo ibidem dum horæ in communi cantantur; legat; vel dicat priuatim officium; nam non solum obsequium, quo obnoxius est; choro subtrahit, sed alios psallentes perturbat. In verbo Subtrahit, addit Cosmas; peccat ergo; & furtum committit; cum vtatur lingua sua ad aliud, quàm ad quod tenetur, contra Dei & Ecclesiæ voluntatem. Ad idem facit illud Hieronymi ibidem citatum. Ingratum est Spiritui sancto quicquid obtuleris; neglecto eo, ad quod teneris. Deinde probatur conclusio ex illa regula iuridica vulgata. Illegitimè facta pro infectis habentur, & nullius sunt momenti; & non sunt in consideratione; & paria sunt non facere; & minus legitimè facere; l. quotiens. ff. Qui satis dare cogantur. ff. de re iudicata, l. 4. §. Condemnandum, l. pacta, quæ contra; C. de pactis. & capit. Quæ contra, de regulis iuris in 6. Non enim refert an aliquid non fiat, vel minus benè fiat. Qui ergo in cantu & laude Dei, cum alijs non communicat in choro, non commu-

nicabit etiam in emolumento dato in illum finem, secundum Concilia & rectam rationē. Quomodo autē qui priuatim in Ecclesia officium recitat, cum alijs communicat, qui fortasse quando alij canunt lectiones & responsoria, ipse legit Benedictus aut Te Deum laudamus; aut quando chorus psallit Benedictus, ipse recitat primas: aut orationes præparatorias ad missam. Quæ omnia non fiunt secundum Ecclesiæ voluntatem & institutum, vt cuiuis sapienti notum est. Dictam conclusionem tradunt Caietanus in respons. 8. libr. 17. responsionum, & Nauarr. in tract. de oratione & horis canonicis. capit. 10. num. 47. & capit. 11. num. 42. Sotus libr. 10. de iustitia & iure. quæst. 5. artic. 4. circa medium. Ad idem facit Concilium Tridentin. session. 24. capit. 12. de Reformat. dum vult quod canonici in choro ad psallendum instituto, hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, distinctè deuoteque laudent. Facit ad idem propositum Pius V. in Extrauag. quam ponit Nauarr. in Manuali Confess. cap. 25. num. 122. vbi Pontifex cum decreuisset non recitantes horas non lucrifacere fructus suos, nec distributiones, sequentia verba subiungit: Tametsi aliquis choro addictus, non recitans, omnibus horis canonicis cum alijs præsens adsit, fructusque & distributiones aliter assignatas sola præsentia iuxta statuta, consuetudinem, vel alias sibi lucri-

crifecisse prætendat. Caietanus tamen in summa verb. Horæ canonicæ, cum formidine putat, si alicubi sit consuetudo, quod prælati & maiores chori, suum versum priuatim dicant, & alia à minoribus cantata meditentur, quod tales excusentur: sed in hoc ei nemo suffragatur, imò ipse in loco citato contrarium docuit: Ex dictis infero efficaciter, cum Nauarr. in dict. tract. de oratione. capit. 9. numero 4. & 5. Eum, qui aliqua notabili parte alicuius horæ obdormit in choro, non lucrifecisse plus distributiones quotidianas illius horæ, aut officij, quam si ei non interfuisset: nec etiam satisfacere præcepto de recitandis horis. Rationibus prædictis motus dico, etiam secundum doctrinam Dominici Soti de iustitia & Iure. libr. 10. quæst. 3. art. 1. non longè à fine, residere in Ecclesia propria, aut beneficio segniter & oscitanter, quandoque peius esse quàm nõ residere. Residentia Episcoporum & curatorum iure diuino indicta est pro salute animatum, & cura populi, vt patet ex officijs & muneribus angelicis, quæ si non præstent, ad quid terram occupant, & de lacte ouium viuunt; Qui enim altari inseruit, de altari viuet, & participabit, iuxta Apostolicam doctrinam, *1. Cor. 9.* ergò à contrario sensu, qui altari & Ecclesiæ non inseruit, aut malè inseruit cum scandalo, vt multi faciunt, non participabit de altari: Quia secundum dictam regulam, aliquid m:-

lè siue illegitimè facere, & non facere paria sunt. Ad extremum, ne quis fortè existimet canones contra non residentes statutos in vsu non esse, eos omnes Concilium Tridentinũ innouauit. Nunc præsupposita residentia, cũ certissimum sit omnes clericos etiam iusta & legitima causa à residentia excusatos, teneri ad dicendas horas ab Ecclesia statutas, de horis canonicis agendum est.

CAPVT VIII.

DE HORIS CANONICIS.

DE hac materia legendi Dominicus Sotus libr. 10. de iustitia & iure. q. 5. Ioannes Medina in Cod. de pœnitentia tract. 6. de oratione. Martinus Nauarr. omnium longissimè & doctissimè in tractatu de oratione, & horis canonicis. Summistæ in verb. Horæ canonicæ.

Quid nomine horarũ canonicarum intelligatur.

In primis cognoscendum, nomine horarum, intelligitur officium diuinũ certo tempore, vocaliter, ex Ecclesiastica institutione, persoluendum, ab Ecclesiasticis personis.

Dicuntur horæ canonicæ quasi regulares, quia regulariter à sanctis patribus obseruatæ, capit. Quod in re. de pœnitentijs & remissionibus.

Prima Conclusio. Septenarius numerus horarum

rarum canonicarum, fundamentum habet ex sacris literis, & procedit ex antiquissima traditione. Constat ex illo Psalmi 118. Septies in die laudem dixi tibi. De Matutinis Psalm. 62. In Matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus, & Psalm. 118. Media nocte surgebam, &c. & Lucæ 6. Math. 26. nocte orauit Dominus: De Primis. Psal. 19. Ad annunciandum manè misericordiam tuam: De Tertia Actor. 2. Spiritus sanctus descendit in Apostolos. Quare in Terria dicitur pro hymno. Nunc sancte nobis Spiritus. &c. De Sexta. Actor. 10. Petrus circa horam sextam ascendit, vt oraret. De Nona, Actor. 3. Petrus & Ioannes ascendebant ad templum ad horam orationis nonam. De Vesperis. Psal. 140. Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum: & Saluator cœnantibus Apostolis mysterium sui corporis & sanguinis tradidit: De Completis verò celebrandis. Psalm. 131. Si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, &c. donec inueniam locum Domino tabernaculum Deo Iacob. De horis canonicis tradunt Sancti Patres. Clemens Pontifex & martyr. lib. 8. Constitutionum Apostolicarum. capit. 40. Basilius sermone 1. de institutis monachorum. Hieronym. epist. 27. in epitaphio Paulæ, Cassianus libr. 3. De institutis cœnobitarum.

Chryſoſt. homil.59.ad populum. Auguſtin. in regula 2.capit.1. S.Benedictus in regula, capit. 16. Iſidorus libr.1.de officijs Eccleſiaſticis.cap. 19. Raban lib.2. de officijs Eccleſ. & alij alibi. Sunt autem ſeptem horæ inſtitutę ad recolendum beneficiũ redemptionis noſtræ illis horis, quibus Dominica paſſio inchoata, continuata, & conſummata, vnde pro memoria, hi ab aliquibus verſiculi proponuntur.

Hæc ſunt ſeptenis, propter quæ pſallimus horis.
Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat.
Prima replet ſputis, cauſam dat Tertia mortis.
Sexta cruci nectit latus eius Nona bipartit.
Veſpera deponit, tumulo Completa reponit.

Secunda Concluſio. Ad Eccleſiæ decorem, & populi ſalutem neceſſarium fuit clerum inſtituere, cui competeret prętęr alia officia nomine totius populi horas canonicas Deo offerre. Ratio, quia enim populus varijs rerum curis & negotijs impeditur, decuit vt Sacerdotes inter populum, & Deum mediatores, pro populo frequentius orarent, & ſubſidia neceſſaria, remiſſionemque peccatorum à Deo peterent. Vnde Oſeæ 4. Peccata populi comedere dicuntur. Hanc concluſionem Sotus loc. cit. art. 1. ponit & dilatat.

Tertia Concluſio. De recitandis horis canonicis, eſt præceptum Eccleſiaſticum obligans tranſgredientes ad mortale, capit. Dolentes.

de

de celebratione missarum: vbi Pontifex præcipit, in virtute obedientiæ, vt dicatur nocturnum pariter & diurnum officium, & in Clemen. 1. eod. tit. In hac conclusione communiter Doctores conueniunt.

Quarta Conclusio. In primis obligantur illi, qui sunt in sacris ordinibus constituti etiamsi non habent beneficium Ecclesiasticũ. Gloss. & DD. in cap. Presbyt. de celebr. missar. Hinc non obligantur constituti in minoribus, si careant beneficijs.

Quinta Conclusio. Virtute præcepti omnes beneficiati ab Ecclesia, etiamsi tantum habeant primam tonsuram tenentur recitare horas, si fructus percipiant, d. cap. fin. 92. Beneficium datur propter officium, capit. fin. de rescript. in 6. & qui altari inseruit, de altari debet viuere, & è contra qui viuit de altari, eidẽ debet inseruire, capit. Cum secundum Apostolum, de præbendis: Si autem quis habeat beneficium, nec vllos percipit fructus, quia non potest habere ex parte aliorum, vtpote quia est statutum, vt habens beneficium in tali Ecclesia tribus primis annis nihil percipiat, tunc eo tempore non tenetur horas recitare: Si autem ex sua parte causa ponatur, quod fructus non percipiat, tenetur diuinum officium persoluere. Sic communiter sentiunt, DD. Caietanus, Aurea Armilla, & alij in verb. Horæ canonicæ, Nauar. in Manuali Confess. cap.

25. uum. 104. Sotus loco cit. q.10. art. 3. & alij alibi.

Dubium. *Quid si reditus beneficij adeò sint tenues, vt non sufficiant ad sustentationem hominis, an quis tum teneatur dicere horas?*

IOANNES à Turrecremata in d. 91. S. Antonin. 3. part. tit. 13. capit. 4. §. 1. Sylvest. in verb. Hora. quæst. 2. Cardinalis Clem. 1. de celebratione missarum. Ioan. Medina in Cod. de oratione. quæst. 7. Nauarr. in Manuali Confessariorum, capit. 25, numero 102. & de orat. & horis canonicis, capit. 7. Aurea Armilla & alij in verb. Horæ canonicæ cum communi sententia tenẽt, beneficium quantumuis exiguum obligare ad horas canonicas, etiamsi eius fructus non sufficiant, ad sustentationem miseram. Ab hac communi sententia Dominicus Sotus discedit, loco citat. artic. 3. Docet Sotus, quod si beneficium, adeò sit tenue, vt ferè pro nihilo reputetur, & his temporibus summam saltẽ octo ducatorum non attingat, non obligare ad horas, & hæc Soti sententia quam nunc recentiores communiter amplectuntur, placet: Quia qui altari inseruit, de altari debet viuere, sed talis de altari non potest viuere, ergo nec tenetur inser-

inſeruire, & parum pro nihilo reputatur. ca. Reuera. de conſecrat. d. 2. & l. ſi debitori. ff. de iudicijs. Quod verò alij obijciunt, acceptationem tituli beneficiarij ſufficere ad obligationem, & non quantitatem redituum, non ſufficienter verum eſt. Etenim ſecundũ communem doctrinam, qui habet titulum beneficij, & non poteſt percipere fructus ex parte aliorum, non tenetur dicere officium. Huius rei non poteſt alia ſufficiens ratio reddi, niſi quia non percipit fructus, nec percipere poteſt etiamſi velit, & tamen iam tenet titulum, ergo ratione acceptionis tituli aliquis non obligatur, ſed cauſa ſtipẽdij Eccleſiaſtici, quia de bonis Eccleſiæ viuit. Vnde ſicut qui nihil poteſt percipere ex parte aliorum, ad nullum officium tenetur; ita qui non poteſt ſufficientem habere ſuſtentationem, non tenebitur ad plenam ſeruitutem: Si autem beneficium frugali perſonæ, ad communem viuendi modum ſit competens, & alteri non, qui lautius viuere vult, talis tenetur dicere officiũ: Quia bona Eccleſiæ ſunt data ad ſupplendum neceſſitatem, non voluptatem. Conſultum & tutum tamen eſt, vt qui tam tenue beneficium poſſidet, aliquando officium dicat pro prudentia viri boni & timorati.

Pueri etiam, qui beneficia Eccleſiaſtica poſſident, ſi fructus percipiunt, ſiue per ſe,

ſiue

ſiue per alios, amicos, parentes, aut tutores, aut ſi per ipſos ſtat, quo minus percipiant, tenentur dicere horas, vt Nauar. rectè tradit: Quod ſi autem adhuc tam parui & inepti ſint, quod penſum ſuæ ſeruitutis abſoluere neque. ant, etiam incapaces ſunt beneficiorum: Quia indecorum eſt, vt talis dicatur idoneus ad regendum Eccleſiam, qui neſcit gubernare ſeipſum, cap. Indecorum. de ætate & qualitat. & nemo debet aſſumi ad onus, cui impar eſt. Hinc Concilium Tridentinum pueros inhabilitat ad beneficia Eccleſiaſtica ante 14. annum. Atque cum determinatio Concilij ſit, nemo in ætate diſpenſare poteſt, præter Pontificem, aut eum, qui poteſtatem ſpecialem ab ipſo habet diſpenſandi: Cui rei conſentiunt DD. in Clement. Generalem, de ætat. & qualit. ſecuti Gloſſ. ibidem, & Summiſtæ in verb. Ætas. cum alijs alibi. Ratio autem quare beneficia pueris non ſint conferenda ante 14. annum: quia beneficia Eccleſiaſtica, habent onera annexa, vt laudare Deum, orare, & alia munia Eccleſiaſtica, quæ pueri ante illam ætatem ob defectum rationis, ſcientiæ, & prudentiæ ritè peragere nequeunt. De qua materia ad longum diſſerit Nauarr. in Relect. capit. Si quando, de Reſcript. except. 7. qui approbat, ibidem Caietanum, in verb. Beneficium. cum ait. Conferre beneficia Eccleſiaſtica pueris, exiſtentibus alijs idoneis adultis, non ſolum

inex-

inexcusabile, sed etiam intolerabile videtur, tum quia pueri in spe tantum sunt idonei, adulti autem in re, tum quia diuinum officium deuotè & studiosè persoluere nesciunt, tum quia hoc repræhenditur in capit. Super inordinata. de præbend. Certissimum autem est, quod beneficia, quando dantur pueris, qui horas persoluere non possunt, siue ipsi pueri, siue eorum parentes, aut tutores fructus percipiant, tenentur ad restitutionem omnium perceptorum, vt infra ostendetur. Si autem Pontifex puero ob indolem: aut expectationem egregiam maiorum: vel aliam iustam causam beneficium conferat, qui necdum potest persoluere horas, & hoc ei constet, ex plenitudine potestatis præsumitur dispensare, vt horas non recitet, donec aptus reddatur.

Sexta Conclusio. Religiosi professi deputati ad chorum, obligantur ad dicendas horas: Dicitur in cõclusione, deputati ad chorum: quia laici: aut conuersi deputati ad opera seruilia, non tenentur nisi ad orationes, quæ ex præscripto regulæ, aut statutorum proponuntur: dicitur professi, quoniam nouitij ante professionem non sunt obligati. Quod dictum est de religiosis, idem prorsus censendum de monialibus professis ordinatis ad officium chori.

Septima Conclusio. In aliquibus casibus aliquis excusatur à recitandis horis. Sunt autem sequentes.

Primus.

In quibus casibus aliquis excusetur à recitandis horis.

Primus. Quando quis infirmitate, & adversa valetudine laborat; ita vt non possit recitare: aut non sine periculo valetudinis, & in hac re standum consilio boni, aut timorati medici: aut alterius viri prudentis, quando enim notabile damnum timetur, cessat obligatio. Quando autem infirmitas est modica non excusat; vt docent Panormitan. Innocentius, & Hostiens. cap. 1. de celebrat. missarum, & communis opinio ibi, & alibi. De causis excusantibus tractat Nauarr. in Manuali, cap. 25. num. 100. & latissimè in Manuali, de oratione & horis canonicis. capit. 11. Nec est opus post infirmitatem omissas repetere, aut ab alio recitante audire. Dictũ in hac re standum esse consilio boni & timorati medici. Quia vt rectè Nauarr. in capit. 11. dicto de oratione. numer. 3. ait; nonnulli ita sunt faciles in absoluendo ægrotos ad obligatione, & legibus Ecclesiasticis, imò & à Dei præceptis, ac si eorũ ipsimet essent auctores; iuxta illud Ambrosij de consecr. d. 5. cap. Contraria sunt diuinæ conditioni præcepta medicinæ, quæ à ieiunio reuocant; lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt, ita vt qui se medicinis dederit seipsum sibi abneget.

Dubium. An qui non potest omnes horas dicere ob infirmitatem, teneatur recitare partem, quàm potest, aut saltem cum socio dicere;

re, vt mediam partem recitet, & ea quæ ſocius dicit audiat? Solus Nauar. hoc mouet & reſoluit. de orat. ea. dicto à num. 9. Et ſecundum ipſius doctrinam dico in primis, quod qui poteſt partē recitare ſine valetudinis periculo, debet id facere: Argumentum poteſt eſſe à toto ad partem: Sicut qui poteſt totum dicere, tenetur dicere totū: Ita qui partem; tenetur partem recitare: Deinde vt ſupra declaratum. Quando quis non poteſt præceptum Eccleſiæ in totum adimplere, tenetur pro parte, quam poteſt perficere: In hac re tamen nemo debet eſſe nimis ſcrupuloſus: Quia non requiritur, vt homo in moralibus rebus extremum potētiæ exerceat, dicimur enim poſſe, quod commodè & ſine probabili corporis periculo poſſumus. Quod facilè medicus animaduertit, aut etiam ipſe ægrotus ſi prudentia vtatur, facilè cognoſcit, an debilitetur notabiliter ex recitatione horarū. Profectò ſi quis ſit ægrotus, & poſſit tractare alia negocia, & fabulando cum alijs conuerſari, non excuſabitur, quin Eccleſiæ & Deo debitum obſequium præſtet.

Secundus caſus. Qui caret breuiario ſiue ſua culpa, ſiue abſque ea contingat, nec pro tali tempore habere poteſt, excuſatur: quia deeſt facultas, & ad impoſſibile nemo obligatur. Qui verò iter faciunt, & ſecum breuiarium nō deferunt, non excuſantur à peccato etiā mortali, quia in culpa ſunt, quod breuiarium non deferunt.

Ter-

Tertius casus. Cum superuenit aliqua occupatio subitò, vel eo modo, quod non potest prouidere, nec omitti sine scandalo vel peccato, tunc possunt omitti horæ, ex.gr. si esset necessitas subita horas omittendi ad sedandum tumultum in populo, aut necessitas habendi concionem, quæ si omitteretur, scandalum nasceretur, nec suppetit tempus ad legendum horas & studendum. Nemo tamen excusatur ab horis propter studium, vtpote quia regulariter dat operam literis. Quare rectè quædam glossa in pragmatica sanctione, cap. Qualiter horæ canonicæ dicendæ, dixit, Maledictum studium propter quod diuinum officium relinquitur. Nec etiam excusatur, qui peregrinatur, aut iter facit secundum communem.

Quartus casus. Qui fruitur dispensatione Pontificis, quæ ex iusta causa procedit, excusatur à recitandis horis. Quia cum horæ canonicę sint iuris positiui, Pontifex potest dispensare. Nemini tamen ad hoc suffragatur Episcopalis dispensatio.

Octaua Conclusio. Quilibet tenetur dicere officium secundum vsum suæ Ecclesiæ: vel Romanæ. Qui autem beneficiatus, debet dicere secundum consuetudinem, & ritum sui Episcopatus, nisi sufficienti licentia fruatur, vel Pontificis, vel proprij Episcopi ad hoc, vt Romano more persoluat. Hæc Conclusio constat ex Bulla Pij Quinti, præfixo breuiario

Roma-

Romano, Soto artic. 4. & Nauarr. de horis can. cap. 21. numer. 23. Religiosi autem dicũt secundum statuta sui ordinis: Ideò etiam tenentur ad officium B. Virginis, mortuorum, aut sanctæ crucis, pro ordinatione statutorũ, aut consuetudinis: Quod etiam de alijs intelligendum. Officium autem mortuorum omnes dicere tenentur, in die animarum, vt docet S. Thom. communiter receptus in quodlib. 6. & vsus Romanæ Ecclesiæ confirmat: Si quis autem ad titulum sui patrimonij ordinatus, nec viuit de beneficio Ecclesiastico, potest dicere officium pro suo placito, dummodo approbatum sit ab Ecclesia, vt directorium lib. 1. capit. 8. & Nauarr. in Manuali Confess. loc. cit. num. 107. docent. Quicquid Sotus sine sufficienti fundamento in contrarium dicat. Hic notandum pro aliquibus, quod dicere nunc officium secundum antiquum Breuiarium Romanum Cardinalis Sanctæ crucis, non licet, quamuis quidam ob breuitatem idem amplectantur.

CAPVT IX.

DE LOCO, TEMPORE, ET Ordine diuini officij.

PRIMA *Conclusio.* Personæ deputatæ ad chorum rationabili cessante causa, debent

dicere in choro, capit. fin. 92. d. Etsi hoc non procurant obseruari Prælati, quibus ex officio incumbit, mortaliter peccant, ex Clemen. 1. de celebrat. missarum.

Secunda Conclusio. Personæ, quæ priuatim dicunt, possunt recitare in quouis loco decenti & honesto. Dicere autem in vicis, foro, aut alijs locis, vbi secularia tractantur, reprehensione dignum est, quia præstat impedimentũ necessariæ attentioni, & repugnat dignitati tanti numeris.

Tertia Conclusio. Tempus priuatim dicendi horas ad euitandum peccatum mortale, est integer dies naturalis, incipiendo à media nocte ad mediam. Dictum ad euitandum mortale. Quia, qui sine causa non dicit horis debitis & consuetis, venialiter peccat, iuxta Nauarr. & Sotum.

Quarta Conclusio. Qui honestis occupationibus deditus est, vt eis melius vacare possit, si priuatim dicat officium, potest mane omnes horas absoluere, vsque ad completorium exclusiuè, capit. 1. de celebrat. missarum, & DD. ibid. Quando autem non est vrgẽs necessitas, decentius est, vt manè tantum horę absoluantur vsque ad vesperas exclusiuè.

Quinta Conclusio. In dicendis horis melius est præuenire tempus, quàm postponere, quãdo horis debitis propter occupationes dici non possunt: Tempus autem debitum & congruum

gruum est, quando viri sancti & timorati pro consuetudine patriæ, aut prouinciæ, dicere solent. Conclusio posita asseritur à S. Thoma communiter recepto quodl. 5. art. 28. dum ait, melius est anticipare laudes Dei, & postea alium actum studiosum agere, quàm vnum per alterum impedire. Ea de causa secundum communem sententiam non est peccatum, imò meritum, vt ait Nauarr. propter honestas occupationes, matutinas horas vespere precedenti recitare, & mane vsque ad vesperas exclusiuè reliquas absoluere: Si quis tamen hoc sine rationabili causa faceret, vt diutius dormiret, & voluptati indulgeret, venialiter peccaret. Quando autem matutinæ dicuntur vespere præcedenti, parum refert, an fiat post, vel ante cœnam. In hac re quisque suæ commoditati prospicere potest, vbi & hoc obseruandum, licitũ esse vespere præcedenti matutinas legere, vsq: ad laudes exclusiuè, & sequenti die incipere, à laudibus, Deus in adiutorium, &c.

Sexta Conclusio. Qui publicè in Ecclesia diuina officia persoluunt, debent absoluere horis debitis, nisi rationabilis causa intercedat, cap. 1. de celebr. missarum. Vnde Sylvest. & Angel. in verb. Horæ canonicæ. Dicunt prælatos Ecclesiarum mortaliter peccare, si non curant officium fieri debitis horis in Ecclesijs. Debitæ autem horæ, moraliter ac-

cipiendæ sunt pro consuetudine patriæ. Ex dicta conclusione cum Nauarro de oratione, & horis canonicis, cap.3. num.50. infero non licere anticipare diuina officia ob spectacula, hastiludia, & alia profana: Eadem est ratio, de executionibus criminalibus; quia his & similibus interesse clerici non debent, capit. Cum decorem. capit. penult. de vita, & honest. clericorum. capit. Sententiam sanguinis. Ne clerici, vel monachi, capit. 1. de Torneamentis.

Septima Conclusio. Ordo non est in precepto sub peccato mortali, vt DD. docent cum veriori consensu eis, qui priuatim recitant, quãuis sit peccatum veniale sine causa mutare: Quia qui ordinem mutat, non mutat substãtiam officij, sed tantum accidentalia, vt Caietanus receptus ab alijs in verb. Horæ canonicæ, tradit. Sicut etiam accidit, si quis deberet dicere, de festo alicuius Sancti, & diceret de feria: In hac re tamen est cauendus error quorundam, qui etiã in publicis officijs aliquando ob breuitatem eligunt de sanctis, quando de feria dicendum; aut ex festo nouem lectionũ faciunt trium. Eadem est ratio, si quis ex incuria, aut negligentia, Sextam ante Tertiam recitet non est plusquam veniale. Ex hac conclusione elicitur quod si quis canonicus, vel monachus celebrasset, & interim alij cecinissent Tertiam, & ipse veniat ad chorum, quando Sexta incipitur, ad conformãdum se choro

potest

poteſt cum alijs cantare Sextam, & deinde Tertiam legere; nec iterum tenetur, legendo Sextam ſubiungere.

Octaua Concluſio. Miſſam celebrare ante matutinas & laudes, eſt peccatum mortale. S. Antonin. 3. part. tit. 13. capit. 4. Sylueſt. in verbo miſſa, & hæc eſt communis Summiſtarum opinio. Hanc etiam communem eſſe DD. ſententiam, atteſtatur Gabriel ſuper canonem miſſæ. lect. 13. & Nauarr. de orat. & horis can. cap. 21. num. 30. Docent tamen Sylueſt. Nauar. & alij ſi aliquis caſus rationabilis, vel cauſa incideret grauis, vt pro vitando magno ſcandalo populi, tunc non eſſe peccatum mortale. Pro confirmatione concluſionis, allegat communis ſententia generalem Eccleſiæ conſuetudinem, quæ obtinet vim legis, d. 2. can. in his rebus. A communi ſententia recedit Dominicus Sotus q. d. artic. 4. ſed malè, ſine ratione ſufficienti, & textu: quare communis tenenda.

Nona Concluſio. Miſſam celebrare ante Primam, non eſt peccatum mortale. Gabr. loc. cit. Sotus. Nauar. cap. 3. de orat. Sylueſt. verb. Miſſa. quæſt. 6. Angel. ibdem. §. 42. Concluſio conſtat. Quia nulla eſt ratio, quæ moueat, nec textus, qui probet contrarium: Si autem alibi eſſet ſtatutum, quod præſcriberet, ei ſtandum eſſet.

Eſſet tamen peccatum veniale ante Primã

celebrare; nisi sequeretur scandalum, aut nimia retardatio populi, aut occupatio necessaria vrgeret. Quare Nauarr. attestatur, se nunquam ausum fuisse consulere, nisi aliqua ex prædictis, aut similis causa cōcurreret. De alijs horis, qui priuatim dicit, potest disponere pro deuotione, & commoditate. Aliqui communiter post Tertiam, missam celebrant: alij post Sextam. In collegijs, & monasterijs, quando Nona post prandium canitur, vt plurimum missa post Tettiam canitur; Quantum ad alias orationes, quæ missæ præmittuntur, pro præparatione Sacerdotis, scilicet quinque illi Psalmi. Quam dilecta. &c. Benedixisti, &c. Inclina aurem, &c. Credidi, & De profundis, &c. dicuntur ex institutione Papæ Cælestini, & non est præceptum de his, sed causa deuotionis dicuntur. Sunt autem quinque secundum Innocentium; vt quicquid immundum quinque sensuum transgressione commissum est, quinque Psalmorum oratione detergatur.

Preces verò & Collectæ, quæ illis adiunguntur, pertinent ad impetrandam cordis munditiam.

CA-

CAPVT X.

DE INTEGRITATE Horarum.

PRIMA *Conclusio.* Qui voluntariè per negligentiam aliquam horam, aut eius notabilem partem omittit, mortaliter peccat secundum communem DD. sententiam. Quia agit contra præceptum Ecclesiæ, quod sub mortali obligat.

Secunda Conclusio. Qui omittit septem horas vno die, vnum tantum peccatum mortale committit, grauius tamen quam si vnam tantum, aut eius notabilem partem omitteret, communis est DD. opinio. Quia cum septem horæ canonicæ sint vna oratio in septem horas diuisa; omissio illarum erit vnum peccatum. De peccato autem commissionis alia ratio est: Quia toties mortaliter peccat, quoties determinat, & proponit non recitare omnes, vel aliquas, aut notabilem partem, & tenetur illas determinationes confiteri, licet deinde mutauerit sententiam, & illas absoluerit.

Tertia Conclusio. Qui vno die sciens & volens horas canonicas omisit, non satisfacit, si sequenti die bis recitet, vt communiter DD. sentiunt. Quoniam horas dicere, est opus tempori coniunctum: Nec est etiam de ne-

cessitate, sed consilio, vt confessarius tali imponat, vt omissam, aut omissas horas repetat; sed potest alia pœnitentia pro quantitate omissionis imponi, iuxta doctrinam S. Thomæ quodlib. 3. art. 29. receptam.

Quarta Conclusio. Omittens horam aliquã, aut notabilem eius partem per ignorantiam, incogitantiam, vel obliuionem, non peccat mortaliter, sed tantum venialiter; Sic sentiunt. S. Antoninus 3. part. tit. 13. capit. 4 §. 5. Angel. verb. Horæ canonicæ. Sylvest. eod. verb. quæst. 12. Paludan. in 4. d. 15. quæ. 3. art. 2. Nauarr. in Manuali Confess. cap. 25. num. 99. & de orat. & hor. canon. cap. 10. num. 48. Est autem tale peccatum veniale eo grauius, & leuius, quo ignorantia, incogitantia, aut obliuio, magis aut minus culpabilis: etsi nulla esset culpa in eis, nulla quoque esset culpa in omissione iuxta Doctores: Sic si quis vrgente necessitate occuparetur, in rebus honestis ad vtilitatẽ vel propriam, vel publicam spectantibus, & sic obliuisceretur, nulla foret culpa. Ex eadem radice, dico si quis se inuolueret rebus secularibus, vt conuiuijs, ludis, aut potationibus, & si obliuionem horarum quasi implicitè procuraret, non excusaretur à mortali, quia esset voluntas interpretatiua in causa obliuionis, quæ sufficit ad rationem peccati.

Ex eadem conclusione infertur, quod si quis egreditur chorum antequam aliqua horarum

rarum finiatur, vel tardè accedit, ita vt notabilis pars omittatur, non solum amittit quotidianas distributiones, sed etiam mortaliter peccat; si postea non supplet per se omissum: Imò qui sic chorum sine vrgenti & iusta causa egrediuntur, trahuntur à Diabolo, & eius instigationi consentiunt, vt testimonio Diui Gregorij instruimur in 2. Dialogorum, vbi vitã Sancti Benedicti describit; qui vidit Diabolum monachum per extremam partem cucullæ à choro extrahentem, ante finem officij. Talis enim Monachus ad orationem stare nõ poterat, sed mox, vt se fratres ad studium orationis inclinabant, ipse foras egrediebatur, & mente vaga, terrena aliqua, & transitoria agebat. Quadam die expleta oratione, Sanctus Benedictus oratorium egressus monachum foris stantem reperit, quem virga percussit: Ex illo die vlterius à nigro puerulo (is enim erat Diabolus molestans) nihil pertulit, sed ad orationis studium immobilis permansit: Sicque antiquus hostis dominari, nõ ausus est in eius cogitationibus, ac si ipse percussus fuisset ex verbere. Hæc ex S. Gregorio: Consentit huic doctrinæ S. Antonin 2. part. tit. 9. cap. 12. §. 3. Ex quibus constat eos, qui inconstantes in diuino officio sunt, ac currunt huc illucque à Spiritu inconstantiæ trahi & moueri, nec tam diuina, quàm mente vaga temporalia & transitoria euoluere.

Quinta Conclusio. Qui recitando, aut cantando omittit vnam, aut alteram dictionem, aut partem versus etiam sine voluntate repetendi non peccat plusquam venialiter, modò absit contemptus: aut notabile scandalum; vt rectè tradit Nauarr. in Manuali Confessar. capit.25. num.98. & alibi. Quicquid dicat, S. Antonin.2.part.tit.9.capit.12.§.3. Quia quamuis horarum integritas de præcepto sit, imperfectio tamen actus in hoc præcepto, sicut in alijs à mortali excusat.

Sexta Conclusio. Non satisfaciunt præcepto de recitandis horis, sed mortaliter delinquunt, qui sine animo repetēdi eas, dum cantant, aut recitant, omittunt tantam partem dictionum aut versuum, aut Psalmorum, vt notabilis pars omittatur: Quia non persoluunt integras horas: Hinc peccant grauiter, qui transcurrunt in cantu, aut lectione, syncopando dictiones, aut syllabas deglutiendo in principio, aut fine absorbendo, vel ita celeriter expediunt, vt articulatæ voces non percipiantur ab audientibus; vel suos versus incipiunt antequam chorus, vel respondens finiat: quales abusus multi committuntur in Collegijs, & monasterijs, vbi nihil aliud attenditur, quàm vt finis acquiratur, & hora transeat, sed an benè vel malè non curatur. De his abusibus tollendis est præceptum, in capit. Dolentes. de celebrat. missarum, & in Clement.

ment. 1. eodem tit. & in Concilio Basilens. sess. 21. titul. Qualiter horæ dicendæ. Confirmat hæc, visio relata à S. Antonin. loc. cit. de quodam sancto Patre, qui vidit in choro Dæmonem multa imponentem sacco, & cum interrogaret quid imponeret: Respondit, syllabas, & verba, quæ hi; vel illi omittunt, vt eos, eius rei in futuro iudicio accusaret. Dictum in cōclusione (sine animo repetendi eas.) Quia qui cum tali animo cantat, aut recitat, non peccat mortaliter: Qua de causa si quis incideret in aliquem numerum canonicorum, vel aliorū Ecclesiasticorum, vbi tales defectus notabiliter committerentur, nec esset in sua potestate corrigere: aut moraliter non posset propter incorrigibilitatem, & peruersam consuetudinem sociorum, mortaliter non peccaret, si officium cum alijs prout possibile compleret, habito animo eas repetendi per se iuxta doctrinam Nauarr. in d. cap. 25. num. 99.

Septima Conclusio. Qui canit in choro, vel recitat extra chorum horas cum alijs, satisfacit præcepto de lectione horarum, quando versum sui chori canit: aut si extra chorum legit, & alterius audit, nec tenetur recitare versum, aut lectionem correspondentis, sed tantum audire. Sufficit etiam audire orationes, capitula, versus, responsoria, & similia, quæ pro consuetudine chori vnus, aut duo, aut alter tantum chorus canere consueuit:

Pro-

Probatur conclusio ex consuetudine generali totius Ecclesiæ: & Damasus Papa, vt in vita ipsius legitur, instituit, vt in Ecclesia Psalmi alternatim canerentur: Additum in conclusione, (qui versum sui chori canit, & alterius audit) Quia si non attendit, vt distinctè & articulatè audiat, non satisfacit præcepto. Ex qua causa, & alijs rationibus rarò satisfaciunt, qui canunt cum alijs, qui modo dicto syncopando, syllabas deglutiendo, aut versus anticipando, celeriter transcurrendo absoluunt, vt articulatam vocum pronunciationem audire non possint: Eadem est ratio, quando vt in multis locis contingit, pueri lectiones canunt, qui legere ignorant: aut ita canunt, vt ab audientibus intelligi nequeant: tunc enim idem est, ac si mutus sonum confusum reddat: Simile iudicium est, quando pueri ob ignorãtiam; aut moderatorum negligentiam, in choro tantum pro lectione duas, aut tres lineas canunt, & statim subiungunt. Tu autem Domine miserere, &c. Quia tali lectione integritas officij tollitur: Lectiones enim cum esse debeant ex institutione Ecclesiæ ad ædificationem audientium, qua de causa, & in medio chori leguntur, nec nimis breues esse debent, vt sensu & verbis ædificare possint, nec nimis longæ, vt impatientiam, & molestiam audientibus generent, sed mediocres pro obseruatione & præscriptione breuiarij.

Octaua

Octaua Conclusio. Qui legitima & iusta de causa occupatur in Ecclesia circa officium diuinum, aut spectantibus ad illud, si in principio, aut medio, aut etiam fine officij, non cõcurrat in officio cum alijs: aut quid paruum omittat, non tenetur de necessitate, omissum repetere. S.Antonin.commnniter receptus loc.cit.Nauar.in tract. de oratione & horis can. cap. 11. num. 36. & alij alibi. Quia vt Innocent. in d. cap.Dolentes. docet, defectus quasi per alios suppletur, & alter alterius onera portat. Ac sic in vno eodemque corpore, charitas facit omnia communia. Hinc excusatur, qui accipit prunas ad thurificandum, aut transfert libros ab vna parte ad aliam, aut thurificat pro consuetudine Ecclesiæ, dum alij cantant: aut fortè quis quærit Psalmum, quem statim pro voluntate, inuenire non potest: Vel pro more monasteriorum aliqui fratres eunt, ad pulsandum campanas: Si quis tamen maximam & notabilem partem omitteret, cautum esset resumere eam partem finitis horis. Si quis autem per negligentiam in choro aliquid omittit, nõ suppleat in choro subtrahendo vocem, aut lectionẽ choro, sed postea suppleat, si omissum sit notabile: Si verò versus vnus aut alter, vel quid minimum, in fine suppleatur per aliquẽ Psalmum, vel Pater noster, &c. secundum moralem æquiualentiam. Quando autem quis sine causa iusta excusante, officij aliquam partem

tem notabilem omisit: aut notabiliter malè dixit, si vult euadere peccatum mortale, debet repetere ex integro, & benè absoluere, vt DD. tradunt.

CAPVT XI.

DE ATTENTIONE REQVISITA, ad lectionem horarum canonicarum.

DE hac materia legendi Sotus de iustit. & Iure. lib. 10. q. 5. art. 5. Nauar. in tract. de orat. & horis canonicis, cap. 13. Ioan. Medina in C. de pœn. tract. 6. de oratione, q. 14. & Summistæ in verb. Horæ canonicæ.

Pro intelligentia materiæ, præcognoscendum in primis, quod oratio est duplex, Mentalis, & Vocalis. Cũ ergo horæ canonicę ad vocalem orationem spectent, videndum, an ad vocalem orationem necessaria attentio, deinde descendendum ad horas canonicas.

Attentio in oratione ad tria referri potest.

Secundo notandum quod attentio orationis potest referri ad tria, in primis ad verba, ne quis erret in verbis, sed distinctè omnia proferat. Deinde ad sensum, siue significata verborum. Tertio ad rem, quam petimus in oratione, & ad finem orationis, qui est Deus. Omnes istas attentiones excepta secunda possunt habere non intelligentes linguam.

Idcò

Ideò & moniales possunt absoluere suas horas, quamuis non intelligant linguam latinā, rectius tamen meliusque attenditur ab intelligentibus.

Tertio aduertendum, quadruplex potest esse effectus orationis. Primus solutio debiti, vt satisfiat officio, & non committatur peccatum. Secundus communis omnibus actibus charitatis, mereri videlicet mercedem apud Deum. Tertius impetratio rei, quæ petitur. Quartus refectio quædam spiritualis, seu delectatio in mente, quæ multò frequentior & maior esse solet in mentali, quam vocali oratione: Quia mentalem, attentio actualis continuò comitatur. *Quadruplex effectus orationis.*

Quarto loco præmittendum, attentionem adhuc triplicem esse, Actualem, Habitualem, & Virtualem. Actualis est, cum aliquis in voluntate elicit actum respectu eius, quod intendit, vt si quis oraturus intendit orandi actum, vel vult Deo agere gratias pro beneficijs: aut satisfacere suo officio. Habitualis est, quando remanet habitus ex actu attentionis frequentatæ inclinans ad similes actus. Virtualis est, quando aliquis ex virtute actualis attentionis præhabitæ procedit ad opus; verbi gratia: Quando aliquis manè vult recitare matutinas preces elicit actum, quod velit Deo debitum obsequium persoluere, deinde in virtute huius attentionis reliquas horas recitat,

citat, non ponendo actum contrarium huic intentioni.

Prima Conclusio. Ad orationem, vt quis cõsequatur tres priores effectus sufficit, vt attentio in principio actualis sit, & deinde virtualiter perseueret inxta S. Thom. communiter receptum. 2. 2. quæst. 83. art. 13. Quia ad hoc, vt oratio consequatur istos effectus, requiritur, vt sit actio humana, sed non est actio humana, si non sit in principio actualis intentio. Nam habitualis, cum etiam possit esse in dormientibus, non sufficit. Quod autem in processu virtualis sufficiens sit, patet; quia hæc sufficit in alijs actionibus meritorijs.

Secunda Conclusio. Ad hoc, vt quis consequatur quartum orationis effectum, scilicet spiritualem mentis refectionem, & delectationem animæ, requiritur actualis attentio ad verba, vel sensum eorundem, vel finem orationis. Quia mens non reficitur nisi homo mysteria capiat, vel diuinam consolationem hauriat ex amore vehementi: sed hæc nequaquam fieri possunt, sine actuali attentione. Hinc nascitur quod meditationes spirituales plus adferunt consolationis & dulcedinis, quã vocales orationes, vt plurimum. Sic Dauid in Psalm. In meditatione mea exardescit ignis. De hoc etiam effectu Paulus 1. Cor. 14. cap. Si orem lingua (scilicet sola) mens mea sine fructu est.

Tertia

Tertia Conclusio. Attentio est in præcepto sub reatu peccati mortalis, omnibus canonicè persoluentibus horas, patet ex capit. Dolentes. de celebratione missarum, vbi sic Pontifex dicit. Districtè præcipimus in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent, pariter & deuotè: ex quo loco DD. communiter præceptum de attentione colligunt. Eadem est ratio, de omni oratione ad quam quis tenetur ex debito.

Quarta Conclusio. Quando oratio non est in præcepto, sed libera & in consilio, orans debet attendere; alias peccat. Caietan. 2. 2. quæst. 83. art. 13. Sotus loc. cit. conclus. sexta. Nauarr. de orat. & hor. canon. cap. 13. num. 39. Iosephus Angles in floribus Theolog. qq. in 4. 1. part. in tract. de orat. quæst. 5. conclus. 2. & alij alibi: probatur. Qui facit opus Dei negligēter peccat, iuxta illud Hieremiæ, cap. 25. Maledictus homo, qui opus Dei negligenter facit. Deinde orare est actus virtutis, ergò oportet vt fiat, quando, vbi, & quomodo oportet, & cum reliquis circumstantijs, quas actus studiosus requirit: Sed modus orationis est, vt fiat cum attentione; tenetur enim quilibet orans pro dignitate orare, ne irreuerentiam committat in Deum, quem oratione alloquitur. Non erit tamen culpa mortalis indecenter orare in oratione tali animo distracto, etiamsi ali-

quis voluntariè diuagetur, & volens alia consideret, modò absit contemptus, vt Sotus & Iosephus Angles docent, sed veniale peccatũ: Ex hac conclusione cum DD, infero, quod licet interdum ad recitandum, aut orandum, non obligemur; quoties tamen id fecerimus, rectè & cũ attentione facere tenemur. Eadem est ratio, quando quis missam etiam ex consilio, & non præcepto audit, tenetur enim audire cum reuerentia debita & attentione: aliàs malè facit.

Quinta Conclusio. Vt Ecclesiastico præcepto satisfiat, non tres illæ attentiones in secundo notabili positæ simul requiruntur, sed quælibet earum est sufficiens ad satisfaciendum. Caietan. Nauarr. & alij.

Sexta Conclusio. Omnes qui horas canonicas recitant ex præcepto, attentionem habere debent ad verba, ne in eis errent, sed ea distinctè proferant. Ratio est, quia hac intentione deficiente, orans exponit se periculo non dicendi quod dicendum est, vel non rectè pronunciandi, quod culpa non caret in eo, qui ex proposito non attendit.

Septima Conclusio. Attentio ad sensum & significata verborum, licet vtilis & bona sit, non est tamen semper ab omnibus necessariò habenda: Nam multi religiosi, clerici, & moniales latinè, aut græcè orantes, sensum verborum non intelligunt, & tamen satisfaciunt

præcepto, si ad verba attendant, vt rectè pronuncient, & ad Deum, cum quo loquuntur: Dicitur autem quod hæc attentio vtilis sit; tum quia plurimum promouet alias attentiones: tum quia deuotionem excitat, tædium releuat, quo vt plurimum non intelligentes sensum verborum afficiuntur.

Octaua Conclusio. Qui primã, vel secundam attentionem habet, non debet in his persistere, sed animum habere, & propositum ascendendi ad vltimum, scilicet finem orationis, qui est Deus, vt notant Caietan. Nauarr. & Iosephus Angles: Quia hæc vltima & tertia attentio ad Deum maximè necessaria est: Quare qui orationem suam incipit, mentem in Deum eleuare debet, eique suum obsequium offerre.

Nona Conclusio. Præceptum attentionis in officio diuino canonicè persoluendo, duo includit, nempe, vt in principio orationis sit actuale siue expressum, aut virtuale siue tacitum attendendi propositum: Quia oratio est actus virtutis, vt insinuatum, quare debet fieri cum deliberatione, proposito, & fine conuenienti, & secundum quod huc annectitur, est, ne hoc propositum consulto, & voluntariè interrumpatur, per actum expressè vel virtualiter contrarium: Sic communiter DD. sentiunt. Ad actuale autem, vel virtuale propositum sufficit, vt quis petat, vel

capiat breuiarium, cum animo expresè satisfaciendo suo officio: aut dicendi horas canonicas secundum præscriptum Ecclesiæ: vel simile quid faciat, de quo si interrogaretur, responderet se facere id, vt seruet Ecclesiæ præceptum de dicendis horis, quod est virtuale, vel tacitum propositum. De hoc latius Nauarr. de orat. & hor. ca. 13. à nu. 16. & Iosephus.

Decima Conclusio. Qui dedita, aut data opera nullum habet attendendi propositum in dicendis horis, non satisfacit præcepto, sed tenetur eas recitare, seu redicere, vt aliqui loquuntur. Quia non seruatur præceptum de debita attentione habenda iuxta dicta. Hinc infero cum Soto, & alijs, quod quoties quis dedita opera mentem ab attentione non dimouet, præceptum orandi non omittit.

Vndecima Conclusio. Qui inter orandum exercet opus attẽtioni orationis repugnans, aut ei impedimentum præstans, tenetur reiterare. Quia hoc faciens scienter, voluntariè vult carere proposito attendendi, & ex consequenti non vult seruare præceptum Ecclesiæ. Hinc si quis inter orandum scribit, legit literas, fabulatur, aut simile quid facit, quod attentionem debitam interrumpit, non satisfacit, vt constat ex Concilio Basilienf. loc. citat.

Duodecima Conclusio. Si quis in horarum recitatione, mente euagetur inaduertenter, ita quod non aduertat se euagari, & statim quando

do aduertit, se ad propositum reducit, ac cogitationes cum dolore repellit, nullum committit peccatum, sed meretur: Quia talis euagatio est inuoluntaria. Ad peccatum autem aliqualis voluntas requiritur. Oriuntur autem huiusmodi mentis euagationes: vel ex suggestione Dæmonis; vel ex infirmitate humana: Si autem quis se exhibeat negligentem in repellendis huiusmodi cogitationibus, & in executione attentionis, committitur peccatum veniale, vt rectè Caietanus in verbo Horæ canonicæ, tradit. Quod tantò maius est, quantò maior negligentia, quæ intercedit.

Decimatertia Conclusio. Qui dubius propter mentis euagationem, an aliquem Psalmum aut Psalmos, vel versus, aut lectionem dixerit, si habet probabilem coniecturam se dixisse, vtpote quia in initio habuit propositum attendendi, & horas se incepisse recordatur, & librum semper tenuisse, aut reperit se in fine Psalmi, aut lectionis esse, nõ tenetur repetere, aut redicere, imò si timidioris sit conscientiæ, malè facit reiterando, quia aperit portam inimico ad tẽtationem, qui solet timidis conscientijs in hac re multos scrupulos inijcere, vt mentem interturbet inter orandum: Quare vt Parisiens. in 4. d. 12. quæst. 7. docent quos sequitur Nauarr. in capit. 13. de orat. & horis canon. à numer. 30. qui rectè vult attendere ad horas non se occupet in cogitando, aut per-

pendendo, an attẽdat, necne: Sicut enim transeuntes per summitatem aliquarum trabium, pro pontibus in aëre distentarum citius cadunt, si cogitent & metuant de casu: Sic recitantes horas, si cogitent de errore, & metuant errare, facilius in errorem cadent: Ex his contingit, quod aliqui timidi bis, aut ter quandoque Psalmum incipiunt, & in fine quando Gloria Patri, &c. dicendum, incidit tentatio, non recitatos esse versus præcedentes: Quibus hoc contingit consulendum, imò à Confessarijs iniungendum, vt nullo modo repetant, sed reliquam partem horarum prosequantur. Cum hic sit modus apertissimus, quibus malus spiritus teneriores solet vexare conscientias, & scrupulos inijcere, vt in perturbatione sine fructu diuina persoluant. Vide latius DD. citatos, & Iosephum Angles loc. d. q. 5. difficult. 4. conclus. 3. & Gabrielem super canon. missæ lect. 62. lit. N.

Decima quarta Conclusio. Quando in officio aliquid breue interponitur, aut ad ipsum officium, vel finem eius spectans; vel saluti spirituali, aut corporali: aut honori; vel bonis fortunæ orantis, siue proximi necessariũ, nec commodè potest protrahi, modo scandalum absit, & propositum habeatur continuandi officium inceptum: non est officium redicendum, nec repetendum ab initio, sed continuandum à loco interrupto, nec culpa com-

committitur. Hinc si quis chorum ingrediatur, & salutet aliquem non peccat, nec si quis breue aliquid dicat famulo, aut puero, cuius fortasse horis absolutis non recordabitur: Eadem est ratio excusationis, si quis vrgeatur opere naturæ, dum horas legit, non tenetur iterum incipere, aut si medicus potionem bibendam offerat: aut animal in aquam cadat erigendum, & de similibus similis est ratio: Quia præcepta Ecclesię cum pro charitate instituta sint, contra charitatem non militant. Vide Nauarr. loc.cit. cap.16.à num. 66. & Iosephum difficult.5.

Decimaquinta Conclusio. Quando interpositio est impertinens, si potest commodè protrahi, etsi sit breuis, non caret culpa veniali. Cum oratio debeat esse continua, vtpote colloquium cum Deo, cui admisceri impertinentia, & aliena sine causa, irreuerentia quædam est, & huiusmodi interpositionis debitam intentionem impediunt. Non tamen in casu huius conclusionis hora erit redicenda, si interruptio fuit cum animo continuandi: Dico hic vt alibi, cum animo continuandi: quia si quis etiam breuiter & iusta ex causa, aliquod opus interponeret determinans non continuare horam incœptam; nec satisfacere pro tunc obligationi, tenetur absoluto opere denuo incipere: quia actus agentium non operantur, nec extenduntur

vltra eorum intentionem. l. non omnis. ff. si certum petat. & l. in agris. ff. de acquiren. rerũ domin. Idem est iudicium de alijs operibus debitis, si quis eadem incipiat, & incœptis mutet animum satisfaciendi, non satisfacit, sed de nouo incipere tenetur feutalia sint, quæ continuationem ex sua natura requirunt.

Decimasexta Conclusio. Quanto interpositio est adeò longa, vt iudicio boni viri officium discõtinuet, aut diuidat, hora incœpta erit repetenda: Quia talis oratio horæ, ex sua natura continua esse debet.

Decimaseptima Conclusio. Quamuis Angelus in verb. Feriæ. §. 46. Sylvest. in verb. Missa. 2. in fin. Aurea Armilla in ver. Festum. & aliqui alij alibi, doceant peccare mortaliter, nec satisfacere eum officio, qui in missa de præcepto, recitat horas: aut pœnitentiam, aliasque preces debitas, tamen dicimus posse aliquem hisce duabus obligationibus satisfacere, nec propterea esse obligatum, vt redicat horas: Sic tenent Nauarr. in Manuali Confessar. capit. 21. numer. 8. & de oration. & hor. canon. cap. 19. à num. 178. Dominicus Sotus in 4. d. 13. quæst. 2. artic. 1. Petrus à Soto de iustit. Sacerdotum, lect. 2. de satisfactione, Caietan. Tomo 2. tractat. 4. de valore orationum dictarum ab audientibus missam in die festo, & alij alibi. Ratio, quia potest quis vnico actu duobus præceptis satisfacere, quando non est repugnantia,

tia, vt in præsenti casu : in quo facilè fieri potest, vt vtrique necessaria attentio adhibeatur. Quandoquidem nemo tenetur de præcepto audire, aut intelligere, quod Sacerdos canit, aut dicit, cum laici longè distantes ab altari, nec linguam intelligentes, præcepto de audienda missa satisfaciant. Satis autem est ad præceptum de audienda missa è longinquo in Ecclesia celebranti assistere, & surgendo & genua flectendo intentionem dirigere ad celebrantem, offerentē, &c. quæ omnia sicut alia, possunt fieri, cum recitatione horarum canonicarum, & orationum debitarum, & confirmatur: Si enim horæ & orationes debitæ, vel ex præcepto; aut impositione pœnitentiæ, missæ necessariam attentionem tollerent, malè etiam facerent, qui legerent in missa orationes ex deuotione: vel dicerent rosarium, quoniam hæ etiam, vt dictum est, attentionem requirunt. Hoc tamen dicere est contra consuetudinem omnium fidelium, doctorum, & indoctorum: Tamen nisi quis necessitate prematur, non est facilè alicui consulendum, vt tempore missæ, quam ex præcepto Ecclesiæ audire tenetur horas recitet: aut pœnitentiam iniunctam impleat. Quia contraria opinio graues etiam pro se habet Doctores, & suis probabilibus confirmatur fundamentis, tum quia melius est duo præcepta distinctis temporibus implere, tum etiam quia Caietan. tra-

dit talem venialiter peccare, nec mereri sicut citando horas: Quod Nauarr. putat tantum procedere in eo, qui nulla iusta de causa, sed vt postea otietur, aut antea otiatus est, eodem tempore duo præcepta implet.

CAPVT XII.

DE RESTITVTIONE FRUctuum facienda ab eis, qui horas canonicas non recitant.

HÆc res tangit Clericos beneficiatos, qui fructus ratione suorum beneficiorum percipiunt: quia alij clerici existentes in maioribus, qui nihil ab Ecclesia habent, licet mortaliter omittendo horas peccent, non tamen ad vllam restitutionem obligantur.

Prima Conclusio. Olim ante Concilium Lateranen. sub Leone X. fuit opinio inter DD. an clerici beneficiati omittentes horas canonicas tenerentur ad restitutionem fructuum? Partem affirmantem tenebant Ioan. Calderinus in capit. 1. de celebratione missarum. Dominicus Geminianus in capit. vltimo de rescriptis in 6. Glossa in pragmatica sanctione in titul. Qualiter horræ canonicæ sint dicendæ.

cendæ.colum.2. Angel. in verbo Horæ canonicæ.§.11.Adrian. in 4. sentent. in tractat. de restitut. in quæst. An clericus teneatur restituere, quicquid vltra victum de reditibus beneficij consumpserit, & alij alibi. Hæc opinio attestante Decio in cap. Cum omnes. de constitut. lect.2. verior est. Negantem partem tenuerunt in d. capit.1. de celebratione missarũ, Panormitan.& Cardinalis Felinus in cap. Postulasti. num.7. de rescriptis. Sylvester verb. Clericus. 4.quæst.23.& alij alibi, & hæc communis fuit opinio ante illud Concilium, vt attestantur Nauarr. de orat.& hor.canon.cap. 7.num.34. & alibi,& Didacus Couar.lib.3.variarum resolut.cap.13.num.10.

Secunda Conclusio. Nunc indubitanter dicendum secundum priorem opinionem, quam Decius etiam veriorem attestatur, clericum beneficiatum omittentem horas suas canonicas, obligatum esse ad restitutionem fructuum. Sic statuit Concilium prædictum sess.9. his verbis.Statuimus, vt nemo beneficium curatum, aut simplex habens,qui elapsis sex mensibus ab eius consecutione sine legitimo impedimento officium diuinum recitare omiserit,pro tempore,quo nõn recitauit,fructus suos faciat,imò eos impendere, tanquam rem iniustè captam in fabricam beneficij, aut Eleemosynas pauperum teneatur. Hoc statutum confirmauit, & latius explicauit Pius V.

in

in singulari Bulla, quam ponit Nauar. in Manuali Confess. cap. 25. numer. 122. & de orat. locis cit.

Tertia Conclusio. Talis restitutio fructuum facienda est, pro rata omissionis beneficij, verbi gratia, qui matutinas omisit mediam partē illius diei, qua omisit; Qui tantum Primam, sextam partem fructuum restituat: Qui integra die omnes horas omisit, nullos debet facere fructus illius diei, & sic debet computare fructus suos, vt pro qua parte non dixit horas, non etiam fructus faciat. Sic Pius V. inhærendo statuto Concilij Lateranen. expressè declarauit.

Quarta Conclusio. Restitutio est facienda fabricis Ecclesiarum, vbi beneficia sita sunt, vel pauperibus, vt dict. Concilium & Pius Quintus statuunt: Quod non habet locum secundum Nauarr. quando pars accepta, & deperdita ob omissionem horarum pertineret ad augmentum aliorum, tum enim huiusmodi fructus essent restituendi eis, ad quos de iure spectarent. Deinde secundum eundem Doctorē pauperes scholastici, si propter omissionem horarum fructus perdidissent, possent cum consilio & voluntate Confessarij, sibi reseruare fructus tanquam pauperibus, quando verè pauperes essent. Hæc de horis canonicis pro confessarijs.

CA-

CAPVT XIII.

DE DISTRIBVTIONE *fructuum Ecclesiasticorum.*

ANTE resolutionem notandum, quod beneficiarij tria bonorũ genera possunt habere. Patrimonialia, quæ per successionem, aut propriam industriam, aut donationem, aut alios contractus eo modo, quo laici iusto titulo acquisiuerunt, iuxta capit. Episcopus. 12. quæst. 1. & capit. Quia nos. de testamentis. Alia Ecclesiastica, quę de bonis suorum beneficiorum lucrantur; qualia sunt annui reditus. Alia quasi patrimonialia: vt sunt ea, quę lucrifaciunt missando, agendo capellanos, vicarios, aut alios actus spirituales exercendo; de quibus Innocent. & Hostiens. in d. c. Quia nos, & Panormit. in capit. Cum in officijs. de testament. Nauarr. de reditibus beneficiorum, q. 1. numer. 5.

Deinde in principio nescẽtis Ecclesiæ omnia erant communia, vt Actor. 4. constat, qui status apud Sacerdotes, & clericos longo tempore, vsque ad Augustinum & Hieronymum durauit. Crescente autem clericorum numero ad tollendas rixas & lites, & sedandas discordias, quas rerum communio non rarò solet

let generare, fuit facta diuisio bonorũ Ecclesiasticorum, & erecta beneficia. Fuerunt autẽ huiusmodi bona in quatuor partes distributa, Prima erat pro Episcopis. Secunda pro pauperibus. Tertia pro fabrica. Quarta pro inferioribus clericis, de hac materia vide 12. q. 1. capit. Quatuor. capit. Vobis. & capit. De reditibus cum sequentibus.

Prima Conclusio. Episcopi & clerici, qui habent bona patrimonialia, possunt de beneficijs viuere, & bona patrimonialia conseruare; & de eis disponere pro sua voluntate, contra Richardum quodlib. 3. quæst. 20. & Angelum in verb. Clericus 3. Conclusio autem est communis, & eam tenent Innocent. communiter receptus, in capit. Episcopus, de præbend. Panormitan. ibidem. Decius ibidem, qui Innocentij opinionem fatetur communem. Felin. in capit. Postulasti. de rescriptis. Sylvest. in verb. Clericus. 4. quæst. 10. Dominicus Sotus lib. 10. de iustit. & Iure. quæst. 4. articul. 3. in fine. Didacus Couarr. in capit. 1. de testament. numero 2. Nauarr. in Apologia libr. de reditib. Ecclesiasticis, monitione 30. & alibi. Quia secundum Apostoli doctrinam, nemo tenetur suis stipendijs militare. Obstat huic Conclusioni in primis illud Hieronymi ad Damasum, quod refertur 2. quæst. 2. canon. Clericos autem illos conuenit Ecclesiæ stipendijs sustentari, quibus

bus parentum & propinquorum nulla suffragantur bona. Qui autem bonis parentum, & bonis suis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profectò committunt. Huic accedit aliud Prosperi relatum 12. quæst. 1. canon. Illi autem, qui tam infirmi sunt, vt suis rebus renunciare non possint, si ea, quæ accepturi erant, dispensatori relinquunt, nihil habentibus conferenda, sine peccato possident sua, quia & ipsi quodammodo sua relinquunt, quando proprijs contenti rebus, nihil eorum quæ labori, vel ordini suo deberi arbitrantur. Ad Hieronymi verba, illa intelligenda sunt, vel de consilio: vel in extrema pauperum necessitate, secundum S. Thom. 2. 2. quæst. 185. artic. 7 ad 3. vel loquitur de statu Ecclesiæ, quando adhuc in communi viuebant, & omnia sua in vnum aceruum conferebant. Prosperi item dictum refertur ad primum & perfectissimum Ecclesiæ tempus, quando omnia florebant, & cuncti addictissimi erant, vt consilijs Apostolicis acquiescerent.

Secunda Conclusio. Ecclesiastici etiam efficiuntur Domini bonorum quasi patrimonialium; vnde de eis sicut de patrimonialibus possunt disponere. Cynus in Authent. Licentiam de Episcop. & Clericis. Panormitan. in capit. Cum esses. numer. 26. de testament. Hostiens. capit. Quia. eod. Turrecrem. 12. q. 5. in

q.5. in ſumma. Nauarr. de reditibus Eccleſiaſti quæſt.1. nu.7. & alij alibi: Ratio, quia illa conferuntur eis, ex bonis temporalibus, vel ſpiritualibus, vti merces & ſtipendium laborum & operum perſonalium; aut vt compenſatio eorum, quæ alia via acquirere ſibi poſſent.

Tertia Concluſio. Quod dictum de quaſi patrimonialibus, idem exiſtimo de quotidianis diſtributionibus, licet Nauarr. in d. lib. quæſt. 1. numer. 74. corollario 19. contradicat: Quia concluſionem hanc probat text. in cap. vnico, de cleric. non reſidentib. in 6. Dominicus, & Philippus Francus ibidem. Barbat. capit. fin. de peculio cleric. Decius conſil. 280. colum. 1. & alij alibi, & hæc opinio communis eſt, vt in capit. Cum in officijs. de teſtament. num. 4. ex alijs Couarr. tradit: Quia diſtributiones à canonibus Eccleſiæ miniſtris conceduntur, ob illud miniſterium, quod altari, aut diuino cultui impendunt, ex d. cap. vnico.

Quarta Concluſio. Idem eſt iudicium de penſionibus Eccleſiaſticis, quas Pontifex ſolet conſtituere ſuper beneficijs Eccleſiaſticis Cardinalibus; aut alijs perſonis eminentibus pro ſtipendio & meritis, aut Epiſcopis titularibus Suffraganeis, ſuper menſa Epiſcopi, aut Archiepiſcopi, cui inſeruiunt in ſpiritualibus. Hæc Concluſio eſt cõtra Nauarr. in dict. Apologia. quæſt. 1. monitione 23. veriorem præſentem concluſionem exiſtimat. Ad hanc concluſio-

clusionem etiam accedunt Hieronym. Gigas in tractat.de pensionibus.quæ.52. & Couarru. in dicto capit. Cum in officijs. numer.6. Constat, quia huiusmodi pensionibus conuenit definitio bonorum quasi patrimonialium, quia sunt bona quæsita ratione actuum pertinentium ad personas Ecclesiasticas, ea ratione, qua Ecclesiasticæ sunt, & nõ ratione iuris percipiendi reditus bonorum Ecclesiasticorum. Argumenta, quæ contra hanc conclusionem militant facit Nauar. in d. Apolog. monitione 80. & soluit in d. 23. monitione.

Quinta Conclusio. Episcopi, & alij clerici, si alicubi sint bona pauperibus assignata, vt in hospitalibus; si eis in alium vsum vtantur quã destinatum, non solum peccãt mortaliter, sed etiam tenentur ad restitutionem. 12. quæstion. 2. canon. de reditibus. & sequen. & Clement. Quia cõtingit. de religiosis domibus, & communis sententia. Concilium Tridentin. sess. 25. cap. 8. de Reformat.

Sexta Conclusio. Beneficiarius, qui malè viuit, & in peccato mortali, non tenetur ad restitutionem fructuum, quos in tali statu percipit, contra Adrianum in 4. de restitut. quæst. 14. col. 9. & Cardinalem Alexand. in summa. 12. q. 3. Communis opinio est in contrarium. Nauar. in Manuali Confess. cap. 25 num. 123. & de reditib. Eccles. quæst. 1. num. 72. Sotus de iustit. & Iure. quæst. 5. art. 6. in fine. Sylvest. in

verb. Clericus 4. quæst. 24. & alij alibi. Quia Ecclesiasticus, vt fructus sui beneficij percipiat ad nihil aliud tenetur, quàm vt canonicè beneficium possideat, horas recitet, & alia officia peragat, quæ ex fundatione, aut erectione beneficium postulant: Quæ vt quisiu gratia perficiat ad satisfaciendum, non est cnon qui probet, nec ratio, quæ suadeat: verum est quod ad merendum apud Deum gratia necessaria est.

Septima Conclusio. Clerici beneficia habentes ex eorum reditibus tantum expendere possunt, quantum ad eorum honestum victum, vestitum, cæterosque necessarios & congruos vsus sufficit: Quia reditus Ecclesiastici, attestante Innocentio in capit. Cum ab omni. de vita & honest. clericorum, principaliter assignantur, vt ex ipsis honestè viuere possint: Decentia autem status vniuscuiusque ab generali regula definiri non potest, eam sapiens & timoratus æstimabit consideratis circumstantijs: Et quoniam nimis afficimur ad nos ipsos, & ad extollentiam oculorum nostrorum, tutius est, atque salubrius cuilibet Ecclesiastico, declinare ad frugalitatem, & parcitatem status sui, vt aliquid relinquat pauperibus, vt rectè Gabriel in 4. d. 15. quæst. 8. conclus. 4. admonet. Conclusio probatur canon. fin. 12. quæst. 1. & capit. Videntes. ibidem. & in principio

d. 44.

d. 44. d. ex Hieronymo. Tibi ô Sacerdos, viuere de altari permittitur, non luxuriari: & S. Bernard. Epiſtola 2. ad Fulionem concludit his verbis. Denique quicquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum de altario retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt. Hanc concluſionem colligit ex canonibus Didacus loco citat. numer. 2.

Octaua Concluſio. Eccleſiaſtici habentes bona ſuperflua ſtrictius obligantur, ad dandum ſuperflua pauperibus, & operibus pijs, quàm ſeculares ſecularia. Sotus lib. 10. de iuſtit. & iure. quæſt. 4. art. 4. Nauarr. ſæpius in Apolog. & de reditib. Eccleſiaſticis, & alij alibi: Probatur Concluſio. In primis maior charitas ineſſe debet Eccleſiaſticis, ratione eminentioris ſtatus: qua de cauſa, etiam frugalius viuere debent, & pompam ſeculi contemnere, vt habeant vnde tribuant neceſſitatem patienti: Ad hæc cum eorum vita continentiæ voto munita ſit, nemini theſaurizare tenentur more ſecularium, quos poſterorum cura tangit. Poſtremò quoniam in ſacris canonibus bona clericorum ſingulari modo pauperum, & patrimonium Chriſti prædicantur, atque eis iniungitur, vt ſuperflua pauperibus tribuant, vt eſt videre ex S. Auguſtino in capit. Quod autem. 23. quæſt. 7. Non ſunt illa noſtra, ſed paupe-

rum; quorum procurationem quodam modo gerimus, & ex Ambrosio eadem causa, qu. 8.capit. Conuenior.& in capit.fin.12. quæst.1. & 16.quæst. 1. cap. Quicquid habent clerici, pauperum est.Sexta Synodus in capit.Apostolica.12. quæst. 2. tradit, reditus Ecclesiasticos esse ad vtilitatem ministrorum, & ob escam pauperum, & peregrinorum sustentationem. Ad idem accedit Clemens libr.2.cap.29.Constitutionum Apostol. & August. 16. quæst.1. capit. Decimæ. De hac materia latissimè vide Nauarr.loc.cit. & 12. causam in decretis.

Nona Conclusio. Clerici habentes Ecclesiastica beneficia, si fructus honestam & decentem sustentationem excedentes,expendantin vsus profanos,aut illicitos, vt ad delicias, voluptatem, aut fastum, aut vt consanguineos & amicos ditiores reddant,aut augeant: Si notabilis sit excessus, mortaliter peccant, secundũ communem DD. sententiam. Hanc conclusionem vt plurimum tenent Doctores citandi pro vtraque sententia sequentis conclusionis, nec est qui contradicat. Eam omnium latissimè confirmat Nauarr.de reditib. & in Apolog. quæst. 1. quæ est. An mortaliter peccent beneficiarij Ecclesiastici superfluè, aut profanè reditus suorum beneficiorum impendentes?Probant eandem conclusionem canones & Patres, quando volunt, & statuunt bona superflua clericorum in vsus pauperum erogandos.

gandos. Hieroymus ſupra citatus in d. 44. in principio. Tibi ô Sacerdos de altari viuere, nõ luxuriari permittitur. Luxuriãtur autem quicunque vltra ſtatus decentiam, & neceſſitatem plus debitò expendunt in cibo, aut potu, aut pompam huius ſeculi exolunt, Auguſtin. ſermone 37. ad Fratres in eremo. Memento quod pauperem vitam Sacerdos gerere debet, & ideò ſi ſuperbam habet, ſi magno gaudet beneficio, præter victum & veſtitum, quod ſuper eſt, pauperibus dare non differat, quia omnia pauperum ſunt, verbum autem illud, quod negare non debet fidelis, qui altari ſeruit, de altari viuat: omninò verũ eſt. Bernard. in d. Epiſt. Veruntamen, inquit, quæ ſunt illa beneficia? Eccleſiæ, rectè, quia ſurgis ad vigilias, vadis ad miſſas, horis chorum nocturnis diurniſque frequentas, benefacis: Sic Eccleſiæ præbendam gratis non accipis: dignum eſt, vt qui altario deſeruit, de altario viuat, concediitur ergo tibi, vt ſi benè deſeruis altario, viuas; non vt de altario luxurieris, vt de altario ſuperbias, vt inde compares tibi fræna aurea, ſellas depictas, calcaria deargentata, varia, griſeaque pellicea à collo, & manibus ornatu purpureo diuerſificata; denique quicquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum, de altario retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt. S. Ambroſius libr. 1. offic. capit. 3. Melius eſt vt ipſe tuis ſubuenias, quibus pudor

dor est, ab alijs sumptum deposcere, non tamen, vt illi ditiores fieri velint ex eo, quod tu conferre potes in opibus: Neque enim propterea te Deo dedicasti, vt illos diuites facias, sed vt tibi vitam perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio miserationis peccata tua redimas. Putant se parum poscere: primum quærunt tuum, contra accusant, quod eos diuites non feceris, cum te velint illi parentes, æternæ vitæ fraudare mercede. & canon. Apostolorum. 37. Omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam habeat Episcopus, & ea velut Deo contemplante dispenset, nec ei liceat ex eis aliquid omninò contingere: aut parentibus proprijs, quæ Dei sunt, condonare: Quod si pauperes sint, tanquam pauperibus subministret, ne eorum occasione Ecclesiæ deprædentur. Vide can. 12. quæst. 1. capit. Sint manifestæ. & can. Res Ecclesiæ, & quæst. 2. capit. Quisquis. His & alijs adhæret Concilium Tridentinum sess. 25. capit. 1. de reformat. iubet secundum Concilium Carthaginense quartum & canones Apostolorum, vt Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint, & vt nihil appareat apud eos, quod non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat. Omnino etiam interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, aut familiares suos augere studeant,

ant, cum & canones Apostolorum hoc prohibeant. Deinde idem Concilium monet, vt omnem humanum erga fratres, nepotes, propinquos, carnis affectum, vnde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Quæ verò de Episcopis dicta sunt: eadem non solum in quibuscunque beneficia Ecclesiastica tam secularia, quã regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione obseruari, sed etiam ad sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinales pertinere decernit. Hæc Concilium. Ex dictis clarè præcedens Conclusio constat. Dubium hic esse potest, super quo quidam timoratus aliquando scrupulum mouit. An Ecclesiasticus possit de bonis Ecclesiasticis dotare sororem, aut consanguineam? Respondeo quod sic quando eget, & non habet aliunde: quia causa dotis est fauorabilior, quàm aliorum: vnde sicut potest alere debet etiam dotare, si indigentia sit, & in hac re non est scrupulus ingerendus, lege ad hoc Panormitan. Anthonium à Butrio, & Ioan. Immolen. in capit. Peruenit. de arbitris. Sylueſtrum verb. Clericos 4. quæst. 15. & alios alibi. Imò quod plus, addo cum Nauarro in commentario de spolijs clericorum prope finem clericos non solum alere, sed etiam dotare posse filias spurias de reditibus Ecclesiasticis; quando aliunde non habent, vt ex patrimonialibus, vel quasi pa-

si patrimonialibus. Quia qui potest & debet filias alere, potest, & debet etiam dotare; cum dos succedat loco alimentorum secundum communem peritorum sententiam. De iure autem naturali Pater etiam filios spurios tenetur alimentare, capit. Cum haberet de eo, qui duxit in matrimonium: & communis opinio ibidem. Ergo potest etiam, imò tenetur si habet, & filia aliundè non habet, dotare, cũ dos ad sustentationem necessaria sit. Quando autem Ecclesiastici suas sorores, aut consanguineas dotant, debent seruare moderationẽ, ne cum scandalo secularium notabiliter vltra quam status eorum fert, augeant, exaltent: Alias sine dubio iuxta prædicta, culpam mortalem incurrerent.

Decima Conclusio. Quamuis secundũ communem sententiam, & iam positam conclusionem Ecclesiastici, si reditus suorum beneficiorum superfluè, aut profanè impendant, mortaliter peccant: an tamen ad restitutionẽ sic impensorum teneantur, cum adhuc non satis strictè hoc definitum sit, problema esse in scholis potest, nec de parte negante quis erroris condemnari poterit: Euidẽs est conclusio, quia tam aiens, quam negans pars probatos habet Doctores, & tam auctoritates, siue etiam canones, quàm rationes soluuntur, nec est certa Ecclesiæ definitio. Affirmantem partem quod sint obligati ad restitutionem tenent

nent Canoniſtæ. Archidiaconus cum Dominico Geminiano in ſumma 44. d. & idem Archid. in capit. ſtatutum. §. aſſeſſorem de reſcriptis in 6. vbi dicit contrarium eſſe hæreticum in iure canonico, & in capit. Præſenti. de offic. ordinarij in 6. ibidem, ſequuntur ipſum Ioan. Andræas, Dominicus & Petrus Ancharanus, Panormitan. in capit. Cum ſecundum, de præbend. Ioannes Lignanus in Clement. Gratiæ. de reſcript. Felin. in cap. Poſtulaſti. numer. 6, eodem tit. Antonin. Burgenſis in capit. 1. de empt. & vendit. num. 28. Alberic. in Dictionario ſuo verb. Clericus. Summa Angelica verb. Clericus. 3. §. 4. Summa Piſana eodem verb. 4. & hæc ſententia eſt communiſſima apud canoniſtas. Ex Theologis ſequuntur S. Antoninus 3. part. tit. 15. capit. 1. §. 19. & 2. part. tit. 2. capit. 2. §. fin. Alexander Halenſ. 3. part. quæſt. 36. memb. 5. art. 2. & ſeq. Thomas Walden. Tom. 1. libr. 4. cap. 42. & 43. &c. Richard. in 4. d. 45. art. 3. quæſt. 1. ad 1. Paludan. in 4. d. 24. quæſt. 3. art. 3. Gabriel in 4. d. 15. quæſt. 8. concluſ. 5. Maior ibidem, d. 24. q. 17. qui teſtatur communem, Dionyſ. Carthuſ. contra pluralitatem beneficiorum artic. 11. cum Vdalrico. Petrus à Soto de inſtitut. Sacerdotum in tract. de vita Sacerdotum. lect. 3. qui exiſtimat contrarium dicere eſſe contra bonos mores, iuſtitiam, imò & ſacram ſcripturam: Michael Medina lib. 7. cap. 21. de recta in Deum fide, &

vocat contrariam ſententiam ſacrilegam, & excluſiſſe Euangelicum miniſterium ab eo tempore, quo in ſcholas irruperit. Franciſcus Turrianus D. Theologus Societatis Ieſu doctiſſimè ex ſacris literis, & canonibus in Epiſtola ad Gonzalum Herreram Epiſcopum Leodicen. Achilles Statius Luſitanus in Epiſtola de hac re ad Martinum Nauarrum. Omnibus latius & doctius ex propoſito hanc partem proſequitur, ac probat dictus Martinus in libr. de reditibus Eccleſiaſt. quæſt. 2. & in Apolog. eiuſdem libr. quæſt. 2. & in propugnaculo eiuſdem Apologiæ. Quid S. Thomas in hac quæſtione ſentiat non ſatis eſt clarum: Quia pro vtraque parte citatur, vt patet ex Nauar. Soto, & Couarr. qui ipſum pro vtraque ſententia citat.

Negantem partem non eſſe obligatos ad reſtitutionem, quamuis etiam mortaliter peccent, tradunt Franciſcus Cardinalis Zabarella in Clement. Quia contingit. de religioſis domib. quæſt. 2. & in Clement. Gratiæ. de reſcriptis. numer. 12. verſ. ad quintam. Præpoſitus in ſumma diſt. 44. ad longum. Adrian. in 4. ſentent. de reſtitutione in quæſt. 12. incipienti: Pro clariori intelligentia dictorum. Dominicus Sotus libr. 10. de iuſtit. & Iure. quæſt. 4. art. 3. latè & art. 4. concluſ. 1. breuius. Didacus Couarr. in cap. Cum in officijs. de teſtament. Ioſephus Angles in floribus 2. part.

in 4.

in 4. ſentent. in tract. de reſtitut. in quæſt. de reſtitutione facienda propter negligentiam clericorum 9. difficult. & aliqui alij Hiſpaniæ Doctores, qui hanc materiam ad longum tractarunt. Ex dictis patet nihil adhuc certi eſſe determinatum, & vtramque partem probabilem. Rationes, quæ fiunt pro negante parte ſoluuntur à Nauarr. de reditibus Eccleſiaſticis, q. 2. à num. 14. Quæ faciunt pro affirmante, ſolui poſſunt ex dictis à Soto, Gabriele, Adriano, & Præpoſito: Quare ſalua manet Concluſio.

Vndecima Concluſio. Communis ſententia eſt magis conformis canonibus, & dictis ſanctorum, & ſecurior; quod teneatur ad reſtitutionem, ſic enim atteſtantur S. Antonin. Archid. Gabriel & alij alibi: Quod etiam ſecurior ſit patet; quia in re dubia magis fauet ſaluti animarum, & neceſſitati pauperum. Ea de cauſa Gerſon in tract. de temperantia prælatorum in victu, & veſtitu: Quod ad reſtitutionem teneantur, non audet definire, ſed dat locum conſilio Auguſtini. Tene certum & dimitte incertum. Adhæc affirmans eſt communis, & grauiores ac plures tam Theologiæ, quàm canonum pro ſe habet Doctores, & canones ſine vlla literæ torſione ei fauent, vt ex ſupra allegatis clarum eſt. Sed quoniam contraria ſententia ſuis etiam non caret rationibus, & auctoritate probato-

batorum DD. fulcitur & benignior & mitior existit, vt Gabriel & Couarr. videtur, nullius conscientia grauanda, quamuis & consilium de eo, quod melius dandum: Non enim in rebus dubijs, quando pro vtraque parte graues DD. sunt, conscientiæ sunt onerandæ: aut aliquid certi determinandum: Quia nec in his Ecclesia, quæ Spiritu sancto regitur, facilè determinat, vt apertum est in solemni illa quæstione: de conceptione gloriosissimæ Mariæ Virginis, Sit ne concepta in originali peccato vel non? cuius affirmantem partem Ecclesia non tanquam falsam damnat, sed ad negantē piè credendam, tanquam vero similiorem inuitat: Quoniam pro vtraque parte maximi DD. & necdum certi aliquid definitum est, vt clarum est ex Extrauagante Xysti Quarti, quæ incipit. Graue nimis, inter Extrauagan. communes de reliquijs & veneratione sanctorum; Quam Extrauagantem Concil. Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali innouat.

Duodecima Conclusio. Quicunque clericum inducit, vt prodigè, & superfluè sibi aliquid donet de fructibus Ecclesiasticis, mortaliter peccat, quamuis non teneatur ad restitutionē, secundum negantem sententiam: Quia non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus digni morte, iuxta Apostolicam ad Romanos doctrinam, & iuridicam regulam, facientem & consentiētem pari pœ-

na

na constringi. Hæc Conclusio efficaciter colligitur ex dictis in 9. & eam exprimit Adrian. loc.citat.vers. pro solutione secundi. An is cui aliquid prodigè donauerit,&c.

Decimatertia Conclusio. Clerici de reditibus suorum beneficiorum possunt etiam remunerare de se benè meritos in rebus licitis & honestis, ex Gloss.in cap. Res 12. quæst. 1. Innoc.recepto in ea.Indecorum.de ætate &qualit.ord. Cardinali cons.110.& Nauarr. de reditib.q.1.num. 9. Ratio esse potest, quia remunerare bene meritos, spectat quasi ad honestatem & necessitatem ipsius clerici. Nemini autem dubium est, quod clericus possit fructus sui beneficij impendere in proprios & necessarios vsus.

Decimaquarta Conclusio. Secundum canones clericus habens beneficium Ecclesiasticũ, non potest de reditibus eius, aut de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis proprio testamento disponere, capit. Relatum 2. de testamen. Panormit.ibidem, & latius in capit. Cum esses. ibidem, & hæc est communis sententia, vt attestatur Couarr.in d. cap.Cum in officijs. numer.5.& Nauarr.de reditibus.q.3.& in Apologia eadem q. & multis canonibus prohibetur clericis testari,capit. Episcopi cap. Sint manifestæ.12.q. 1. cap. Quia Ioannes.capit. Fixum. 12.q.5.cap.Ad hæc.capit, Quia nos.cap. Cum

in

in officijs. cap. Relatum ſecundum. de teſtamentis.

Decimaquinta Concluſio. Non obſtantibus canonibus dictis pro honeſta conſuetudine, licitum eſt clericis de reditibus ſui beneficij teſtari & diſponere ad pias cauſas: aut in remunerationem benè meritorum in viuis impenſorum, aut etiam alias in modica quantitate, vt quidam rectè tradunt, ex d.cap. Relatum, & communi ſententia. Conſuetudo autem talis tantum facit, vt poſſint teſtari ad pias cauſas, & in remunerationem meritorum, quod de iure communi fieri non poterat. Verum Epiſcopis nec etiam licitum eſt ad pias cauſas teſtari, niſi ad id à Romano Pôtifice licentiam habeant, vnde conſtat eis tantum competere, quod ius commune regulariter præſcribit.

Decimaſexta Concluſio. Si generalis alicubi ſit conſuetudo, vt beneficiati de fructibus ſuorum beneficiorum diſponant, aut ab inteſtato hæredes ſuccedant, ſiue beneficiarij ſint domini ſuorum fructuum, ſiue non, exiſtimo & pro certo habeo, quod taliter diſponentes mortaliter peccent, & etiam inducentes ad talem diſpoſitionem, ſi in exceſſu conſanguineis relinquant, niſi fiat intuitu pietatis & paupertatis: aut tantundem de patrimonialibus, aut quaſi in vſum Eccleſiæ: aut pauperum contulerint: probatur Concluſio.

Talis

Talis consuetudo à communi DD. sententia reprobatur. Eam reprobant Hugo & Archid. in 12. quæst. 5. in summa. Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ libr. 2. cap. 28. Panormitan. in cap. Cum esses. de testamen. in relect. Rochus Curtius in capit. fin. de consuetud. Hostiens. cum alijs in capit. fin. de peculio clericorum. Barbatius in tractat. de præstantia Cardinaliũ, 1. part. quæst. 4. Philippus Francus in Rubr. de testament. in 6. vers. Vigesimo prohibentur testari, & alij alibi; & horum opinio magis communis est, vt Couarr. loc. citat. num. 9. & Nauarr. in d. quæst. 3. attestantur. Deinde probatur Conclusio. Ex iure communi, beneficiarius maiorem habet potestatem donandi in viuis, quàm testandi in morte, cap. Ad hæc. de testament. & cap. Relatum. 2. ibidem. & in capit. Quia Ioannes. 12. quæst. 5. & DD. ibidem. Sed secundum communem sententiam etiam tenẽtium beneficiarios esse Dominos suorum redituum, beneficiarius peccaret in viuis, si amicis & consanguineis sine intuitu paupertatis, & pietatis, in notabili quantitate donaret, vt supra ex canonibus & auctoritate DD. probatum est: Ergo multo magis peccat: si in fine mortis, quando iam ratio reddenda de fideli administratione, in vsus profanos disponit, aut bona pauperibus secundum canones distribuenda cognatis, aut consanguineis diuitibus relinquit; Ad hæc

si ta-

si talis consuetudo id licitum efficere potest contra ius, vt beneficiarius omni modo & liberè pro sua voluntate de bonis Ecclesiasticis disponat, ad quid distinctio illa & differentia bonorum patrimonialium, vel quasi, & Ecclesiasticorum, quam omnes DD. non modo veteres, sed etiam recentiores ponunt & admittunt, & attestantur quod de his disponere minimè nisi ad pias causas possunt, in alijs verò omnimodam testandi libertatem concedunt. At si talis consuetudo tam efficax est cõtra ius commune, canones, & DD. sententiam communem, vt licitè beneficiarius sine peccato mortali, in omnem causam & euentum in morte sua bona possit relinquere etiã diuitibus & potentibus. Quid opus tanto labore in distinguendo, & conciliando? an maior pietas in vita quàm morte necessaria. Tollimus facultatem beneficiario in vita donandi ad profanas causas: & concedimus, ad eas relinquendi & testandi in fine vitæ: Si quis ergo quærat, quid huiusmodi consuetudo operetur, & quis eius effectus? Respondetur quod efficit, vt beneficiarius in morte per viam testamenti possit disponere ad pias causas, etiam in qualibet quãtitate de bonis beneficiorum, aut intuitu beneficiorum, acquisitis: Quod de lege communi non poterat: & sic cum consuetudo sicut etiam priuilegium debeat aliquid operari præter ius commune, id efficit.

Præ-

Præterea operatur, vt huiusmodi testamenta non deducantur ad iudicium, sed tolerentur ad declinandum seminarium litium: Quare etiam cautum est apud Hispanos lege regia in comitijs Vallisoleti habitis, capit. 47. vt huiusmodi consuetudo seruetur: Interim tamen relinquitur conscientijs beneficiariorum, an benè vel malè disponant: Si quis petat: quæ ratio; quare in iure, beneficiarijs maior sit cõcessa potestas donãdi; quàm testandi: Respõdeo, quod Ecclesia prohibuit Ecclesiasticis facere testamentum de bonis Ecclesiasticis, quia disponerent, ac distribuerẽt bona illa in tempus, quo nec verè, nec fictè eorum Domini futuri essent, nec etiam dispensatores, quippe qui bona illa non possideant, vt propria, sed tanquam aliena, à iure per obitum extinguenda, nec ad eorum hæredes transitura. Panormit. Petrus Ancharan. & alij Doctores in ca. Ad hæc de testamentis. Qui DD. cum textu pro certo habent, quod Ecclesiastici tantum sint dispensatores, & sic cum dispensatio taliũ bonorum desinat per mortem, non potest transire in actum mortuo dispensatore. Cum autem dispensator, & administrator, sit in vita, potest in eleemosynam, aut in remunerationem benè meritorum in moderata quantitate donare, etiam in morte cum tum habeat administrationem tanquam viuens bonorum sibi commissorum, nec sic distribuere & do-

nare repugnat bonæ fidei distribuentis: Cum concedatur hoc in vsum pauperum & remunerationem benè meritorum, cum hæc quasi ad propriam necessitatem spectent. Prohibetur autem in d. cap. Ad hæc secundum DD. immoderata donatio in morte, propter suspicionem translationis bonorum in alios pro voluntate, in fraudem Ecclesiæ, & pauperum: aliàs in vita donare, ad pias causas, in qualibet quantitate est permissum: cuius tamen contrarium statuitur in morte. Notandum tamen praxis posita à Panormitano, in dicto cap. Ad hæc. & Barbatio ibidem, quos sequitur Couar. in capit. Cum in officijs, quod quando in vita clericus aliquid donat, vt à viuente fiat actualis traditio bonorum, quæ donantur: aliàs talis donatio non sortiretur effectum. Deinde hoc fuit prohibitum, vt Nauar. de reditib. Ecclesiasticis. quæst. 3. num. 2. tradit, ad inuitandum eos ad liberalitatem in vita exercendam, & ad euertendum à nimio desiderio bonorũ temporalium, dum perpendunt vsumfructũ tantum eis relinqui sub conditione, ne disponere decedentes è vita pro proprio arbitrio valeant.

Hæc de distributione bonorum Ecclesiasticorum sufficiant, ex quibus & alijs, quas tam Doctores, quàm canones tradunt elicitur, cum quanto timore bona Ecclesiastica distribuenda, cũ quanto periculo possideantur,

tur,& congregentur,ac quam maximo discrimine salutis propriæ & alienæ, in morte relinquantur. An autem, qui vel ab intestato in eis succedunt,vel quibus per viam vltimæ dispositionis contra canonum decreta relinquuntur, ad eorum restitutionem pauperibus, aut Ecclesiæ in conscientia teneantur:quod communior opinio sentit, non sine magnis rationibus, eius scientiæ relinquimus, qui omnia nouit,& discutiet, quando iudicaturus seculum per ignem.

QVINTA ET VLTIMA PARS; DE CENSVRIS ECCLESIASTICIS, ET IRREGVLARITATE.

CENSVRA in præsenti materia nihil aliud est, quam correctio Ecclesiastica, qua Ecclesia punit crimina, & transgressiones: Hinc censura nominatur neruus Ecclesiasticæ disciplinæ, capit. Cum inter. de consuetudin. Quia quemadmodum vires hominis consistunt in

Quid nomine censuræ intelligatur.

neruis: ita in sententia censuræ positæ sunt vires Ecclesiæ.

Irregularitas non est censura.

Tres autem sunt censuræ. Excommunicatio, Interdictum, & Suspensio, capit. Quærenti de verborum significatione. Irregularitas autem non est censura, sed quædam indecentia, & inhabilitas ad ordines & Ecclesiastica officia.

CAPVT I.

DE QVIBVSDAM GENERALIBUS spectantibus ad cognitionem Excommunicationis.

DE hac materia legendi canonum Doctores in iure canonico in tit. de sententia excommunicationis. Theologicum Magistro in 4.d. 22. Summistæ in verb. Excommunicatio. S. Antonin. 3. part. tit. 24. Didac. Couarr. in capit. Alma mater. de sententia excom. lib. 6. Ioan. de Lignano in tract. de censuris. Candelabrum aureum latè 2. part. per tot. & post alios doctè Henric. Henriquez. tomo 1. moralis Theolog. lib. 13. F. Fœlicianus Episcopus Scalensis in Enchiridio de Censuris. Nauarr. in Manuali Confessariorum à cap. 27.

Materia excommunicationis latissima est, & dependet ex canonibus. Quare hic neru-

dio-

diores, quos instruere cupimus, cõfundamus, breuem, & necessariam doctrinam ponemus. Eruditiores, Doctores cit. consulere poterunt.

An potestas sit in Ecclesia excommunicandi?

CERTISSIMA fide tenendum est, in Ecclesia esse potestatem excommunicandi: contra hæreticorum calumnias, quos confutant Alphonsus Castrens. in lib. de hæresib. in verb. Excommunicatio. & Dominicus Sotus in 4. sentent. d. 22. q. 1. Constat hæc veritas. Matth. 18. Si peccauerit in te fratres tuus, &c. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus. & 2. Ioan. 1. Si quis venerit ad vos, & hanc doctrinam non habet, nolite eum recipere in domũ, nec aue ei dixeritis. 1. Corinth. 5. Si is, qui Frater nominatur inter vos est fornicator, aut auarus, &c. Cum huiusmodi ne cibum sumere, & ibidem. Iam iudicaui, vt præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, &c. tradere huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit. Tradere hominem Sathanæ, est excommunicare: Vnde Augustinus de verbis Apostoli, cap. 68. cuius verba referuntur, 11. q. 3. can. Omnis Christianus. Omnis Christianus, qui à Sacerdote excõmunicatur, Sathanæ traditur: Quomodo?

Tradere hominem Sathanæ quid sit.

do ? Quia ſcilicet extra Eccleſiam Diabolus eſt, ſicut in Eccleſia Chriſtus, ac per hoc quaſi Diabolo traditur, qui ab Eccleſiaſtica communione remouetur. Vnde illos, quos tunc Apoſtolus Sathanæ traditos eſſe prædicat, excommunicatos à ſe eſſe demonſtrat. Plurima Patrum, de hac materia teſtimonia, qui videre voluerit, legat Caſtrenſ. & Sotum, & Gratianum, 11. q. 3. Eadem veritas probatur etiam ex canonibus & praxi vniuerſalis Eccleſiæ, vt eſt videre in toto tit. de ſententia excommunicat. Notandum quod non ſolum recentiores Doctores, ſed etiam ſacræ literæ, excommunicationem nomine Anathematis intelligant. Zach. 4. 1. Machab. 5. Ioſue 7. 1. Corinth. 16. ad Galath. 1. &c. De deductione & ſignificatione dictionis anathematis multa doctè colligit Couarr. in d. c. Alma mater. 1. part. §. 8. num. 6. & 7. Excommunicatus dicitur, anathema quaſi ſepoſitus & ſegregatus à conſortio fidelium.

Quid eſt Excommunicatio?

EST cenſura Eccleſiaſtica, quæ priuat communione ſacramentorum tantum, aut ſacramentorum & hominum. Dicitur autem excommunicatio, quia priuat communione ſacramentorum, Eccleſiæ, & fidelium. Excommunicatio autem non eſt peccatum, ſed præſupponit peccatum, cum ab extrinſeco etiam homi-

homine nolente infligatur. Infertur autem in vtilitatem & correctionem delinquentium, vt sit medicinalis, non mortalis, disciplinans, nõ eradicans, cap. Cum medicinalis, de sent. excommun. in 6. Quia Apostolus tradidit hominem Sathanæ, vt Spiritus saluus fieret.

Quotuplex est Excommunicatio?

DVPLEX. Maior, & Minor.

Maior est, quæ separat à communione fidelium, & participatione tam actiua quam passiua sacramentorum, id est, vt nec possit recipere nec administrare sacramenta. *Quid maior excommunicatio sit.*

Minor est, quæ separat tantum à participatione passiua sacramentorum, id est, facit, vt ea excommunicatus nõ possit recipere sacramenta, & priuat etiam electione passiua, c. Si celebrat. de clerico excom. ministrante. *Quid minor.*

Maior excommunicatio est duplex. Generalis, & particularis. Generalis, quæ generaliter lata quo ad personas, & crimina ex. gr. Si canon dicat, vel statutum. Quicunque incendiarius sit excommunicatus.

Particularis, quę fertur in aliquem pro particulari crimine: vt quando Petrus à Iudice excommunicatur propter contumaciam, quia non vult satisfacere sententiæ in eum latæ.

Generalis iterum duplex est, Lata à iure, & lata ab homine. Lata à iure est, quando in genere canon, lex, aut statutum excommunicat aliquem, qui hoc vel illud fecerit: Huius

generis ſunt multæ excommunicationes, in iure canonico, de quibus infra. Lata ab homine, quando Iudex, aut ſuperior fert excommunicationem in eum, qui hoc vel illud fecerit. Eſt autem differentia inter has duas excõmunicationes, quod lata ab homine, deſinit mortuo eo, qui eam tulit, aut ablato ab eo officio, quantum ad eos, qui eam non incurrerunt, antequam moreretur, aut officio defungeretur, iuxta Gloſſam, Panormit. & communem ſententiam, in cap. Ad nobis. de ſentent. excommun. Lata autem à iure minimè tollitur.

Differentia inter excommunicationẽ latam ab homine, & inflictã à iure.

Diuiditur deinde excommunicatio in iuſtam, & iniuſtam. Iuſta eſt, quando fertur à ſuo iudice propter debitam cauſam iuris, ſeruato ordine in modo procedendi. Iniuſta, quæ fertur à non habente poteſtatem: aut non ob iuſtam cauſam: nec debito ſeruato iuris proceſſu. Iniuſta ſubdiuiditur in iniuſtam validã, & in iniuſtam inualidam ſiue nullam. Iniuſta valida eſt, quando eſt defectus debitæ intentionis in Iudice, vtpote quia ex odio, ira, &c. excommunicat, aut non ſeruatur forma, præcedente trina admonitione: vel non ſubeſt iuſta cauſa. Iniuſta inualida ſiue nulla, quæ nullam inducit obligationem, niſi ob ſcandalum populi; Vnde per ſcientiam ſublato ſcandalo, nihil obligationis inducit. In multis autem caſibus ſententia excommunicationis iniuſta,

poteſt

potest esse inualida & nulla, quos colligit Gloss. lib. 6. eod. tit. cap. Præsenti. Angelus verb. Excommunicatio 3. & alij. Summistæ, Nauarr. in Manuali, c. 27. num. 4. ad quinque reducit, sed de his, qui legere voluerit, videat Doctores.

De causa Excommunicationis.

CErtissima in hac materia regula est, quod nullus potest excommunicari nisi propter peccatum mortale, S. Thom. Richard. Paludan. Durand. & alij in 4. d. 18. Sotus in 4. d. 22. q. 1. art. 2. Adrian. in q. 3. de clauibus, Felin. & alij in Rubr. de sentent. excommun. Nauar. in Manuali Confess. c. 27. num. 9. Couarr. in d. cap. 1. part. §. 9. & hæc est communissima DD. sententia. 11. q. 3. can. Nemo Episcoporum. & ratio est. Quia excommunicatio est maxima pœna Ecclesiæ, quæ separat à maximis bonis, quibus nemo priuandus, qui seipsum prius charitate non priuauit: Quare DD. sequentes Petrum Paludan. in 4. d. 18. quæst. 1. art. 2. tradunt eum, qui se liberum iudicat à peccato mortali, tuta conscientia posse liberum etiam se credere ab excommunicatione. Quæ regula sanè intelligenda est, quando quis rationabiliter se iudicat non peccasse mortaliter. At si quis ignorantia crassa, & affectata laboraret, nihil prodesset nisi ad excusandum excusationes in peccatis. Nec pro quocunque peccato

Nemo excommunicatur nisi pro culpa mortali.

Contumax quis sit. mortali homo excommunicandus est, nisi sit contumax. Contumax autem censetur, qui persistit in peccato mortali præterito: aut non vult comparere in iudicio vocatus, vel sine licentia recedit: vel non vult parere iusto præcepto iudicis & superioris. Prædicta etiam regula quod nullus excommunicandus nisi propter peccatum mortale intelligenda, de excommunicatione, quæ ob culpam præteritam fertur à iudice & superiori: vt rectè tradunt, Petrus à Soto de institutione Sacerdotum lect.3. de Excommunicatione, & F. Fœlicianus in Enchiridio de Excommun. cap. 10. Quando autem sub excommunicatione prohibetur aliquid futurum siue à iure, siue ab homine non est opus, vt id ex natura sua sit peccatum mortale; exempli gratia: Pontifex, aut etiam Concilium prohibet sub pœna excommunicationis, ne laicus, vel alius exceptis illis, quibus hoc conceditur, ingrediatur clausuram monialium: cum tamen hoc ex se peccatum non sit: colligitur ex tali pœna intentionem præcipientis esse transgredientem præceptum incurrere peccatũ mortale. Quia quicquid prohibetur, sub pœna excommunicationis intelligunt Doctores prohiberi sub peccato mortali. Quare eodem actu transgressionis & peccatum mortale, & excommunicatio incurritur, ex mente & intentione præci-

præcipientis, vt Petrus à Soto loco cit. & Didacus Couarr. in capit. Alma mater. de sentent.excommun.in 6.1.part.§. 9.numer. 1. docent. Excommunicatio pręcepto apposita signum certissimum est, præcipientem intendere materiam præcepti ad mortalē culpam reducere. Postremò hic notanda regula posita à Caietano in summa verbo Excommunicatio: quam communiter DD.approbant. Quando actio propter quam quis excommunicatur non est consummata, licet sit incepta: non est locus excommunicationi: nisi exprimatur, quod etiam dantes consilium, auxilium, consensum, & imperium etiam sint excommunicati, & tunc nisi sequatur effectus, non incidunt in excommunicationem.

Quando homo excusatur ab excommunicatione?

IN quatuor casibus. *Primus*, quando excommunicatio cōtinet intolerabilem errorem, vtpote cum aliquid præcipitur contra ius diuinum, naturale, aut positiuum.

Secundus, Quando fertur, pro re leui.

Tertius, Quando quis non potest obedire sine maximo suo detrimento, vt si præcipiatur restitutio laboranti inopia: huic adhere possumus, si quid impossibile iniungatur alicui sub pœna excommunitationis, quod facere nequit sine periculo corporis, aut animæ,

mæ, argumentum ſumitur, ex capit. Venerabilibus.§. fin.de ſentent.excommun.in 6.Nauar.in Manuali,capit.27.numer.4.&14. Quia ad impoſſibile nemo obligatur. Arbitror tamen, quod quando aliquid impoſſibile præcipitur à Iudice alicui ſub pœne excommunicationis, vtpote ſi pauperi ſolutio debiti iniungatur,quod ſoluere nequit niſi furetur:aut ægrè viuat: quod ante ſententiam impoſſibilitatem allegare debeat: Quod ſi fecerit, & iudex in ferenda ſententia perrexerit, non ligabitur; ſed poteſt iuſtè appellare. Tenebitur tamen ad reſtituendum, vel ſoluendum talis quamprimum poterit, de qua re iudex iuramentum accipere poterit. Notandum tamen eum manere excommunicatum, qui tempore excommunicationis potuit reſtituere & noluit, etiamſi poſtea reſtituere non poſſit, erit nihilominus à iudice abſoluendus præſtito iuramento de reſtituendo, quam primum poterit.

Quartus caſus, quando aliquis retinet alienum titulo recompenſationis, licet enim peccauerit accipiendo,non tamen ad reſtitutionem tenetur, quia alienum non retinet: Quare cum iure naturali à reſtitutione excuſetur, ſimiliter ab excommunicatione liberabitur. De hoc caſu.Nauarr.in Manuali,ca.17. numer.114. Vide etiam pro hac materia Ioſephum

phum Angles in florib. Theolog. quæstion. in 4. part. 2. in quæst. de excommun. difficult. 2.

Quis potest excommunicare: & quis excommunicari?

PRIMA *Conclusio.* Omnes Ecclesiarum Prelati, vel iudices siue ordinarij, siue delegati, qui de iure, vel consuetudine, vel ex commissione potestatem habent: siue sint Sacerdotes, siue non, modò sint clerici non vxorati. Hinc Pontifex potest excommunicare in tota Ecclesia. Item Concilium generale. Episcopus in sua Diocœsi. Concilium prouinciale in tota prouincia. Abbas in suo monasterio, &c. Pastores & Sacerdotes habētes curam animarum non possunt parochiæ subditos excommunicare: Quia licet sint Sacerdotes, & habeant iurisdictionem in suos in foro conscientiæ, siue interiori, non tamen habent potestātem in foro exteriori, nisi eis committatur, quæ requiritur ad hoc, vt quis valeat excommunicare. Gloss. recepta in capit. Transmissa. de Electione.

Secunda Conclusio. Excommunicari possunt omnes Christiani baptizati viuentes, qui subsunt alicui exercenti iurisdictionem Ecclesiasticam. Dictum baptizati, quia si quis non sit per susceptionem baptismi ingressus in Ecclesiam, non potest excommunicari, additum (viuentes) quia mortui non excommunicantur,

tur, declarantur tamen aliquando mortuiet communicati, quando ante mortem latenter fuerunt in excommunicatione.

De effectibus Excommunicationis.

MVLTI ex canonibus enumerantur effectus, quos excommunicatio operatur, de quibus Summistæ in verbo Excommunicatio. S. Anton. 3. part. tit. 25. c. 72. aut 76. Alphonsus à Castro in verb. Excommunicatio. Sotus in 4. d. 22. q. 1. art. 1. Couarr. in d. cap. Alma mater. 1. part. §. 6. & seq. Henriquez loco cit. cap. 4. & Nauarr. in Manuali, capit. 27. num. 17. Hic breuiter principaliores ponemus, qui foro cõnscientiæ inseruiunt.

Primo, Priuat fructu orationum, & participatione bonorum communium in Ecclesia; nec non etiam exercitio actiuo, & passiuo sacramentorum. *Secundo*, Efficit quod excommunicatus non possit interesse diuinis officijs in Ecclesia, vel extra cum alijs: quamuis possit separatus ab alijs in Ecclesia etiam orare. *Tertio*, Excludit à regno cœlorum. *Quarto*, Si quis excommunicatus exerceat actum alicuius ordinis peculiarem, efficitur irregularis. *Quinto*. Excommunicatus non potest beneficium Ecclesiasticum acquirere, si acquirit, collatio est nulla: & si quis per annum perseueret in excommunicatione potest omnibus beneficijs priuari. *Sexto*, Excludit

ab

ab electione canonica actiua & passiua, id est, excommunicatus nec potest eligi ab alijs, nec ipse alios eligere. *Septimo*, Si excommunicatus sit denunciatus subditi absoluuntur à debito fidelitatis & subiectionis. *Octauo*, Excluditur ab omni actu legitimo, vt procurare, instrumenta facere, testari, &c. *Nono*, Non potest se immiscere actibus humanis communiter prohibitis: qui continentur illo versiculo.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Hic versiculus infra exponetur, quando agetur de excommunicatione minori. *Decimo*, Excommunicatus non debet sepeliri in loco sacro. Alij adhuc ab alijs, locis citatis colliguntur.

Dubium. *An peccet excommunicatus nondum denunciatus mortaliter, cum alijs in diuinis, aut extra communicando?*

RESPONDETVR, peccat quantumcunque sit contritus communicando ante absolutionem, ex Extrauaganti, ad vitanda scandala. Quia dicit Concilium Constantien. in nullo intendere releuare excommunicatum: Alij vero cum ipso excommunicato non denunciato participantes, non peccant. Non tamen hoc locum habet in Sacerdote curato, qui tenetur suo subdito sacramentum petenti ministrare, quod poterit facere sine

pecca-

peccato, si prius conteratur, & proponat Ecclesiæ obedire, vide Iosephum Angles vbi supra art. 3. 2. difficult. & Sotum d. 22. quæst. 1. art. 4. Vnde hæ regulæ colliguntur, pro hac materia.

Prima, Excommunicati maiori excommunicatione omnes tenentur se subtrahere à cõmunione aliorum in diuinis, præterquam in collatione sacramentorum, in quibus alij opus habent eorum officio. *Secunda*, Alij in nullo tenentur se subtrahere ab excommunicatorum communione neque in sacramentis, neque in diuinis officijs, neque in conuersatione exteriori: nisi in duobus casibus posita in Concilio Constantien. scilicet, quando nominatim sunt excommunicati, aut percussores clericorum adeò notorij, vt factum non possit aliqua tergiuersatione celari.

Quando communicare cum Excommunicato est peccatum mortale?

IN quatuor casibus. *Primus*, cum participatur cum excommunicato in eodẽ crimine, pro quo lata est excommunicatio, cap. Nuper. de sentent. excommun. *Secundus*, si participetur in diuinis: quod intellige secundum Concilii Constan. moderationem in duabus speciebus, in 2. regula positis. *Tertius*, quando illa communicatio fieret in contemptum Ecclesiæ. *Quartus*, quando est lata sententia excommuni-

municationis maioris in participantes, Vide Sotum loc.cit.

An ex participatione cum excommunicatis etiam aliquando Excommunicatio incurratur?

MAIOR excommunicatio in tribus casibus incurritur. *Primus*, Quando quis cõmunicat in crimine criminoso cum excommunicato, nempe in illo pro quo lata est excommunicatio, ex capit. Nuper. cit. *Secundus*, Siquis communicat cũ excommunicato nominatim à Papa, in officijs Ecclesiæ, cap. Significauit. eod. tit. *Tertius*, Quando prolata est sententia excommunicationis in omnes participantes.

Minor autem excommunicatio incurritur, quando quis illicito modo communicat, cum excommunicato maiori excommunicatione: Quia maior excommunicatio priuat his, quæ continentur in dicto versiculo.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Per *Os*, intellige colloquia, oscula, amicitiæ munera, literas, &c.

Orare) hoc verbo prohibentur Ecclesiastica sacramenta, communia sacramenta Ecclesiæ: & orationes, tam intra quàm extra Ecclesiam, & omnia spiritualia.

Vale) interdicuntur mutuæ ſalutationes, quæ ſcripto, ſigno, & verbo fieri poſſunt.

Communio) Per communionem intelliguntur habitatio in eadem domo, mutuum exercitium, & conuerſatio.

Menſa) Per menſam vetatur ne in eadem menſa bibat, aut comedat aliquis cum excommunicato, aut in eodem lecto dormiat.

Si tamen fiat tranſgreſſio in dictis, ſi abſit contemptus, aut ſcandalum, non committitur niſi peccatum veniale.

Caſus, in quibus licitum eſt ſine peccato cum excommunicatis communicare, continentur his verſibus.

Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.
Hæc anathema faciunt, ne poſſit obeſſe.

VTILE) cum quis participat in vtilitatem propriam petendo debitum, aut proſequendo actionem in iudicio, aut propter commodum ipſius excommunicati dando ei conſilium, adducendo ad pœnitentiam: aut admonendo ad petendam & procurandam abſolutionem.

Lex) ad matrimonium ſpectat: Quia vxor excommunicati poteſt debitum reddere, & petere.

Humile) Id eſt, propter ſubiectionem. Quare excuſantur filij, ſerui, familiares, qui poſſunt cum parente, aut domino excommunicato commnnicare.

Res ignorata) Excusat ignorantia, vt si quis ignorat alium esse excommunicatum & denunciatum; quam diu durat ignorantia.

Necesse) Necessitas etiam ipsius, aut excommunicati, aut cum eo communicantis excusat: quia necessitas, vt communiter dicitur, legem nō habet. Huc referri etiam potest metus cadens in constantem virum.

Dubium. *Circa Prædicta.*

Quid faciet sacerdos in altari ad celebrandum existens, si videat excommunicatum intrantem Ecclesiam?

REspondetur, inprimis. Si excommunicatus Ecclesiam ingrederetur non causa audiendi sacrum ex professo, sed transeundo obiter per Ecclesiam, aut obambulando in ea. Tunc sacerdos potest prosequi sacrum: Quia hoc non esset interesse sacris, & diuinis officijs. Si autem sacro vult interesse, illudque audire more aliorum Christianorum, tunc sacerdos, modò sine scandalo fieri possit, debet curare vt exeat, aut cessare à sacro. Si autem scandalum timeatur, & probabiliter imminear, tunc si canonem nec dum incepit, regrediatur ad sacristiam. Si autem canonē incepit, prosequatur missam inclusiuè vsque ad communionem, qua sumpta, vadat ad sacristiam, & ibidem missam finiat. Hęc est verè commu-

nis omnium resolutio, vt candelabrum aureum de excomm.num.37.testatur.

CAPVT II.

DE FORMA EXCOMMVNIcandi, & modo absoluendi ab excommunicatione.

ANTE omnia quando excõmunicatio infligitur ab homine, debet precedere trina canonica admonitio, cum interuallo dierum, aut vna pro tribus: & tunc excommunicatio proferenda in scriptis, cum expressione causę, nisi necessitas aliud suadeat: & si Iudex hoc omittat, ipso facto est suspensus ab ingressu Ecclesiæ, & à diuinis officijs, cap. Sacrò. de sentent. ex commun. & cap. 1. libr. 6. eod. tit. In hanc tamen pœnam non incidunt Episcopi & ipsis superiores: quia eorum non fit mentio singularis. Quod requiritur de iure, vt ipsi incurrant suspensionem, aut interdictum, capit. Quia periculosum libr. 6. eodem. tit.

Quando autem excommunicatio est lata à canone, aut statuto, non requiritur admonitio, sed statim faciens contra, ipso facto incidit in excommunicationem: Quia canon, aut statutum supplet locum admonitionis.

Quantum ad formam verborum, nulla est certa

certa & definita, sed excommunicans talibus vti debet verbis, quibus exprimat suam voluntatem excommunicandi de præsenti, ex. gr. Excommunico te, separo à communione Ecclesiæ, priuo te cõmunione corporis Christi quod est Ecclesia, &c.

Quando autem excommunicatio fertur à canone aut statuto, semper benè inspicienda verba canonis, aut statuti. Cum dicitur ipso facto, aut iure incurrat excommunicationem, vel subiaceat excommunicationi, vel sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, tunc sententia lata est. De dictionibus, prorsus & penitus idem est iudicium, tantũ valent quantum ipso iure & facto, quamuis iungantur verbis futuri temporis. cap. pen. de pœnis. Quando autem simpliciter dicitur siue sit sententia iuris, siue hominis sub pœna excommunicationis, aut anathematis, non est sententia lata, sed comminatoria & ferenda secundum Panorm. in cap. vnico. de Sagittarijs, Quandocunque autem fit mentio siue à iudice, siue à canone de excommunicatione, nisi verbis aliud exprimatur, intelligitur de maiori, capit. penult. de sentent. excommunicationis: quia verba intelligenda secundum communem consuetudinem, & analogon per se positum stat pro significato famosiori.

DE ABSOLVTIONE, AB Excommunicatione.

Quis potest absoluere?

EXCOMMVNICATIO aut est lata ab homine: aut à iure, siue canone. Quando sententia lata est ab homine, solus absoluere potest is, qui eam tulit, aut eius superior, aut successor in officio, aut dignitate, vel delegatus ex communi sententia. Excipiuntur aliqui casus, quos colligit Angelus in verb. Absolutio 2.

Quantum ad excommunicationes iuris & canonis; quando non sunt reseruatæ à canone alteri, proprius confessarius, aut parochus, qui potest absoluere à peccato mortali, absoluit etiam ab excommunicatione, vt communis Doctorum sententia est. Quando autem reseruantur excommunicationes, is absoluit, cui reseruatæ sunt. Quare confessario necessarium est scire, quæ reseruentur Papæ, quæ Episcopo, & quæ nulli. A minori excommunicatione potest quilibet Confessarius approbatus absoluere.

De modo seruando in absolutione.

QVATVOR seruanda tradunt DD. quæ ponunt Angelus ver. Absolutio 3. & Syluest. cum alijs ibidem.

Primum, Vt absoluens excommunicatum faciat

faciat iurare de parendo mandatis Ecclesiæ, quando propter grauiora peccata aliquis excommunicatus fuit. *Secundum*, Vt antequam absoluatur satisfiat parti læsæ; aut si non potest satisfacere, det cautionem, aut fideiussionem, aut pignus, & hoc de iustitia requiritur. *Tertium*, Debent dici orationes, psalmus Miserere, vel alius pœnitentialis, & interim excommunicatus nudatus humeris cæditur, & aliæ dicuntur orationes, de quibus Doctores in suis locis citatis, flagellatio nunc omittitur propter honestatem, maximè quando absolutio in publico secretè in confessione datur. *Quartum*, Adiungi debet admonitio salutaris & exhortatio. Verba autem absolutionis non sunt certa. Sufficit quibusuis verbis vti, significantibus absolutionem, quando intentio absoluendi adest. Potest autem absolutio his verbis fieri. Auctoritate qua fungor, ego te absoluo à vinculo excommunicationis, quam incurristi propter tale factum, vel talem causam & restituo te sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium. Quando autem plures sunt causæ, ob quas aliquis excommunicatus est, absoluens in absolutione omnes debet exprimere: aliàs tantum à solis expressis esset absolutus iuxta communem sententiam. Nunc de casibus maioris excommunicationis dicetur, & quoniam quædam excommunicationes reseruantur Papæ in Bulla Cœnæ

Domini: quædam extra: Aliæ Episcopis: aliæ nulli secundum ordinem, de singulis breuiter agemus. Quoniam autem longum foret canonum verba semper ponere, vt plurimum substantia adferetur annotato canone, vnde excommunicato desumitur. Pro intelligentia & expositione remitto lectorem ad Summistas & canonum interpretes.

CAPVT III.

DE CASIBVS PONTIFICI reseruatis in Bulla Cœnæ Domini.

PRo inductione notandum Bullam Cœnæ Domini vocari processum, quo summus Pontifex singulis annis in die Iouis sancta, varia genera peccantium excommunicat cum reseruatione: & dicta dies vocatur Cœna Domini, propter cœnam vltimam, quam Saluator cum suis discipulis habuit.

Prima excommunicatio Buullę Cœnæ Domini complectitur hæreticos, eorum libros legentes sine licentia Romani Pontificis: aut alterius, qui eam dare potest, hæreticorum fautores, schismaticos, & eos qui se ab obedientia Romani Pontificis subtrahunt.

Secunda excommunicat appellantes à Papa ad

ad futurum Concilium,& dantes fauorem, & consilium ad id.

Tertia excommunicat Pyratas, latrunculos maritimos,eorum receptatores, & dantes auxilium,& fauorem.

Quarta fertur in eos, qui rapiunt naufragorum bona, aut scienter ab alijs rapta accipientes.

Quinta in eos, qui imponunt nóua pedagia, & gabellas, vel eas augent, quando ad id potestatem non habent.

Sexta in falsificantes literas Apostolicas, aut supplicationes signatas auctoritate Apostolica.

Septima in deferentes arma, equos, ferrum, alia metallorum genera, cunctaque vsui belli commoda ad Turcas: nec non etiam in eos, qui Turcas, & inimicos Christiani nominis certiores reddunt de rebus reipub. Christianę statum concernentibus in Christianorũ damnum,& perniciem.

Octaua in impedientes & inuadentes eos, qui victualia, seu alia ad vsum Romanæ curiæ necessaria adducunt, vel pro eis aliquid soluere faciunt: ac etiam in eos, qui talia fieri curant & defendunt.

Nona in eos, qui ex proposito Romipetas, seu peregrinos ad vrbem proficiscentes: aut ab eadem recedentes lædunt, aut offendunt, & illis dantes auxilium, consilium, & fauorem,

Decima in illos, qui non habentes in eius iurisdictionem, eius prætextu capiunt, spoliant, detinent morantes in eadem: vel qui tali fieri mandant.

Vndecima in offendentes, interficientes, mutilantes, capientes, incarcerantes, aut hostiliter insequentes Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, sedis Apostolicæ legatos, vel nuncios, aut eosdem eijcientes à suis diœcesibus, territorijs, terris, aut dominijs: item mandantes, & præstantes consilium, auxilium, aut fauorem.

Duodecima, in eos, qui ad Romanam curiam pro eorum causis & negotijs recurrentes offendunt, mutilant, occidunt, verberant, aut bonis suis spoliant, &c. aut executionem literarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum impediunt, & ad gratias impetrandas accedentes prohibent. Ac etiam appellantes à grauamine, vel literarum Apostolicarum executione ad laicam potestatem, &c.

Decimatertia, in officiales Principum secularium, & Prælatos Ecclesiasticos, qui causas Ecclesiasticas à iudicibus Apostolicis auocant, & actores ad reuocanda impetrata compellunt.

Demimaquarta, in iudices seculares, qui Ecclesiasticas personas præter iuris canonici dispositionem ad suum tribunal trahunt, vel

trahi

trahi faciunt: Quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, lædunt, deprimunt, aut quouis modo restringunt: Vnde Romanæ Ecclesiæ, aut quarumcunque Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè vel indirectè, tacitè, vel expressè præiudicatur.

Decimaquinta, in impedientes Prælatos Ecclesiasticos, ne sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque vtantur, ac in eos qui illorum & delegatorum iudicia eludunt, ad cancellarias & curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia ordinarijs, aut delegatis decerni, & contra illos exequi procurant, & in exequentes, decernẽtes, seu dantes consilium, auxilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.

Decima sexta, in vsurpantes sedis Apostolicæ, & quarumcunq; Ecclesiarum iurisdictiones, fructus, reditus & prouentus, aut eos sequestrantes, &c.

Decima septima, in imponentes collectas, decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesijs, monasterijs, aut eorum fructibus, absque speciali & expressa licentia Romani Pontificis, & in exequentes, procurantes, & dantes consilium, auxilium, fauorem, votum seu suffragium palam & occultè. In qua etiam excommunicatione comprehenduntur, qui sic imposita etiam à sponte dantibus & concedentibus recipiunt. Includuntur etiam

qua-

quacunque dignitate etiamsi Imperiali, aut regali fulgeant.

Decimaoctaua, in iudices seculares in causis capitalibus, seu criminalibus contra quascunque personas Ecclesiasticas se interponentes processando, sententias proferendo, aut exequendo, nec valent priuilegia contra data.

Decimanona, in occupantes loca, & terras Ecclesiæ Romanæ, & in illis supremam iurisdictionem vsurpantes.

Vigesima in raptores supellectilium, librorum, scripturarum, & bonorum cameræ, & palatij Apostolici ex eodem palatio, tempore infirmitatis Pontificis, & sedis Apostolicæ vacationis. A prædictis excommunicationibus, nullus præter Romanum Pontificem nisi in mortis articulo absoluere potest, nisi quis specialem à Pontifice habeat facultatem, nec etiã tunc nisi de stando S. Romanæ Ecclesiæ mandato, vel satisfaciendo sufficienti cautione præstita.

Postremò annectitur pœna eorum, quiã prædictis casibus absoluere præsumpserint, incidunt in excommunicationem, & eis prædicationis, lectionis, administrationis sacramentorum, & audiendi confessionis, officia interdicuntur.

Nota tamen quod hæc excommunicatio eorum, qui absoluere præsumpserint, non est reseruata Pontifici nunc, vt patet ex Bullã

Gre-

Gregorij XIII. prout Nauarr. optimè asserit, capit. 27. in Manuali, numero 74. contra Caietanum, Auream Armillam, & quasdam agendas. Nec etiam incidit in talem excommunicationem Confessarius absoluens ex obliuione, inaduertentia, aut ignorantia non crassa, quia lata est contra præsumentes absoluere: de quorum numero non est, qui sic absoluit, vt idem Nauarr. docet cum alijs. Nunc sequuntur casus reseruati Pontifici extra Bullam Cœnæ Domini.

CAPVT IV.

DE EXCOMMVNICATIONE *lata in injicientes manus violentas in clericos.*

CAsvs frequens est, 17. q. 4. cap. Si quis, Si quis suadente Diabolo iniecerit manus violentas in clericum, vel monachum, subiaceat excommunicationi, & à nullo præterquam à Papa, nisi in mortis articulo absoluatur & conspectui Apostolico repræsentetur. Idem habetur cap. Cum illorum. cap. De monialibus. & capit. Veniens. de sentent. excommun.

Vt hic casus melius intelligatur, cum frequenter contingat, latius verba exponenda sunt.

Si

Si quis) compræhendit viros & fœminas & omnes habẽtes sufficiens iudicium ad mortaliter delinquendum.

Suadente Diabolo) quia si quis ex charitate causa correctionis, & disciplinæ faciat, non incidit in excommunicationem.

Manus violentas) per manus intelligitur omne membrum, quo homo alteri iniuriose nocet, siue sit pes, siue brachium, &c. exprimunt autem manus: quia sunt aptiora membra ad percutiendum.

Per manus violentas non solùm intelligitur percussio, sed etiam pulueris, luti, aquæ, aut sputi iniectio, aut profusio, vel similis iniuria, iuxta Glossam receptam, in dicto cap. Si quis suadente.

Incidunt in eandem excommunicationem, qui iubent, consilium, auxilium, aut fauorem præbent. In clericum (per clericum intelligitur non solum existens in sacris, sed etiam quilibet initiatus prima tonsura, modo gestet habitum & tonsuram, vt clericus cognoscatur. Vel monachum) per monachum, accipitur omnis religiosus approbatæ religionis, etiam conuersus, aut nouitius. Item monialis, & conuersa.

(A nullo præterquam à Papa nisi in mortis articulo absoluatur.) In mortis articulo etiam simplex Sacerdos absoluere potest, quando non est accessus ad Episcopum. Excipiun-

tur

tur aliqui, qui non incurrunt censuram prædictam. Percutientes ex ludo, & ioco, modò non fiat dolo, aut irato animo, aut in derisionem, aut quãdo causa disciplinæ, vt Magister, Pater, Herus aut Propinquus percutere solẽt. Excipitur etiam percussio indeliberata, vel ita exigua, quod illata laico non esset mortalis. Eadem est ratio, quando quis clericum inuadentem, in necessariam defensionem percutit. Simile est ius, quando mulier verberat clericũ molestantem de stupro in defensionem castitatis; quando molestatio fit per actum corporalem, & vim. Ad idem genus refertur, si quis percutiat clericum inhonestè operantem cum vxore propria, matre, sorore, aut filia. Non incurrit etiam pœnam dicti canonis, si quis percutiat clericum, quem probabiliter ignorat clericum: aut talem clericum, qui iam clericale priuilegium perdidit.

Casus, in quibus percutiens clericum à proprio Episcopo, aut Prælato absolui potest?

PRIMVS, in articulo, aut periculo mortis, ex d. cap. Si quis.

Secundus, Quando iustum impedimentum, quod arbitrio prudentis viri sufficit, obstat, quod aliquis non possit venire ad sedem Apostolicam.

Tertius, Quando sunt nobiles magnæ po-

ten-

tentię, ita delicati quod laborem proficiscendi Romam ferre non valent.

Quartus, Qui non est sui, sed alieni iuris.

Quintus, Mulieres percutientes clericos in omni casu à suo Episcopo absoluuntur.

Sextus, Pueri propter defectum & impedimentum ætatis.

Septimus, Ostiarius alicuius potestatis, sub prætextu sui officij aliquem clericum percutiens, nisi enormis sit læsio.

Octauus, Si clerici in collegio simul viuentes se percutiant, possunt ab Episcopo etiam absolui, nisi atrocitas delicti grauiorem pœnam postulet.

Nonus, Monachi & canonici regulares, quando se in claustro percutiunt, ab Abbate possunt absolui, si eius discretio sufficiat. Alias ab Episcopo: Quando autem in monasterio non est Abbas, sed Prior, vel alius superior, tunc à superiori prælato, qui præest, possunt absolui. Moniales autem absoluendæ à proprio Episcopo.

Decimus, Quando iniectio manus in clericum est leuis, aut modica, absolutio ab Episcopo potest impendi.

Vndecimus, Quando est dubium, an aliquis inciderit in canonem. Si quis suadente, potest etiam Episcopus absoluere. Dicti casus his versibus continentur.

Regula, mors, sexus, hostis, puer, officialis,
Delitiosus, inops, æger, senexq̃, sodalis,
Ianitor, astrictus, dubius causæ, leuis ictus,
Debilis: absolui sine summa sede merentur,
Atroces verò soli Papæ retinentur.

CAPVT V.

DE RELIQVIS EXCOMMVnicationibus reseruatis Pontifici in iure.

PRIMA, capit. Quærenti. de officio delegati. Excommunicatus à delegato Papæ, si integro anno in excommunicatione perseuerat, eo absoluto, absoluendus est à Papa.

Secunda, in cap. Dura. de crimine falsi. Excommunicatus à Diocœsano, eo quod habuerit literas falsas Papæ, si eas infra viginti dies non destruat, & resignet.

Tertia, capit. Significauit, de sententia excommunicat. Clerici, qui participant in diuinis tam in Ecclesia, quam alibi, sponte & scienter cum excommunicato à Papa.

Quarta, de sentent. excommun. cap. Tua. Incendiarius, Excommunicatus, & denunciatus, præterquam in articulo mortis.

Quinta, in cap. Conquæstus. eod. tit. excommunicati propter spoliationem Ecclesiæ cum

effractione, post denunciationem absoluendi sunt à sede Apostolica.

Sexta, cap. Fundamenta. de electione in 6. excommunicantur eligentes in Senatorem Romanum aliquem Imperatorem, Regem, Comitem, aut alium potentem, &c. Sed hic casus apud nos non habet locum, & etiam fere nunquam contingit.

Septima, c. Fœlicis. de pœnis. Qui insectatus fuerit Cardinalem, percusserit, vel ceperit, &c. Sed hæc excommunicatio cum extensione reuocata est ad Bullam Cœnæ Domini, vt ex ea patet.

Octaua, in cap. Quicunque de sentent. excommun. in 6. excommunicantur, qui facultatem tribuerint alicui interficiendi, capiendi, aut vexandi personas aliquorum, aut eorum facultates, aut suorum, eo quod tulerint sententiam excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, contra Reges, &c. aut contra quoscunque alios eorum ministros, aut contra alios quoslibet, &c. Excommunicat etiam eos, qui vsi fuerint tali facultate: aut proprio motu fecerint aliquid ex huiusmodi prædictis; si duobus mensibus perseuerauerint in dicta excommunicatione, à solo Papa absoluuntur.

Nona, in Clement. multorum. de hæret. § Verum. excommunicātur omnes inquisitores inferiores Episcopis, qui odij, gratiæ, amoris,

ris, lucri, aut commodi temporalis gratia, contra iustitiam & conscientiam, omiserint procedere contra quemcunque, quando procedendum est: aut ex eisdem causis imposuerint hæresim, &c.

Decima, in Clement. 1. de priuilegijs. excommunicantur cum reseruatione, Religiosi, qui sine licentia expressa presbyteri parochialis præsumunt administrare clericis, aut laicis sacramentum extremæ vnctionis, aut Eucharistiæ: aut benedicere nuptias; aut absoluere excommunicatos, canone præterquam in casibus à iure: aut priuilegijs Apostolicis sibi concessis: aut à sententijs promulgatis; à statutis prouincialibus, aut Synodalibus, aut à peccatis, à pœna & culpa.

Vndecima, in Clement. Cupientes. de pœnis, circa finem, excommunicantur clerici & religiosi, qui violant constitutionem, illis prohibentem aliquem inducere ad vouendum, iurandum, aut promittendum eligere sepulturam in sua Ecclesia, aut quod non mutabit electam.

Duodecima, in Clement. Grauè. de sentent. excommunicat. excommunicantur nobiles, & domini temporales cogentes aliquem, ad celebranda diuina officia in locis interdictis, siue compulsio fiat personæ clericorum, siue eorum consanguineis: Et qui voce præconis, aut sonitu campanæ, &c. conuocant

populum ad audiendum missam tali loco: aut etiam qui prohibent ne excommunicati, aut interdicti ab Ecclesia eijciantur, quando peraguntur diuina officia, &c.

Decimatertia, In extrauag. 2. de sepulturis inter communes, excommunicantur, qui exenterant mortuos ad eos conseruandos: aut eos concidunt in frustra: & ea coquunt, vt ossa carnibus denudata deferant, & sepeliant in alio loco, & qui hoc fieri iubent.

Decimaquarta, In extrauagan. 1. de Simonia, excommunicantur qui dant, aut accipiunt aliquid ob ingressum in aliquod monasterium.

Decimaquinta, In extrauag. Pauli II. de Simonia, excommunicationi subduntur committentes Simoniam in ordine, vel beneficio: & eius rei mediatores.

Decimasexta, In extrauag. Martini Quinti de regularibus, excommunicantur fratres ordinum mendicantium sine speciali facultate Papæ, migrantes ad non mendicantes, excepto ordine Carthusianorum, & etiam admittentes eos.

Decimaseptima, In extrauag. Graue nimis. Sixti Quarti, de reliquijs & veneratione sanctorum, excommunicatur, qui dixerit peccare mortaliter eum, qui crediderit B. Virginem fuisse conceptam in peccato originali: & etiam à contrario, qui dixerit peccare mortaliter, oppositum tenentem. Ad hanc accedit

Con-

Concil. Tridentin. sess.5.in decreto de peccato originali.

Decimaoctaua, In Extrauag. 1. de sentent. excommun. Excommunicantur omnes, qui largiuntur, aut accipiunt aliquid: aut promittunt in curia Romana ad obtinendam iustitiam; aut promerendam gratiam alicuius rei. Angelus, Sylvester, Caietan. & alij aiunt hanc reuocatam per Mart. Quint. Sed quicquid sit, nunc reuocata est ad vsum per Gregor. XIII. Anno Dom. 1574. 8. Nouem. in extrauag. incipiente. Ab ipso, quam ad longum explicat Nauarr. in commentario de datis & promissis pro iustitia & gratia obtinenda.

Decimanona, quæ ponitur à S. Antonino 3. part. tit. 24. cap. 30. Sylvest. & alijs. Accedentes ad sepulchrum Domini etiam deuotionis gratia sine licentia Pontificis. Hæc aliquibus videtur amplius non esse in vsu: & videmus in nostris partibus paucos pro licentia accedere Pontificem.

Vigesima, In Concil. Lateranen. sub Leone X. excommunicantur Cardinales reuelantes aliquid de secreto in actis in consistorio Papæ, quando id speciatim, & expressè mandatum est, ne reueletur.

Vigesimaprima, in eodem Concilio, excommunicantur, qui prædicant miracula falsa, vel incerta, vel Prophetias, quæ nõ continentur in sacra scriptura. Sed aliqui, vt Caiet. in summa,

& Bartholomæus Caranza Archiepiscopus Toletanus in summa Conciliorum, existimant censuras dicti Concilij nõ esse receptas.

Vigesimasecunda, ex extrauagant. Gregorij XIII. edita Romæ Anno Domini 1575. incipienti, Vbi gratiæ. Excommunicantur, qui ingrediuntur in clausuram & septa monialium sine licentia eius, qui eam dare potest, & sufficienti causa, siue sint viri, siue mulieres, etiam cuiuscunque præeminentiæ & dignitatis existant. De hac extrauag. vide Fœlicianum Episcopum Scalan. de censuris, de excommun. cap. 14. & latè Nauarr. in commentario quarto de regularibus. Aliæ adhuc sunt in iure, vel Doctoribus positæ excommunicationes Pontifici reseruatæ, quæ vel abrogatæ: vel paruum vsum habent apud nos. Qui legere voluerit, videat Doctores citatos.

CAPVT VI.

DE EXCOMMVNICATIONIbus reseruatis Episcopis.

DE his vide Angelum verbo Excommunicatio 6. Sylvest. eodem verb. 8. Nauar. in Manuali, cap. 27. à num. 112. Episcopum Scalen. loc. cit. cap. 23.

Prima, est in cap. Prouenit. de sentent. excommun. Quando quis leuiter percutit clericum,

ricum, vel monachum. Eadem est ratio, quando excommunicatio est Papalis, sed propter aliquod impedimentum, absolutio conceditur inferiori, tunc absolutio impendenda ab Episcopo.

Secunda, quam fert Episcopus per suum, aut synodale statutum sibi reseruans absolutionem, iuxta capit. Nuper. de sentent. excommun.

Tertia, in capit. Eos, eodem tit. in 6. aliquando Papalis, aliquando Episcopalis, aliquando non, vbi excommunicatus declaratur, qui ob periculum mortis, aut aliud iustum impedimentum absolutus ab eo, qui aliter nõ potuisset, recuperata valetudine, vel sublato impedimento, quàm citò commodè potest, non se repræsentat superiori, à quo debet absolui, quo eius obediat mandatis, & etiam qui absolutus à Papa, vel eius legatis cum conditione, vt se præsentet ordinarijs, vel alijs iudicibus, pro susceptione pœnitentiæ, vel satisfactione facienda læsis, non facit quam primum potest, eandem sententiam ipso facto incurrit. Hæc excommunicatio est Papalis, si prima talis erat. Episcopalis, si prima talis: nemini vero reseruata est, quando prima non erat reseruata.

Quarta, in cap. Nuper. &c. Si concubinæ. de sentent. excommun. vbi excommunicatur qui scienter participat cum excommunicato

in crimine, ob quod excommunicatus est ex reseruatione absolutionis ei, cui esset reseruata absolutio excommunicationis, ob crimen in quo participando eam alius incurrit. Quando prior erat Episcopalis, posterior etiam talis est.

CAPVT VII.

DE EXCOMMVNICATIONIbus nemini reseruatis.

SERVABITVR ordo positus ab Angelo verb. Excommunicatio 7. & Nauar. loc. cit. à num. 114.

Prima, in capit. Administratores. 23. quæst. 5. excommunicantur omnes principes, gubernatores, & officiales seculares, qui ter admoniti ab Episcopis, & alijs Ecclesiasticis, recusant eis facere iustitiam super eorum causis, siue id fiat ex negligentia, siue ex iniquo animo.

Secunda, in cap. Licet. de electione excommunicatur, qui electus à paucioribus, quam à duabus partibus Cardinalium in summum Pontificem consentit in electionem: quam sententiam etiam incurrunt, qui talem recipiunt pro Papa.

Tertia, in c. Quoniam. de officio ordinarij, excommunicatur Episcopus, qui in ciuitate diuer-

diuersarum linguarum, suscipit regimen eorum, qui sunt suæ, priusquam à proprio Episcopo suscipiatur in coadiutorem.

Quarta, in capit. 1. de locato. Doctores & Scholastici Bononiens. excommunicantur, qui conducunt domos alterius Doctoris, aut Scholastici sine eius consensu, nisi prius tempus conductionis sit finitum.

Quinta, in capit. Non minus. de immunitate Ecclesiarum. Officiales laici quorumcunque locorum imponentes Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis angarias, vectigalia, & exactiones, &c. Si admoniti non desistant, & omnes qui præbent consilium, auxilium, & fauorem etiam excommunicati sunt, & eorum successores. Vide de hac materia in Bulla Cœnæ Domini.

Sexta, in cap. Super specula. & capit. Non magnopere. Ne clerici vel monachi. Religiosi qui exeunt à suis monasterijs, vt audiant leges, vel medicinam, & audiunt, & non redeunt infra duos menses. Eadem est ratio, de clericis, qui habent dignitatem, vel personatũ, quamuis non sint presbyteri, & etiam excommunicantur presbyteri, quamuis non habeant dignitatem, neque Ecclesiam parochialem, qui audiunt duobus mensibus dictas facultates.

Septima, in capit. Clerici. Ne clerici vel monachi. Sacerdos, qui officium vicecomitis, aut

præpositi secularis agit, est excommunicatus, si admonitus non relinquit tale officium.

Octaua, in capit. Excommunicationis de raptoribus, in accipientes bona naufragantium, sed hæc reducta à Gregorio XIII. ad Bullam Cœnæ Domini.

Nona, in cap. Nouerit. de sentent. excommun. in eos, qui faciunt statuta, & consuetudines obseruari contra libertatem Ecclesiasticam, &c. Hæc etiam reducta ad Bullam Cœnæ Domini.

Decima, in capit. Vbi periculum, de elect. in 6. excommunicantur, qui secretò mittunt literas, vel nuncium, &c. Cardinalibus inclusis conclaui ad eligendum Pontificem, & ibidem excommunicantur Officiales, & Rectores, qui non faciunt obseruari omne id, quod eo tempore faciendum statuitur, hæc excommunicatio apud nos locum non habet.

Vndecima, in cap. Sciant cuncti. de elect. in 6. fertur in eos, qui electores molestia afficiunt, & vexant in bonis, & beneficijs, eo quod non elegerint optatum ab eis.

Duodecima, cap. Generali. de elect. in 6. in vsurpantes nouè, ius constituendi aliquam Ecclesiam sede vacante, & præsumentes capere bona illius. Cum dictis etiam excommunicantur clerici prædictarum Ecclesiarum, monachi monasteriorum, & personæ certæ corum-

eorundem locorum, qui prædicta fieri procurant opere, consilio, persuasione: aut cooperatione.

Decimatertia, in cap. Indemnitatibus, ibidem. excommunicantur deputati, vel vocati ad dirigendas moniales in suis electionibus, qui se non abstinent ab his, per quæ inter eas super faciendis electionibus ipsis oriri posset discordia: vel exorta ali.

Decimaquarta, in cap. Hac constitutione. de officio delegati, libr. 6. excommunicatur quilibet procurans, vel incitans, vt conseruator sibi datus si se intromittat de alijs, quàm manifestis iniurijs, &c.

Decimaquinta, in capit. 1. de his, quæ vi metusque causa, libr. 6. excommunicantur omnes, qui absolutionem, vel reuocationem sententiæ excommunicationis, suspensionis, vel interdicti extorserint per vim, aut metum.

Decimasexta, in cap. Mulieres. de iudicijs in 6. excommunicatur, qui fingit casum, vel aliquam fraudem facit, quo ipse iudex in propria persona vadat, ad accipiendum testimonium alicuius fœminæ.

Decimaseptima, in cap. Consultissimo, de rebus Ecclesiæ non alien. in 6. Excommunicantur omnes, qui compellunt Prælatos, & alias personas Ecclesiasticas, ad submittendum sua iura, & bona laicis in casibus iure prohibi-

tis,

tis,&c. Et qui aliquid horum habentes per alio quem cõtractum licitè factum, vsui pant plus quam per illum illis est permissum, & admoniti ab eo non desistunt.

Decima octaua, in capit. Vnico. de Religiosis domib. in 6. In eos, qui instituunt nouum ordinem religionis; aut accipiunt nouum habitum illius absque speciali Pontificis facultate.

Decima nona, in capit. Quanquam de censibus, in exigentes à personis Ecclesiasticis, & eorum rebus portoria, vel pedagia, &c. quando non deferunt negotiandi causa. Hęc etiam continetur in Bulla Cœnæ Domini.

Vigesima, in c. Quoniam, de immunit. Ecclesiarum in 6. Excommunicantur impedientes iurisdictionem Ecclesiasticam, & eius iudices, &c. Hæc etiam est in d. Bulla.

Vigesima prima, in cap. Eos. ibidem. in seculares dominos, qui prohibent subditis, ne vendant, neque emant à clericis, neque molant frumenta, neque alia officia præstent.

Vigesima secunda, cap. Vt periculosa. Nec clerici vel monachi in 6. Excommunicantur in primis religiosi professi, temerè habitum deferentes, deinde religiosi euntes ad studia literarum extra claustra sine licentia sui prælati, aut cum ea, sine consensu maioris partis conuentus. Ad extremum Doctores, siue magistri, qui docent religiosos: leges, aut medicinam,

nam, qui reliquerunt ſuum habitum: aut eos detinent in ſuis Scholis.

Vigeſimatertia, capit. Quicunque. de hæreticis, in 6. Excommunicantur, qui ſciēter præſumunt ſepelire hæreticos in loco ſacro, credentes, eorum receptatores, defenſores, aut fautores, nec debent abſolui, niſi proprijs manibus è ſepultura extrahant, & è loco ſacro deijciant: & locus talis perpetua debet carere ſepultura, & extumulatio publicè vt fiat neceſſe eſt.

Vigeſimaquarta, capit. Inquiſitionis. ibidem. fertur in exercentes iuriſdictionē ſecularem, qui non auxiliantur Epiſcopis inquiſitoribus in negotio fidei, & inquiſitionis; nec non in impedientes, & præbentes auxilium, conſilium, vel fauorem.

Vigeſimaquinta, in cap. 1. de homicidio in 6. fertur in interficientes per Aſſaſſinos, aut iubentes, etiamſi mors non ſequatur, Aſſaſſini dicuntur, qui non ſubſunt dominio alicuius, ſed pro pecunia occidunt homines ad alicuius inſtantiam.

Vigeſimaſexta, cap. 1. de vſuris in 6. excommunicantur clerici qui non ſunt Epiſcopi, ſi permittunt verſari in terris ſuis fœneratores publicos alienigenas; vel non expellunt eos ex illis, vel locant illis, aut alio prætextu concedunt domos ad vſuras exercendum.

Vigeſimaſeptima, cap. 1. de iniurijs, excommuni-

municantur concedentes, aut extendentes, præsalias ad Ecclesiasticos, vel eorum bona, nisi infra mensem à concessione, vel, extensione reuocauerint.

Vigesima octaua, in cap. Fœlicis. de pœnis in 6. excommunicantur omnes Principes, Domini, & Iudices non obseruantes tenorem illius statuti contra percutientes, vel insequentes hostiliter aliquem Cardinalem. Hæc videtur reducta ad Bullam Cœnæ Domini.

Vigesima nona, in Clement. vnica. de sequest. possessionum. excommunicantur, qui capientes fructus beneficij impediunt, vel infringit sequestrum inductum super beneficio ab ordinario, oblata in curia Romana vna sententia definitiua super possessione, vel proprietate eiusdem. Hæc hodie vacat.

Trigesima, in Clement. 1. de sepult. excommunicantur sepeliẽtes aliquem in loco sacrato interdicto in casibus non permissis, aut interdictos nominatim, vel excommunicatos publicos, aut vsurarios manifestos.

Trigesima prima, in Clemen. 1. de decimis, excommunicantur religiosi, qui noualia, aut decimas Ecclesijs debitas ad eos non spectantes appropriare sibi præsumpserint: aut qui exquisitis coloribus & dolis vsurpant.

Trigesima secunda, in Clement. Ne in agro § quia vero, de statu Monachorum, excommunicantur religiosi administrationem non habentes

bentes, qui petunt aulas principum, animo nocendi ſuis prælatis, aut monaſterijs, & ibidem etiam excommunicantur monachi, qui ſine facultate Abbatis habent arma intra clauſtra monaſteriorum.

Trigeſimatertia, in Clement. Attendentes, eodem tit. excommunicantur præſumentes impedire viſitatores monialium in eo, quod ſtatuitur à Concilio in dicta Clem. ſi à viſitatoribus admoniti nonceſſant.

Trigeſimaquarta, in Clement. 1. de religioſis domibus, excōmunicantur fœminæ ſequentes ſtatum Beguinarum, vel de nouo inſtituunt; & religioſi, qui eas iuuant conſilio, auxilio, aut fauore.

Trigeſimaquinta, in Clement. de conſanguinitate & affinit. excommunicantur omnes ſcienter contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis, vel conſanguinitatis, aut affinit. Item contrahentes cum monialibus, nec non etiam religioſi, moniales, aut clerici in ſacris conſtituti, matrimonium contrahentes cum quibuſcunque: aut inter eos ſcienter eadem celebrantes.

Trigeſimaſexta, in Clem. Nolentes. de hæreticis. excommunicantur omnes inquiſitores, & commiſſarij ſuper hæreſi deputati, qui prætextu ſui officij deputationis, illicitè ſumunt pecuniam aliquam, & qui ſcienter confiſcant bona Eccleſiaſtica.

Tri-

Trigesimaseptima, in Clem. de vsur. excommunicantur omnes officiales ciuitatum, vt cunque appellentur, qui faciunt, scribunt, vel dictant statuta, vt soluantur vsuræ: vel soluta non possint repeti, & ij, qui iudicant vsuras esse soluendas: aut non repetendas solutas & qui ad id potestatem habentes non eradunt ex libris talia statuta, vel consuetudinem vim torum habentem.

Trigesimaoctaua, in Clement. Cupientes de pœnis. excommunicantur omnes religiosi mendicantes, qui accipiunt nouas domos, vel noua loca in habitationem: aut commutant, vel alienant acquisita ante Concilium Lugdunense aliquo titulo. Sed huic Clementinæ sunt aliqua detracta per concessiones & priuilegia Pontificum. In eadem Clement. excommunicantur religiosi, qui concionantur vel alia dicunt aliquid ad auertendos audientes à soluendis decimis debitis Ecclesiæ: aut religiosi, qui de industria nullum conscientiæ scrupulum in confessionibus incutiunt pœnitentibus de solutione decimarum, & si postea non expiata hac negligentia, cum commodè possint, præsumpserint concionari.

Trigesimanona, in Clement. 1. de sentent. Excommunicat. Excommunicantur religiosi, qui non seruant interdictum, vel cessationem à diuinis, quam seruat Ecclesia cathedralis, vel matrix, vel parochialis oppidi.

Qua-

Quadrageſima, in extrauag. fin. de ſentent. excommun. inter communes, excommunicantur impugnantes literas electi Papæ antequam coronetur.

Quadrageſima prima, in Concilio Lateranen. ſub Leone X. ſeſſ. 10. excommunicantur qui aliquem librum, vel quamlibet aliam ſcripturam imprimunt, vel faciunt imprimi ſine approbatione Vicarij Pontificis, & ſacri Palatij Magiſtri in vrbe. In alijs verò Diocœſibus Epiſcopi: vel alterius ad id ab Epiſcopo deputandi, & Inquiſitoris hæreticæ prauitatis illius Diœceſis. Hæc excommunicatio eſt innouata à Concilio Tridentino, ſeſſ. 4.

Quadrageſima ſecunda, in extrauagan. Pauli Secundi, de rebus Eccleſiæ non alienandis, excommunicantur omnes, qui alienant, vel locant in plures annos, quàm tres, bona immobilia, vel mobilia pretioſa Eccleſiarum extra caſus iure permiſſos, & qui prædicta bona percipiunt. De vſu & praxi huius extrauagan. varij variè ſentiunt, de quibus legendus Didac. Couarr. lib. 2. variarum Reſolut. cap. 16. & 17.

Quadrageſima tertia, in Concilio Trident. ſeſſ. 4. anathemati ſubijciuntur, qui non habent pro authenticis omnes libros ſacrorum Bibliorum iuxta vulgatam editionem, quos enumerat Concilium. Aut etiam conſtitutiones Apoſtolicas ſcienter contemnentes.

Quadrageſima quarta, in eodem Concilio, ſeſſ. 24. capit. 6. de reformat. matrimonij. Mulierum raptores, ac illis conſilium, auxilium, & fauorem præſtantes, ſunt ipſo iure excommunicati.

Quadrageſima quinta, in eadem ſeſſ. capit. 9. excommunicantur, qui quouis modo directè, vel indirectè ſubditos ſuos, vel quoſcunque alios cogunt, quo minus liberè matrimonia contrahant.

Quadrageſima ſexta, ſeſſ. 25. capit. 5. de regularibus, excommunicationi ſubditur magiſtratus ſecularis, qui non vult præbere auxilium Epiſcopis volentibus inſtituere clauſuram in monaſterijs monialium, aut violatam reſtituere.

Quadrageſima ſeptima, in eodem loco, excommunicatur quicunque ingreditur intra ſepta monaſterij monialium cuiuſcunque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi, aut ſuperioris licentia in ſcriptis obtenta: hæc vt ſupra dictum nunc reſeruata eſt.

Quadrageſima octaua, in eadem ſeſſ. cap. 18. excommunicantur omnes & ſingulæ perſonæ cuiuſcunque qualitatis, vel conditionis fuerint, qui quomodocunque coëgerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem, præterquam in caſibus iure expreſſis, ingredi monaſterium, vel ſuſci-

pere

pere habitum; aut profiteri. Et qui consilium, auxilium, vel fauorem ad id dederint, vel præsentes ei actui scienter fuerint: Aut qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel profitendi quoquo modo sine iusta causa impedierint.

Quadragesimanona, in eadem sess. cap. 19. de Reformat. excommunicantur concedentes locum ad monomachiam, vel duellum interris suis inter Christianos. Deinde etiam qui duellum committunt, & eorum Patrini. Tandem qui consilium dederint, aut suaserint, aut spectatores fuerint.

Sunt adhuc aliæ excommunicationes in extrauagantibus & Pontificum Bullis, quæ à diligentioribus sunt legendæ. Hæ pro rudioribus sufficiant.

CAPVT VIII.

DE SVSPENSIONE.

SVSPENSIO, vt censura Ecclesiastica, est qua personæ Ecclesiasticæ prohibetur exercitium sui ordinis, officij, iurisdictionis, aut beneficij in totum: vel in partem ad certum tempus: vel in perpetuum quo ad partem, ob culpam suam, à iudice, vel à iure.

Suſpenſio eſt triplex, Officij, & beneficij, Officij tantum: vel partis eius: & beneficij: vel rei pertinentis ad illud tantum.

Deinde ſuſpenſio alia eſt ab homine: alia à iure: Quando ſuſpenſio lata eſt, videndus tenor verborum, quia ſuſpenſus ab ordine, non cenſetur à beneficio ſuſpenſus; aut contra: neque ſuſpenſus ab vno actu: ab alijs iudicatur ſuſpenſus. Sic ſuſpenſus tantum à prædicationis officio, celebrando non peccat, nec efficitur irregularis. Hic etiam nota, quod à minoribus ſuſpenſus, intelligitur etiam à maioribus ſuſpenſus, non contra, ſic ſuſpenſus à Subdiaconatu, eſt etiam à Sacerdotio ſuſpenſus, non contra.

Suſpendere poteſt omnis, qui habet iuriſdictionem cogendi per cenſuras. Solæ autem perſonæ Eccleſiaſticæ poſſunt ſuſpendi; quia his ſolum competit exercitium ordinis, officij, & beneficij.

Quicunque violat ſuſpenſionem propriè dictam, de qua nunc agimus, peccat mortaliter, & incurrit irregularitatem, ſi violat exercendo actum peculiarem alicuius ordinis.

Quoniam ſuſpenſio clericos tantum concernit, eis etiam competit cognoſcere in quibus caſibus incurratur. Proinde breuiter ſuſpenſiones iuris ſubijciemus. Qui latiorem cupit doctrinam, legat Summiſtas in verb. Suſpenſio. Nauarr. in Manuali, cap. 27. à num. 15.

Epiſ-

Episcopum Scalan. in tract. de suspensione in Enchiridio, & Doctores canonum in locis citandis.

Prima, In 18.d. c. vlt. Episcopus suspenditur duobus mensibus ab officio, si post prouinciale Concilium celebratum infra sex menses nõ conuocat Abbates, Presbyteros, & clericos, ad referendum eis acta Concilij.

Secunda, capit. Nullus. 55. d. Episcopus ipso iure suspenditur per annum à celebratione missæ, si scienter ordinat solemniter pœnitentem.

Tertia. 75. d. cap. 1. & 2. Episcopus suspenditur per annum à celebratione missæ, si ordinat aliquem inuitum.

Quarta, 32. d. c. Nullus. & 15. quæst. 8. ca. Suscitantibus. Clerici in maioribus notorij fornicarij, sunt suspensi, donec pœniteant. Etsi clericus notorius fornicator administret in officio suo ante actam pœnitentiam fit irregularis dispensandus tantum per Papam. Sylvest. in verb. Clericus 2. q. 8. Idem cum alijs in verb. Concubinarius.

Quinta, In 58. d. c. fin. Episcopus, qui ordinat monachum sine licentia Abbatis, est suspensus à communione aliorũ in sua Diœcesi.

Sexta, in capit. Cum in cunctis. de elect. Clerici eligentes in Episcopum indignum quantum ad ætatem, scientiam, & mores, suspensi sunt tribus annis à beneficijs.

Septima, in eod. tit. c. Quisq;. Clericus consentiens electioni de se factæ per potestatis secularis abusum, fit ineligibilis, & eligentes pro prima vice sunt suspēsi ab electionis potestate.

Octaua, in extrauag. Pij secundi. Cum ex sacrorum. Qui sine legitima facultate, vel ætate, vel extra tempus legitimum, ordinem sacrum accipere præsumpserint, suspensi sunt ab ordinibus, & si exerceant, fiunt irregulares & solus Pontifex dispensat.

Nona, cap. Quorundam. de solut. suspenditur ab administratione spiritualium, quilibet grauans Ecclesiam sibi commissam pro alienis debitis, aut literas, & sigillum concedens, quibus possint obligari Ecclesiæ.

Decima, in cap. Tanta. de excessib. prælatorum. Clericus non seruans interdictum loci, est suspensus ab officio & beneficio.

Vndecima, in cap. Sacro. de sent. excomm. suspenditur per mensem ab ingressu Ecclesiæ ferens sententiam excommunicationis, non præmissa canonica admonitione coram idoneis testibus.

Duodecima, in cap. Cum medicinalis. eod. tit. in 6. Suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officijs, qui excommunicat, interdicit, aut suspendit aliquem solo verbo, sine scripto, aut expressa causa illius.

Decimatertia, in cap. Cum æterni. de sent. & re iudicata, suspenditur vno anno à suo officio

officio Iudex Ecclesiasticus ordinarius, vel delegatus, qui contra iustitiam, & conscientiam in grauamen partis alterius, in iudicio quicquam faciens per gratiam, vel sordes.

Decimaquarta, in cap. præsenti. de offic. ordinarij. Suspenduntur Episcopi, & superiores eorum ab ingressu Ecclesiæ, & inferiores ab officijs & beneficijs, qui vsurpant aliquid ex reditibus dignitatum, & Ecclesiarum vacantium., & illis subditarum, quos reliquerunt mortui, vel collecti fuerunt, durante vacatione, nisi habeant speciale priuilegium, vel consuetudinem præscriptam ad hoc.

Decimaquinta, in cap. Hac constitutione. de offic. delegati in 6. Conseruator sedis Apostolicæ suspenditur per annum ab officio, si scienter se intromittit de alijs, quàm de manifestis & notorijs.

Decimasexta, in cap. Exigit. de censib. in 6. Episcopi & superiores suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ: Inferiores ab officio & beneficio, qui visitantes exigunt pecuniam, vel munera accipiunt, vel à non visitatis accipiunt procurationem.

Decimaseptima, in cap. Vsurarum de vsur. in 6. Suspenduntur Episcopi, & superiores, qui vsurarijs manifestis non oriundis de terris ipsorum quocunque titulo concedunt domos ad exercendum fœnus, donec eos expellant.

Decimaoctaua, in cap. Episcoporum. de priuile-

uilegijs in 6. Suſpenduntur ab ingreſſu Eccleſiæ, donec ſatisfaciant admittentes ad diuina officia, aut ſacramenta, aut Eccleſiaſticam ſepulturam excommunicatos, aut interdictos publicos.

Decimanona, in Clement. Quoniam. de vita & honeſt. cleric. Suſpenduntur ad ſex menſes clerici beneficiati, qui geſtant veſtes partitas, vel coloribus diſtinctas, & ſacro ordine initiati, qui non ſunt beneficiati, & minoribus insigniti, qui cum prima tonſura geſtant tales veſtes.

Vigeſima, in cap. Non ſolum. & cap. Conſtitutione. de Regular. in 6. Suſpenduntur, qui admittunt aliquem ad profeſſionem ante finitum annum probationis, in aliquo ordine mendicantium.

Vigeſimaprima, cap. Si quis. de Simonia. Qui ordinat aliquem ſub promiſſione de non petendo ab ipſo prouiſionem, ſiue victum, per triennium ſuſpenſus eſt à collatione ordinũ, & præſentator ab executione ordinum per triennium ſuſpenſus eſt. Ordinatus verò in perpetuum ſuſpenſus eſt, niſi cum eo à ſede Apoſtolica diſpenſetur.

Sunt plures aliæ ſuſpenſiones, de quibus legendi Doctores.

De abſolutione à Suſpenſione.

QVANDO ſuſpenſio lata à iudice, vel iure,

re, cum conditione, donec satisfeceris, vel pœnitentiam impleueris, impleta conditione suspensio cessat, nec est opus alia absolutione. Eadem est ratio, quando quis suspensus est ad certum terminum, ex.gr. in annum, finito anno desinit suspensio.

Quando autem lata à iudice ad incertum tempus ipse qui eam tulit, potest absoluere, vel successor in officio, aut dignitate, vel eo superior. Aliàs potest absoluere Episcopus, vel eius vices gerens, nisi sit reseruata alicui, aut inflicta propter peccatum, à quo Episcopus non possit absoluere, vel dispensare in eo.

In absolutione autem non sunt certa, de necessitate verba, sed sufficit vt sint talia, quæ significent actum absolutionis à tali censura. Potest autem hæc forma obseruari. Absoluo te à suspensione, quam incurrusti ob talem causam, & restituo te pristinę executioni, &c.

CAPVT IX.

DE INTERDICTO.

INTERDICTVM est quædam prohibitio, qua in aliqua terra, vel Ecclesia, vel personis, interdicitur administratio sacramentorum, vel diuinorum officiorum celebratio, seu executio aliquorum spiritualium.

Interdictum est triplex. Locale tantum,

Personale tantum. Locale & personale simul. Locale quando interdicitur ciuitas, prouincia, & similia. Personale, quando populus, clerus, Collegium, &c.

Locale & personale simul, quando locus cum personis interdicitur. Quodlibet istorum interdictorum est iterum duplex. Generale, & Speciale. Generale locale, quando interdicitur locus generalis, & vniuersalis: vt regnum, prouincia, Episcopatus, ciuitas, &c. Generale Personale, quando interdicitur aliqua vniuersitas hominum: vt vrbis, Collegij, &c.

Speciale, quando aliquis locus specialis, vt aliqua Ecclesia interdicitur; & personale speciale, quando certæ aliquæ & determinatæ, vel indeterminatæ personæ interdicuntur: vt ex. gr. facientes hoc vel illud.

Clero interdicto non intelligitur populus interdictus, & contra populo interdicto, non censetur clerus interdictus, cap. Si sententia, de sent. excomm. in 6.

Clerici in sacris ordinibus constituti, si violant interdictum, peccant mortaliter, & incurrunt irregularitatem, in qua solus Pontifex dispensat, cap. Is qui. de sentent. excommun. in 6. & cap. Is cui ibidem. & alijs pœnis sunt puniendi. Clerici autem in minoribus interdictum violantes etsi peccent, non incurrunt irregularitatem, quia textus iuris solum

lum loquuntur, de clericis in maioribus, & lex pœnalis potius est restringenda, quàm amplianda.

Laici etiam scienter transgrediendo interdictum, audiendo missam mortaliter delinquunt: Quia in re graui contra præceptum Ecclesiæ agunt, cap. Alma mater. de sentent. excommun. in 6.

In generali interdicto loci non personæ, standum est determinationi d. cap. Alma mater. Ita vt quotidie in Ecclesijs, & monasterijs, missæ & alia officia celebrari possint, sicut prius: voce tamen submissa, ianuis clausis, non pulsatis campanis, excommunicatis, & interdictis exclusis, & in festiuitatibus Natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis, Omnium sanctorum, etiam pulsatis campanis diuina celebrantur, exclusis tantum excommunicatis, dum tamen illi, propter quos positum est interdictum, non appropinquent altari, id est, non faciant offertorium, & dies incipit à vesperis vigiliæ, vsque ad festi completorium. Eisdem diebus aqua potest solemniter benedici, & aspergi, &c. Sacramentum etiam Baptismi tam adultorum, quam paruulorum etiam conceditur, & confectio chrismatis in die Iouis sancto: pœnitentia tam sanctorum, quàm morientium, exceptis excommunicatis, & illis quorum culpa, vel dolo lata est sen-

ten-

tentia, &c. Conceditur etiam viaticum existentibus in periculo mortis, & potest portari cum lumine, & campanula, nec prohibentur interdicti adorare hostiam, nisi cum diuina officia actualiter celebrantur.

Casus in quibus Interdictum iure incurritur.

PRIMVS, Quando collegium, vel vniuersitas ab Ecclesijs & Ecclesiast. personis exigit pedagia, vel recipit collectas, &c. cap. Clericis. de immunitat. Ecclesiarum in 6.

Secundus, Quando vniuersitas, vel collegium locat in terris suis domos alienigenis ad exercendum vsuras. 1. de vsur in 6.

Tertius, Vniuersitas cadit in interdictum concedens repræsalias contra personas Ecclesiasticas. c. Etsi pignorationes. de iniurijs in 6.

Quartus, Contra non seruantes seruanda in electione Papæ.

Quintus, Quæcunque ciuitas, excepta Roma, dat auxilium, consilium, vel fauorem, occidentibus, & percutientibus, Cardinalem, vel non puniens infra mensem, si potuerit, capit, fœlicis. de pœnis. lib. 6.

Sextus, Ciuitas, quæ proprium Episcopum percusserit, vel ceperit, aut in exilium miserit. Clemen. Si quis suadente. de pœnis.

Septimus, Clerici vel religiosi inducentes aliquem ad vouendum, vel promittendum de sepultura, si in Ecclesia postmodum eum

sepe-

ſepeliant, ſi non reſtituant omnia infra decem dies, capit. Animarum periculum. de ſepult. in 6.

Octauus, Regnum, caſtrum, aut locus, quãdo dominus eorum impedit, ne legatus, aut nuncius Papæ poſſit exequi ſuum officium, & tam diu durat, quam diu perſeuerauerit in huiuſmodi pertinacia, in Extrauag. Super gentes & regna. de officio legati. Notandum tamen, quod in his caſibus, & alijs, quibus de iure interdictum incurrritur, nemo tenetur ſeruare interdictum ante denunciationem per iudicem faciendam. Specialiter etiam locus quandoque à iure interdicitur.

Primo, Quando Eccleſia eſt polluta per homicidium, vel iniuſtam ſanguinis effuſionem, aut humani ſeminis ſtudiosè procuratam.

Secundo, Cum propter diſcordiam patronorum Epiſcopus claudit oſtia Eccleſiæ, & tollit inde reliquias, & mandat nullum ſacrum myſterium ibi celebrari, donec redeant ad cõcordiam, cap. 1. & 2. de iure patronatus.

Tertio, Quando Eccleſia per Simoniam eſt conſecrata, 1. q. 1. cap. Eccleſia.

Quarto, Si principaliter pro quæſtu fuit cõſecrata, de conſecr. d. 1. c. Si quis Baſilicam.

Quinto, Si conſecrata ſine licentia Diocœſani Epiſcopi, de conſec. d. c. 1. præcepto.

Sexto, Si ſine reliquijs, & in loco deſerto, de conſ. d. 1. cap. Placuit.

Septi-

Septimo, Si hæreticus scienter tradatur sepulturæ Ecclesiasticæ, cap. Quicunque. de hæreticis in 6.

Quando interdictum fertur ab homine ob contumaciam, debet fieri præcedenti canonica monitione, & in scripto continente causam interdicti, nec est certa etiam verborum forma in ferendo interdicto seruanda: sicut nec in relaxando.

Quando interdictum positum ab homine, relaxandum ab eodem: aut successore: aut à superiori: Si verò sit à canone ad certum terminum, elapso termino cessat: Aliàs si conditor iuris non reseruauit, Episcopus potest relaxare.

Ad interdictum prope accedit cessatio à diuinis, quæ nihil aliud est, quàm quædam desistentia à diuinis, & administratione sacramentorum, vt ipsum nomen significat.

Cum autem cessatio à diuinis non sit censura, transgrediens eam licet peccet, non tamen efficitur irregularis.

Est etiam duplex cessatio à diuinis, generalis, quæ fit in loco vniuersali, vt ciuitate, aut parochia, &c. Et specialis, quæ fit in loco particulari: vt in aliqua Ecclesia, vel Ecclesijs.

CA-

CAPVT X.

DE IRREGVLARITATE in communi.

DE hac materia legēdi Summistæ in verbo Irregularitas. Nauarrus in Manuali, cap. 27. à num. 191. Didac. Couarr. in Clement. Si furiosus. de homicid. Candelab. aureum 2. par. Episcopus Scalen. In Enchridio, de censuris in tract. de Irregularitate. Doctores canonum in diuersis locis canonum.

Quid est Irregularitas?

ESt nota seu impedimentum canonicum ex facto, vel defectu proueniens, quo quis ad Ecclesiasticos ordines promoueri, & in eis iam promotus ministrare prohibetur. Ex hac definitione & superioribus cognoscitur, irregularitatem nō esse censuram Ecclesiasticam, sed inhabilitatem quandam ad officia Ecclesiastica: Quare notandum pro simplicibus & rudibus, quod quando in forma & concessione Iubilæi, aut Bullis Apostolicis, à Pontifice conceditur potestas absoluendi à casibus reseruatis, & censuris, non extenditur ad irregularitatem, nisi eius specialis mentio fiat, vt docet Nauarr. loc. cit. num. 194. & 254. Episcopus Scalen. vbi supra, c. 3. & alij alibi.

nota.

Pro

Pro generali cognitione huius materiæ regulas quasdam præmittemus, quæ sequentibus viam aperient.

Prima, Nullus incurrit irreguluritatem sola voluntate peccandi, aut committendi illud, ob quod à iure imponitur, nisi sequatur effectus, vt Doctores tradunt: exempli gratia. Si quis procurare intendat homicidium, quamuis peccet, si nemo occidatur, non efficitur irregularis.

Secunda, In dubio in foro exteriori nemo est iudicandus irregularis: Secus autem interiori siue conscientiæ, Panorm. in cap. Ad audientiam. de homic. Nauar. & Episcopus Scalen. loc. cit. & alij alibi.

Tertia, Nemo fit irregularis nisi in casibus à iure expressis, cap. Is qui, de senten. excommun. in 6. Archidiac. Dominic. & Philipp. Franc. ibidem, Innocent. in capit. Tanta. de excessibus prælatorum, & alij alibi. Quia cum irregularitas iure sit inducta, & pœna, non est extendenda nisi ad casus iure expressos.

Quarta, Irregularis quamuis mortaliter peccet toties, quoties celebrat, aut actum alicuius ordinis in irregularitate perseuerans exercet, antequam obtineat dispensationem, non tamen incurrit nouam irregularitatem. Quia irregularitas non est censura, ideò eam violans non fit de nouo irregularis, sicut fit in violante censuras.

Quin-

Quinta, In omni irregularitate descendente ex delicto occulto, & non deducta ad iudicium, excepta ea, quæ ex homicidio voluntario nascitur, potest Episcopus dispēsare. Concilium Tridentinum sess. 24. capit. 6. de reformat.

Sexta, Quando irregularitas ex crimine oritur, infans non habens vsum rationis, eam non incurrit, nec furiosus, ex Clement. Si furiosus. de homicid. & communi sententia. Ratio reddi potest, quia cum huiusmodi non habeant iudicium ad mortaliter delinquendum, non incurrunt irregularitatis pœnam.

Septima, Cessante irregularitatis causa cessat irregularitas: sicut generaliter cessante causa cessat effectus. c. cū cessante. de appellat. Simon Maiolus de irregular. lib. 1. c. 2. Candelabrum aureum part. 2. de irregul. nu. 24. Exemplum est in vita S. Ioannis Damasceni apud Surium, cui manus abscissæ, & postea miraculosè restitutæ fuerunt. Sic si quis manus ita debilitatas haberet, ꝙ non possit Eucharistiam tractare, esset irregularis; Si tamen arte medicorum sanitati restitueretur, cessaret irregularitas, & de similibus similis est ratio.

In multis casibus irregularitas incurritur, de quibus legendi Doctores canonum in multis titulis. Summistæ in verbo Irregularitas. Hic saltem frequentiores subijciemus.

CAPVT XI.

DE IRREGVLARITATIBVS contingentibus circa homicidium: & ei annexa.

ANTE omnia aduertendum, quod homicidium tribus modis poteſt contingere. Vno modo voluntariè, & iniuſtè, vt quando priuatus homo ex odio, vel ira, deliberato animo interficit proximum. Secundo caſualiter & præter intentionem: vt ex.gr. in ſylua intendit ruſticus bombardam emittere in feram, interficit hominem caſu prætereuntem, quē non vidit. Tertio voluntariè, & iuſtè: vt quando miniſter iuſtitiæ occidit malefactorē morti adiudicatum. Nunc clarè per concluſiones neceſſariam doctrinam huius materiæ reſoluemus.

Prima Concluſio. Omnis Chriſtianus habens vſum rationis, qui voluntariè & iniuſtè alium hominem, vel ſeipſum occidit, deformat, vel mutilat efficitur irregularis. Hæc Concluſio, patet ex cap. Sicut dignum. & capit. de cætero. & alijs de homic. & Clem. Si furioſus. eod. tit. Dictum in concluſione, (omnis Chriſtianus) includitur ſolum maſculinum genus, quia fœmina cum non ſit capax characteris ordinis, non fit irregularis (Chriſtianus) quia non bapti-

baptizatus non incurrit hanc ſpeciem, quamuis alia ratione ſit irregularis, (habens vſum rationis,) quia eo carens non incurrit, ex d. Clemen. (voluntariè & iniuſtè) quia qui vel præter intentionem, aut iuſtè occidit alium, ſpeciem irregularitatis aliam incurrit, in qua facilior eſt diſpenſatio, (alium hominem, vel ſeipſum) quia ſi quis occidat beſtiam, & non hominem non fit irregularis: hinc ſi quis etiam occidat embrionem non non incurrit, quia cum careat anima rationali, non eſt homo (occidit vel mutilat) quia qui vulnerat, aut parum debilitat, quando mors, aut membri mutilatio non ſequitur, non efficitur irregularis contra multorum ignorantiam.

Secunda Concluſio. Omnis vtens ratione, dãs cauſam propinquam quocunque modo iniuſtæ occiſioni, aut mutilationi, ſi effectus ſequitur, efficitur irregularis. Eſt communis ſententia. Si autem nec mors, nec mutilatio, nec grauis deformatio inde ſecuta fuerit, non efficitur irregularis etiam ſi quis animum occidendi, aut mutilandi habuerit. Sylueſt. in verb. Homicidium 3. num. 2. Armil. in verb. Irregularitas. num. 2. Nauar. in Manuali, c. 27. num. 223. Fœlicianus Epiſcopus Scalenſis de cenſ. de irregularit. cap. 9. Sotus lib. 5. de iuſt. & iure. q. 1. art. 4. & poſt alios plures Couarr. in d. clement. Si furioſus. part. 2. in initio. nu. 5. & Candelabr. aureum loc. cit. numer. 207.

quicquid alij quidam allegati à Couar. in contrarium dicant. Hinc qui dant consilium, mandant, iuuant, præmium aut mercedem pollicentur occidenti, aut mutilanti, incurrunt irregularitatem. Eadem est ratio, de his qui arma, aut venena porrigunt, ad talem effectum. Alia tamen est ratio de fabro, qui arma facit, quibus fortasse alij occidentur: quia hic dat causam remotam.

De homicidio casuali.

TERTIA *Conclusio.* Qui dat operam rei licitæ, adhibens diligentiam debitam, neq; sinistram habens intentionem occidendi, aut mutilandi, non efficitur irregularis quamuis ex sua actione sequatur homicidium, aut mutilatio. Quia cum talis actus omninò sit inuoluntarius, nec culpabilis, non imputatur ad pœnam. Hinc qui in defensionem propriam cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit, non fit irregularis ex d. Clem. contra multos Theologos.

Quarta Conclusio. Qui dat operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, vel existens in culpa commissionis leui, non autem leuissima fit irregularis, si ex sua actione mors sequatur.

Quinta Conclusio. Qui dat operam rei illicitæ, quæ ex sua natura periculosa est, & nata inferre mortem, aut mutilationem, aut est suffi-

ſufficienter directa ad mortem arbitrio boni viri, fit irregularis, etiamſi præter ſuam intentionem ſequatur mors. Hanc concluſionem tradunt Nauarr. loc. citat. Dominicus Sotus de iuſtit. & iure libr. 5. quæſt. 1. art. 9. Ioſephus Angles in floribus in 4. ſentent. part. 1. de ſacramen. ordin. art. 4. difficult. 2. & alij iuniores: eſt contra multos canoniſtas. Syluestrum in verb. Homicidium 2. Angelum eodem verb. & alios, qui tradunt ſemper dantem operam rei illicitæ fieri irregularem, ſi effectus ſequatur, etiam ſi debita diligentia adhibeatur.

Sexta Concluſio. Qui dat operam rei illicitæ, erit irregularis, ſi ex ſua negligentia homicidium ſequatur. Conſtat ex capit. Dilectus. capit. Ex literis 2. & alijs de homicid. & ſecundum hanc concluſionem ſunt exponendi canones, qui militare videntur contra quintam concluſionem. Cum enim talis negligentia ſit culpabilis, cenſetur voluntaria, & mereri pœnam.

Septima Concluſio. Qui ſunt in cauſa, vt alij citius moriantur, vt qui infirmis aſſiſtunt, ipſos mouent, vel in alium locum ponunt, aut dant cibum, vel potum, vnde mors accelerat, ſi id bona fide faciunt, ſine fraude & dolo, aut culpa notabili, licet in aliquo fortè erraverint, non fiunt irregulares, vt communiter Doctores ſentiunt. Si autem quis in hac re ſcrupuloſam habeat conſcientiam, deponat

ad consilium boni viri, vt Angelus verb. Homicidium 2. §. 14. & alij alibi tradunt. Ratio dictæ conclusionis esse potest: Quod cum irregularitas sit pœna grauissima Ecclesiæ, bona fide operantes non videtur comprehendere.

Octaua Conclusio. Qui pugno alicui excutit dentem, non efficitur irregularis, neque ad hunc effectum dicitur mutilator: quia dens non est membrum, per se distinctum habens officium in corpore: & pœnæ iuris non sunt ampliandæ, sed restringendæ.

Nona Conclusio. Omnis, qui iustè hominem occidit, aut mutilat, vel etiam licito modo dat causam propinquam mortis, vel eius accelerationis, si sequatur mors, aut mutilatio, efficitur irregularis, nisi fiat in casu infirmitatis, aut in defensionem propriæ vitæ, & amicorum, cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt supra insinuatum. Hæc conclusio constat ex canonibus, 50. d. capit. Si quis viduam. capit. Aliquos. dist. 51. & capit. Clericis. & capit. Sententiam, Ne clerici vel monachi, & alibi. Hæc irregularitas oritur ex iusta & licita occisione sine peccato præcedenti. Visum est enim Ecclesiæ, non posse satis eum referre mansuetudinem Christi, qui alium occidit, aut mutilat. Hæc irregularitas tamen cum non trahat originem ex peccato, non tam grauis est, sicut ea, quæ nascitur ex homicidio in-

iusto,

iusto, proinde facilius in ea dispensatur. Hanc irregularitatem incurrunt condemnantes ad mortem, aut mutilationem, Accusator, Testis, Notarius, siue scriba, proferens sententiam, Assessor, consilium præbens, Officialis, & quilibet iustitiæ executor.

Decima Conclusio. Prælatus Ecclesiasticus habens iurisdictionem temporalem in aliquo dominio, quamuis non possit personaliter cognoscere, iudicare, aut executioni interesse in causa sanguinis, potest tamen constituere officialem cum potestate, & mandare in genere, vt faciat iustitiam, non descendendo ad genus mortis in particulari casu, cap. fin. Ne clerici vel monachi in 6.

Vndecima Conclusio. Clerici de laicis suis malefactoribus possunt conqueri, apud iudicem secularem, & emendam petere, quamuis in tali casu, de iure pœna sanguinis debeatur, modo expressam faciant protestationem, quod non intendant pœnam sanguinis, cap. Prælatis. de homicidio in 6. Ratio redditur à canone, quia alioquin daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & eorum bona liberè deprædandi.

Duodecima Conclusio. Prælatus habens iurisdictionem in loco, si interest in executione iustitiæ, irregularis est, cap. ex literis. de excessibus prælatorum, Angel. in verb. Homicidium, & in verb. Irregularitas. §. 7. Panormit.

in d. cap. ex literis. Nicolaus Ploue de irregularit. reg. 20. Summa confess. lib. 2. tit. 1. qu. 53. Armilla in verb. Irregularitas. num. 2. Candelabrum aureum loc. cit. num. 275. & communiter DD. alij alibi. Quia talis prælatus habens iurisdictionem, censetur auctoritatem præstare vindictæ sanguinis.

Decimatertia Conclusio. Clerici non habentes iurisdictionem in loco, si ex curiositate, aut alia causa interfunt vindictæ sanguinis, quamuis peccent, & quidem grauiter, vt Gloss. in ca. Sententiam. ne clerici vel monachi, & Doctores ibidem, & alibi sentiunt, non tamen fiunt irregulares, hæc est cõmunis opinio. Hæc conclusio intelligenda de clericis in sacris, & beneficiatis. An autem tale peccatum sit mortale dubium esse posset. Quia Doctores aliqui dicunt, quod grauiter peccent, existimo quod quando sunt clerici iuniores, non in sacris, quamuis sint beneficiati, si ex curiositate currunt, aut à parentibus mittuntur, vt exemplo iustitiæ contineantur à malefactis, quod non peccent mortaliter, frequentatio tamen non est laudanda. Qui autem comitantur malefactores causa consolandi, aut audiendi confessiones, non peccant, sed opus pietatis præstant.

Decimaquarta Conclusio. Qui sunt causa accelerationis mortis condemnato, vt dicendo, admoue caput ad stipitem, aut ascende citò scalam, aut consulendo iudici, siue rogando eum,

eum, vt viuum comburendum, curet prius strangulari, &c. fiunt irregulares secundum communem DD. sententiam. Quia sunt causa accelerationis mortis. Quare confessarij, & pro consolatione comitantes condemnatum, in his & similibus debent esse prudentes, ne in laqueum currant.

Decimaquinta Conclusio. Inquisitor tradens hæreticum iudici seculari, quem scit comburendum, & instans apud iudicem, vt comburatur non fit irregularis. Hostiens. in cap. Ad audientiam. de homicid. Felin. in cap. Ad abolendum. de hered. & communis opinio in ver. Irregularitas.

Decimasexta Conclusio. Portantes ligna ad comburendum hereticum, quando ligna sunt cooperata ad mortem fiunt irregulares. S. Antonin. in 3. part. tit. 28. cap. 2. Angelus verb. Irregularitas. §. 18. & communis ibidem. Nauar. capit. d. numer. 217. Hinc deducitur quod clerici, vel laici, qui assumere Ecclesiasticum statum volunt, non debent mitti à parentibus ad portandum ligna, vel stramina ad comburendum Sagas, ne incurrant irregularitatem, in qua solus Papa dispensat.

Decimaseptima Conclusio. Clericus existens in bello iusto, de licentia Pontificis exprimentis, quod etiam possit pugnare, occidendo nõ fit irregularis; quia in tali casu censetur tollere pœnam irregularitatis, quod facere potest, cũ sit de iure positiuo.

Decimaoctaua Conclusio. Clericus existens in bello iusto pro defensione patriæ, vel oppressorum, contra prædones cum armis defensionis, hortans bellantes, & intercedens pro eis orationibus dummodo non occidat, aut mutilet, non fit irregularis: Alia tamen ratio est; si occidat aut mutilet, nisi id fieret, vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ.

CAPVT XII.

DE IRREGVLARITATE, quæ nascitur ex defectu corporali.

DE hac irregularitate, vide in 55. d. in decretis, & in tit. de corpore vitiatis, Summistas in verb. corpore vitiatus.

Prima Conclusio. Defectus cuiuslibet membri principalis contractus ex culpa, inducit irregularitatem, etiamsi sit occultus, nec facultatem exercendi actum ordinis impediat, cap. Si quis absciderit. & c. Hi qui. & c. 55. & d. c. 1. & 2. de corpore vitiatis.

Secunda Conclusio. Mutilatus aliquo membro minori, & occulto sine sua culpa, vt ratione infirmitatis, vel alia iusta de causa, si huismodi membri defectus, non reddit impotentem

tem ad exercitium ordinis, non eſt irregularis, cap. Enuchus. 55. d. & cap. ex part. 1. de corpore vitiatis.

Tertia Concluſio. Quilibet defectus membri, qui aliquem ineptum reddit, ad exercitium actus ſui ordinis, vel horrorem notabilem ob nimiam deformitatem: aut ſcandalum inducere poteſt, ex quacunque cauſa originem trahat, reddit irregularem, c. Expoſuiſti. &c. Thomas. eod. tit. Panorm. cap. Presbyterum, de clerico ægrotante, & communis ſententia. Quis autem talis defectus ſit, Epiſcopus iudicabit ſecundum Innoc. communiter receptum, c. 1. de corpore vitiat. Ex hac concluſione & alijs de varijs caſibus iudicium ſumi poteſt.

Quarta Concluſio. Habens membra ſuperflua, vtpote ſex vel ſeptem digitos in pede, aut manu, &c. dummodo nullum inde oriatur impedimentum in vſu, in ordine ad exercitium ordinis, nec nimia deformitas generetur, non eſt irregularis, vt DD. ſentiunt; & ex dictis colligitur.

Quinta Concluſio. Illegitimè natus eſt irregularis, nec poteſt ad ordines ſine diſpenſatione promoueri. c. 1. & fin. de filijs presbyterorum, &c. Is qui, eod. tit. in 6. & c. Per venerabilem. Qui filij ſint legitimi, &c. Poteſt autem Epiſcopus diſpenſare ad minores ordines, & ſimplex beneficium. cap. 1. & 2. de filijs

presb.

presb. in 6. Sylvest. in verb. Irregularitas. q. 20. Rebuff. in praxi benef. 2. part. in capit. De dispens. super defectu natalium, & alij communiter. Ad maiores & sacros, solus Pontifex.

Dubium. *Quid censendum de infantibus expositis an pro legitimis, vel illegitimis sint iudicandi, & consequenter, an sine dispensatione possint ad ordines promoueri?*

DVbitationi locus est, quando nescitur an sint nati ex legitimis parentibus. Promoueri posse sic expositos ad ordines sine dispensatione opinatur Ioan. ab Anania, in cap. 1. de infantib. expos. Felin. in cap. Deputati. de iudicijs. in fine. Bermondus Choueronius de public. concubinarijs, super. verb. Qui etiam filios. num. 90. & Cardin. Paleotus de filijs nothis & spurijs, cap. 63. num. 3. & scribit hanc opinionem communiter receptā. Alij existimant pro illegitimis habendos esse expositos; cum in dubio nō præsumatur quis legitimus. & hanc opinionem amplectuntur post alios Simon Maiol. de irregular. lib. 1. cap. 11. Couar. in Clement. Si furiosus. 1. part. in princ. nu. 9. Candelabrum aureum 2. part. de irregular. numer. 124. qui duo postremi censent cum dispensatione Episcopi posse promoueri ad ordines.

Sexta Conclusio. Qui ante debitam ætatem ordi-

ordinatur, quamuis characterem recipiat, est tamen suspensus ab exercitio ordinis, & si co vtatur ante legitimam ætatem fit irregularis ex Extrauag. Pij secundi, incipiente. Cum ex sacrorum, quam ponit ad verbum Fœlicianus Episcopus Scalens. in tractat. de suspensione, cap. 14. in Enchridio. Nunc secundum definitionem Concilij Tridenttn. sess. 23. cap. 12. de reformat. nullus ad Subdiaconatus ordinem ante 22. ad Diaconatus ante 23. ad Presbyteratus ante 25. ætatis suæ annum promouendus est.

Septima Conclusio. Abstemius, qui prorsus non bibit vinum, vel bibere non potest, sine periculo vomitus, irregularis est, nec potest promoueri ad ordines ex Gloss. recepta communiter, 2. q. 2. cap. Ipsi Apostoli.

Octaua Conclusio. Bigami etiam sunt irregulares, id est, qui cum pluribus vxoribus, vel vna vxore non virgine corpus suum miscuerunt. cap. præcipimus. & cap. Si quis viduam. 34. d. & in tit. de Bigamis non ordinandis.

(:o:)

CA-

CAPVT XIII.

DE IRREGVLARITATIBVS, quæ incurruntur circa malam receptionem & exercitium ordinum, & violationem Censurarum.

PRIMA *Conclusio.* Existens in maiori excommunicatione scienter, & recipiens ordines, etiam minores, efficitur irregularis. capit. 1. de eo, qui furtiuè suscepit ordines. & cap. Cum illorum. de sentent. excommun. Eadem est ratio, quando quis suspensus ab ordine scienter eum recipit. Dictum est (in maiori excommunicatione) quia in minori recipiens ordinem quamuis peccet, non tamen efficitur irregularis.

Secunda Conclusio. Qui excommunicatus, interdictus, aut suspensus, celebrat, aut exercet actum alicui ordini attributum, fit irregularis, cap. Si quis presbyter. de clerico excommun. ministrante, & DD. ibidem. & c. 1. de sentent. excommun. in 6.

Tertia Conclusio. Qui quatuor minores ordines, & Subdiaconatum vno die absque dispensatione Apostolica recipit, incurrit irregularitatem, cap. 2. de eo, qui furtiuè suscipit ordines, & communis sententia ibidem. Putat

tat tamen Antoninus 3. part. tit. 14. capit. 16. quod quando in aliquo loco talis est consuetudo, quod recipientes excusentur, & à fortiori, omnium sententia est irregularis suscipiens duos sacros eodem die.

Quarta Conclusio. Qui recipit ordinem furtiuè fit irregularis, patet ex toto tit. de eo qui furtiuè suscipit, &c.

Quinta Conclusio. Efficitur etiam irregularis, qui solemniter exercet actum ordinis quem non habet: vt si constitutus in minoribus cum stola & alijs ornamentis debitis cantet Epistolam. cap. 1. & 2. de clerico non ordinato administrante: Si autem clericus in minoribus sine sacris vestibus, vt alius clericus in necessitate nullo existente Subdiacono cantet Epistolam, non incurrit irregularitatem: quia id sine solemnitate tanquam minor clericus facit.

Sexta Conclusio. Ordinatus ab Episcopo excommunicato, interdicto, simoniaco, hæretico, deposito, aut degradato, est irregularis, 1. qu. 1. can. Gratiam. cap. Statuimus. cap. Si qui. cap. Constat. &c. hoc tamen intelligendum, quando Episcopus talis est denunciatus.

Septima Conclusio. Qui per saltum ordinatur recipiendo maiorem ordinē ante minorem, aut superiorem ante inferiorem fit irregularis, cap. 1. de clerico per saltum promoto.

Octaua conclusio. Suscipiens ordines ab alie-

no Episcopo sine licentia proprij, sine literis demissorijs, vel extra tempora, est suspensus vt supra dictum. ex Extrauag. Cum ex sacrorum, & si exercet actum ordinis ante absolutionem, fit irregularis, de pulchra & notabili intelligentia d. Extrauag. videndus, Nauarr. in cap. Accepta. de restitut. spoliat oppositione 8. Eadem est ratio de eo, qui ordinatur ab Episcopo, qui loco & dignitati renunciauit, sic ordinatus est irregularis.

Nona Conclusio. Qui celebrat, aut exercet actum alicuius ordinis peculiarem in loco interdicto, extra casus à iure permissos, fit irregularis. capit. Is qui. & cap. Is cui. de sentent. excommun, in 6. Intellige in loco interdicto ab homine.

CAPVT XIV.

DE ALIIS QVIBVSDAM IRregularitatibus, quæ ex delictis nascuntur.

PRIMA *Conclusio.* Scienter, rebaptizans, & sic rebaptizatus efficiuntur irregulares. Intellige de rebaptizato, qui scit se baptizatum, & permittit se iterum baptizari, de consecrat. d. 4. can. Quibus. & c. Eos. & cap. Ex literarũ. de apostatis & reiterantibus Baptismum.

Secunda

Secunda Conclusio. Reiterantes confirmationem, & ordinem, non fiunt irregulares. Scotus in 4. sent. d. 7. quæst. 5. Dominicus Sotus ibidem. quæst. vnica. art. 5. Paludan. ibid. quæst. 2. Gabr. quęst. vnica. Turrecrem. in cap. Dictum de consecrat. d. 5. Angel. in verb. Irregularitas. §. 24. Sylvester eodem verb. quæst. 4. Armilla num. 84. Aliphons. Castrens. lib. 1. de lege pœnali cap. 7. & hęc est communis recepta DD. sententia, contra quosdam canonistas & alios. Ratio est ex regula supra posita. Irregularitas non incurritur, nisi in casibus iure expressis: At in iure non est expressum, quod reiterantes dicta duo sacramenta, sint irregulares, & pœnæ non sunt ampliandæ, sed restringendæ.

Tertia Conclusio. Crimina enormia, notoria, vel depositione digna inducunt irregularitatem, cap. Quæsitũ. de temporib. ordin. & communis sententia ibidem, & cap. Quoniam. d. 48. Excipitur autem homicidium, quod etsi sit occultissimum, facit tamen irregularem. Crimina autem enormia & depositione digna sunt. Adulterium, & omnia illo maiora, vt cõcubinatus diu continuatus, stuprum virginis, Sodomia, Simonia, & alia quæ irrogant infamiam ipso iure iuxta Glossam in cap. Nisi cũ pridem. de renunciat. de his criminibus vide DD. in cap. At si clerici. de Iudicijs, & in d. cap. Nisi cum pridem. Necessarium ergo est ad

hoc, vt crimen inducat irregularitatem, vt sit notoriũ, & enorme coniunctim, contra quosdam DD. qui autumant enormitatem sufficere. Vide ad hanc materiam Nauar. in Manuali, c. 27. num. 248. & hoc nouè declarasse Gregorium Nonum cap. fin. de temporib. ordin. ipse asserit.

Quarta Conclusio, quæ ex dicta elici potest. Apostata à fide, vt hæreticus, idololatra, & infidelis post Baptismum, sunt etiam irregulares, can. Presbyteros. 50. dist.

Quinta Conclusio. Quicunque incurrit infamiam iuris, aut facti, efficitur irregularis, cap. Infamibus. de regulis iuris in 6. & communiter DD. in verb. Irregularitas. Sunt & aliæ in iure irregularitates, quarum cognitio non est necessaria Confessarijs, quare peritiores remittimus ad canones & DD.

De modis, quibus irregularitas tollitur.

TRIBVS modis irregularitas tollitur, Baptismo, Religionis ingressu, & dispensatione. Per Baptismum tollitur omnis irregularitas contracta, ante illum ex peccato iuxta Panorm. communiter receptum in cap. Gaudemus, de diuortijs, & infamia, quæ venit ex sequela peccati. Non autem aufertur irregularitas Bigamiæ, nec ea, quæ ex defectu natalium oritur.

Per religionis ingressum tollitur ea, quæ non

non nascitur ex peccato proprio; vt defectus natalium, cap. 1. de filijs presbyterorum. Dispensat enim religio ad ordines, & non ad dignitates. Religio non tollit alias irregularitates, licet semper faciliorem reddat dispensationē secundum Panormit. cap. 2. de Apostatis.

Per dispensationem tollitur omnis irregularitas: quoniam introducta est à iure. Pontifex generaliter in omnibus potest dispensare. Episcopus proprius in aliquibus. Confessarius autem regulariter in nullis, nisi cui ex priuilegio ad aliquos casus concedatur, aut committatur. Quare etiam non annotauimus hic in singulis casibus, penes quem sit potestas dispensandi. Sufficit confessario scire casus, in quibus communiter incurritur irregularitas.

Forma autem dispensandi super irregularitate est talis, vel similis. Ego dispenso tecum super irregularitate, vel irregularitatibus, quam, & quas contraxisti propter talem causam. Hæc sufficiant pro breui introductione ad vberiorem cognitionem, quę vt pastoribus rudibus ad maiorem doctrinam, & cunctis fidelibus ad salutem animarum proficiant Deum, in cuius gloriam ac honorem omnia dirigimus, sedulò obsecramus.

P. FRANCISCI BORGIÆ DE RATIONE CONCIONANDI LIBELLVS.

CAPVT I.

PRAEPARATIO AD CONCIONANDI munus, cum timore, & fiducia DEI.

QVI ex officio, Superiorumque iussu, de superiore loco ad populum de verbo DEI disserere student, ij optimo iure cum Propheta dicere possunt, *Timor, & tremor venerunt super me.* Timor quidem ob muneris magnitudinem; tremor vero, quia me ipse probe explorans, quæ doceo eadem re præstare debeo, ne minacē illam vocem audiam: *Quare tu enarras iustitias meas, &c.* Ex altera parte, si taceo, & talentum à Domino mihi creditum defodio, timor quoque, & tremor erit, ne aliquando ad me quoque pertineat

Psal. 54.

Psal. 49.

tineat illud: *Væ mihi, quia tacui.* Nec enim modicæ culpæ affinis est, qui vbera, & lac doctrinæ filijs DEI esurientibus negat. Quod crimen qui committunt, crudeles perinde sunt, atque lamiæ; de quibus per Hieremiam Prophetam DEVS sic expostulat: *Lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos; filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* Si suggestum concionaturus ascēdo, vereor, ne negligenter me comparauerim, careamque zelo honoris DEI, & salutis proximorum: timeo ne ambitione peccem, aut inanis gloriæ studio: quæ vitia vanum hominem, & sui amore occæcatum comitari solent. Si, vt boni Ecclesiastæ, seu Concionatoris munus expleam, & diuino Spiritu, gratiaquę cælesti opus est: quale nam hoc meum domicilium est, quod DEI Spiritus inhabitare velit? cum cor hoc meum latronum spelunca sit, nidus serpentum, antrumque dæmonum. Si Moyses, & Hieremias se coram DEO purgant, detrectantque legationem, quod se indignos, & ineptos huic muneri, balbos item, & infantes cognoscerent: Si Isaias igne indigebat, quo Angeli manu vrerentur, & mundarentur labia, prius quam cælestem nuntium proferret: Si innocentissimæ vitæ CHRISTI Præcursor, iam inde à puero pœnitentiam sectatus, solitudinis asperitatem amplectitur, vt hic mundi Redemptorem, AgnumqueDEI digito melius commonstra-

Isai.6.
Thren.4.
Exod.4.
Hierem.1.
Isai.6.
Luc.1.

Matth.3. ret: Si denique Saluator ipse antequam ad Euangelicam prædicationem aggrederetur, baptizari prius in Iordane voluit, & cœlos aperiri, vnde potestas docendi à Patre cœlesti accepta hac voce, ab omnibus exaudiretur,

Matth.4. *Ipsum audite*: Si desertum ingreditur, ieiunat, pugnat cum dæmone, & vincit: quomodo non timebo, qui in desertum non abij? quomodo non tremam, qui in mundi horto desideo, nec cœlos mihi apertos video, sed infernum potius merito peccatorum? neque Patris æterni vocem parendo audiui, sed dæmonum potius sibila auscultaui? neque tentationes superaui, sed illis deditus captiuum me tradidi?

Actor.9. Gentium Doctor Paulus humo affligitur, & oculorum lumen, ne mundum aspiciat, amittit: DEVS enim Euangelij prædicatorem humiliari vult, atque terrena hęc aspicere prohibet. Quomodo ego superbus, & in terrenis rebus lynceus, in cœlestibus, & æternis cœcus? qua fronte cathedram Sanctorum ascendam, & eloquar quæ non satis intelligo? quomodo docebo, quæ ipse non seruo? Humili hac sui cognitione, & pudore vilitatis suæ se ipse concionator cognoscat, atque deijciat, magni muneris, quod sustinet, habita ratione. Verum, ne animo deficiat, cauendum, neque ignauus reddatur timore, vt dicendi, ac reprehendendi viribus, & neruis careat: neue amittat san-

ſanctam illam libertatem, auctoritatem, & zelum huic officio perneceſſaria. Temperandi itaque, & corrigendi timores illi amore, & fiducia DEI: animumque addat ſuæ imbecillitati, atque triſtitiæ, fortitudine, & gaudio Spiritus ſancti neceſſe eſt. Quare in mentem illi veniat, quantam DEI oculis voluptatem adferant, omnibuſque adeo cœlitibus gaudium, pedes prædicantium Euangelium; ſic enim per Prophetam Spiritus ſanctus ait: *Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Diffiſus itaque ſcientiæ, & talento, ſiſtat ſe DEO; petatque ſapientiam, gratiam, virtutem, & fortitudinem; dicatque humili veritate: *Domine, non eſt ſermo in lingua mea: &, Domine labia mea aperias, & os meum annunciabit laudem tuam.* Tu ſi DEVS, opem fers, vitam emendabo, & per ſemitas tuas ducam fratres meos; & ante actæ vitæ meæ errata medicinam illis adferent, atque remedium. *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Et ſi tu, ô DEVS, negas bonum eſſe, vinum nouum Euangelij tui mittere in vtres veteres, & laceros; qualis anima mea tot vitijs inquinata digna erit, quam tu manu tua renoues, & adornes; ne in me liquor ille pereat, nec proximi miſericordia tua priuentur? *Cor mundum crea in me* DEVS *& ſpiritum rectum innoua in viſceribus*

Iſai. 9.
Pſal. 138.
Pſal. 50.
Pſal. 50.
Matth. 9.
Pſal. 50.

meis. Et quanquam vitio meo manus habeo Esau, erit vox mea Iacob, tractans magnalia tua, & misericordias; & acquiram mihi, & fratribus meis benedictionem tuam. Hac fiducia vade, ô Ecclesiastes, gladioq; accingere, quod est verbum DEI; & Spiritum sanctum ora, vt se verbis tuis insinuet, cordaque auditorum penetret; qui solus claues habet, & aperit quãdo vult; *vt detur tibi sermo*, quemadmodum Apostolus ait, *in apertione oris tui cum fiducia, notum facere mysterium Euangelij, pro quo legatione fungeris, ita vt in ipso audeas, prout oportet, loqui.* Legatione enim fungeris, siue ex officio, quo teneris, siue ex obedientia, quæ tibi hoc munus mandat.

Ephes. 6.

CAPVT II.

QVALE STVDIVM CONCIONI adhibendum.

HAC præparatione, oratione, & sui cognitione instructus Euangelium legat, quod explanandum suscepit, facto prius conscientiæ examine, quam librum aperiat: puluis enim peccatorum oculos spiritus impedit, quo minus possit à vilibus pretiosa discernere, vt oportet, teste Propheta, facere illum, qui DEI ore, & lingua loqui vult. Lecto Euangelio, san-

Hier. 15.

ſanctorum Patrum, Eccleſiæ Doctorum veterum expoſitionem conſulat, & recentiorum eos, qui ingenio ſuo magis quadrant: petatque à DEO Spiritum, quem cum illis Sanctis communicauit, in explicando Euangelio. Nã ſine illo Spiritu frigide ſæpe dicet Concionator, & fructum ex auditoribus non colliget. Caueat diligenter Eccleſiaſtes, ne formulis, & phraſibus hæreticorum vtatur. Sanctorum Patrum ſcripta attente legat, nec audacter, quæ ab illis dicta ſunt, proferat; illi enim ſæpe, vt tempora tum ferebant, cum ſcriberent, & quo fine ſcribebant, non errarunt: nonnulla dixerunt, quę, ſi in hoc ſæculo incidiſſent, non erant dicturi. Nec illorum verba citet in ſuggeſtu, impugnandi gratia, vel refellendi; id enim eſſet Sanctorum auctoritati derogare, & populũ offendere. Habeat illos potius humili ſenſu magiſtrorum loco, ijſque addictus ſit, gaudeatque ſe inſtrumentum eſſe gloriæ accidentalis Sanctorum, renouando honorifica prædicatione ſanctam, quam docuerunt, doctrinam, litteriſque mandarunt ad DEI gloriam, & Euangelij incrementum, animorumque ſalutem. Vitabit tanquam ſcopulos, inuenta à ſe, atque excogitata temere plebi obtrudere: quin potius receptam Scripturæ interpretationem libenter amplectatur, optimamque interpretandi rationem exiſtimet, Scripturam per alia Scripturæ loca interpre-

tari, & Patrum loca inter se componere, Vulgatam Bibliorum lectionem religiose sequatur, sensum sequutus sanctorum Augustini, Hieronymi, Gregorij, Ambrosij, atque Chrysostomi: Glossam item, quam interlinearem, & Ordinariam vocant, non fastidiat. Scripturæ loca interpretari non audeat, nisi bene intellecta. Tanquam rem sigillo obsignatam reuerenter Scripturam, & humiliter tractet, præmissa precatione, adhibitoque diligenti studio; sic fiet, vt DEVS abditare signet, & quasi tenebris obducta reuelet. Solet enim *quæ abscondit sapientibus huius mundi, reuelare ea paruulis*; quod curiosi, & superbi non consequuntur. sed humilibus datur. Lectis iam diligenter interpretibus sacris, ruminet accurrate, attenteque consideret, atque inuenta disponat. Animum inde sacrarij loco, & adytorum conseruet, haustis tanquam diuitijs ex thesauris DEI familiarium sanctorum Patrum. Meminerit eidem DEO clauem tradere, cordisque sui custodiam commendare, tanquam capsulam doctrinæ cœlestis; vti vere cum Propheta Regio dicere queat: *In corde meo abscondi eloquia tua, vt nunquam peccem tibi.* Sic itaque munitus si interdum, vt fit humanitus, à dæmone lædaris, pudeat te tui, pœniteatque humiliter confugiens statim, tanquam ad anchoram, ad Confessionis sacramentum. Meminerit quoque thesau-

Matth. 11.

Psal. 118.

1. Cor. 4.

thesaurum se portare in vasis fictilibus, quæ DEO commendet, vt thesaurus ille tutus sit à furto dæmonis, & inanis gloriæ. Quemadmodum fecisse accepimus beatum Franciscum, DEVM sic identidem appellando: *Custodi, Domine, tuos ipse thesauros; cognoui enim furem me esse; alioqui eos ipse vel furto auferam, vel hosti tradam.*

CAPVT III.

DE MEDITATIONE ANTE concionem.

NEC satis ducat Ecclesiastes, legisse, studiumque adhibuisse, memoriaque complexum esse dicenda, verum in mentem illi veniat Eliæ Prophetæ exemplum, qui comparatis ijs quæ ad sacrificium necessaria essent, DEVM orauit, ignem de cœlo mitteret, quo victima incenderetur: *Et cecidit ignis Domini*, inquit Scriptura, *& vorauit holocaustum, & ligna, & lapides.* Idem & ille precetur, oretque Dominum cum Hieremia: *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* Credat itaque absq; hoc igne mansurum crudum cibum, & insipidũ, vt ne conuiuæ quidẽ concoquere possint. Hic vero ignis precando parari, & meditando solet, vt expertus ille, qui

3. Reg. 18.

Thren. 1.

Psal.38. qui dixit, *In meditatione mea exardescet ignis.* Hac meditatione instructus Concionator, ex Euangelio, quod in manibus est, attributa hauriat diuinæ quidem potentiæ in miraculis; sapientiæ vero in doctrina Præceptionum, & Consiliorum; bonitatis denique in misericordiæ effectis. Sumat & inde virtutes Fidei, Spei, & Charitatis, humilitatem item, patientiam, fortitudinem, castitatem, misericordiam, & reliquas. Re enim explorata comperiet nullum esse Euangelium, ex quo spiritualis homo, nulla vt allata, non queat haurire id genus excellentis virtutis Sententias expendat, & verba; à quo, & ad quem prolata; quo fine, tempore, & occasione dicta: in omnibus enim mysteria reperiet, si DEVS illi clauem intelligentiæ Scripturarum dederit. DEVS enim æternus, *qui primum loquutus est in Prophetis,*
Hebr.1. *post nobis loquutus est in Filio.* Et hic quidem sermo non est in Euangelio mutus, sed ijs diserte, qui aures audiendi habent, loquitur.

Fingat se præsentem sermonibus à CHRISTO habitis, & ad viuum auditoribus exprimat, voce potius quam gestu. Obseruet minas, ad terrorem incutiendum; misericordias vero DEI, & beneficia ad amorē DEI conciliandū. *Timor* enim animū à vitijs deterret, vt contra *amor* ad virtutem inflammat. Induat Ecclesiastes eas animi affectiones, quas auditorum animis imprimere vult: nec enim alios mouet,

qui

qui non se prius mouerit, intenderit, atque inflammarit; vnde & quidam olim ait, *si vis me flere, doleudum est Primum ipsi tibi.* *Horatius in Arte Poët.*

Consolationi erit futuro Concionatori in laboribus, atque vigilijs considerare CHRISTVM Dominum, cum illa verba, quæ interpretanda suscepit, diceret, Patrem in Verbo diuino spectasse, & quasi iam coram esset prædicaturus, quaque attentione auscultarent auditores: animaduertat quoque, CHRISTVM hominem, pro illis se obtulisse, qui illum audirent. Speret itaque, conciones tali patrocinio, ac præparatione fructum allaturas, DEOque Patri offerat, vt Filius obtulit, rogetque, vt verus infirmorum animorum medicus auditoribus medicinam impertiatur Euangelij, quantum ijs opus esse nõ ignorat. Roget quoque medicum illum Doctrinæ panem, quem ad suggestum inops affert, in manibus suis multiplicari patiatur, & auditoribus largiatur. Quod nisi fecerit, neque qui plantat, neque qui rigat, adferent emolumentum; quin potius damnum concionatori adferet prædicatio: quemadmodum imperitus medicus nocet ægroto, si ignorantiæ culpa, aut negligentiæ, pharmaca præpostere porrigat. Ad finem meditationis dolorem expendat, quo DEVS offensus angitur; & zelum, quo vri oportet, vt & illius amore, & in ouium salutem mortem non detrectet. Qua quidem in re si se profecis-

se sen-

se sentit, argumento est, meditationem bene spiritui suo cessisse: vt Euangelium meditatum
Apocal. 10. in libro Apocalypsis beati Ioannis quod amaritudinem affert ventri, *etsi in ore tuo videatur dulce tanquam mel.* Sciat quanto plures lacrymas effuderit, tanto melius gustare faciet populum myrrhæ amaritudinem. Tandem dabit illi Dominus intelligentię lumen spiritua-
Psalm. 118. lis, scriptum est enim: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis*, modo humili gratiarum actione recipiatur, & donum gratuitum, nulliusque meriti esse sui agnoscat. Et si nullum alium laborum fructum recipiat è lectione, ante meditationem, illo contentus sit, memor illam etiam esse gratiam, donumque DEI. Certus etiam sit, si his bene vtatur, maiora se accepturum. Meminerit præterea præceptorem non solere alteram discipulo lectionē dictare, donec priorem bene teneat. Denique, si in nihil recipiendo humiliare se nouit, non exiguum Concionator fructum Capiet.

CAPVT IV.

DE DISPOSITIONE concionis.

QVÆ legerit, meditatusque fuerit Ecclesiastes,

ſiaſtes, ordine digerat neceſſe eſt: qui ordo loco libri erit, quo memoriæ cauſa quotidiana notamus. Dici enim non poteſt, quantum ordo, diſpoſitioque memoriam iuuet: ſi enim multa collegerit, magnamque rerum copiam in ſuggeſtum attulerit, ſed rudia omnia, & indigeſta; & confuſe omnia, perturbateque dicet, & faſtidium auditoribus ſine fructu pariet. Deinde aut non intelligit auditor, aut nihil memoria retinet; & rerum permiſſio efficit, vt nihil perſuadeas, voluntatemque non moueas. In vniuerſitatis creatione ordo docetur, & in ædificijs exſtruendis: vt medijs concionibus Spiritus ſanctus in cordibus habitet fidelium. Primo creauit DEVS (vt imaginamur) materiam primam informem: hinc lucem, & terram, cœteraque, quæ materiam & illuſtrarent, & adornarent, donec ad hominem creandum peruentum eſt; omniaque ſuo loco collocauit. Idem concionatori ſentio faciendum; qui locum primo eligat Topicum, argumentum hinc ducet, materiamque doctrinæ, quæque ſermone perſuadere populo cupit: deinde conquiret, quid ea de re ſancti Patres docuerint, meditabiturq; Euangelium; hinc ornabit eleganti ordine, omniaque locis accommodis diſponet, partes digerendo, donec intellectui factum ſit ſatis. Ad hæc habeat Locos multos communes in promptu, ſententiarumque copiam, au-

ctoritatum vim, rationum momenta, Metaphoras, seu translationes, tropos, & figuras sacræ Scripturæ, exempla, historias, & similitudines: qualia nostra memoria singulis libris collecta, & edita legimus; vtilius tamen suis quisque vigilijs, & lucubrationibus vtitur. Caueat tamen, ne quid præter rem adferat, sciatque suo loco, & tempore placent, & iuuant; ea si loco suo moueas, neque vtilia sunt, nec persuadent. Prophetarum loca recte explicata docent, & admiratione ipsa mouent, fructumque afferunt, præsertim cum DEVS expostulat cum hominibus, & eæ prophetiæ vehementer mouent, quas in lege gratiæ impletas videmus. Interdum vtile erit Euangelium diei explanare ordine, & ad verbum, hauriendo hinc inde quæ ad mores pertinent: quo potissimum concionantis referri labor debet. Nonnunquã verò, explicato paraphrasi quadam Euangelio, periodum aliquam, vel sententiam Euangelij sumat, quæ luminibus illustrata, magnam dicendi, & amplificandi materiam suppeditabunt, Verum tanta in his varietas existit, quanta est ingeniorum, cum nõ solum quæ vni placeãt, alteri displiceant, verũ etiam plerunque quæ nobis hodie probabantur, postridie improbantur: vt quæ hodie cõponenti placebant, die sequenti reijciat.

Conciones primum calamo scribere, prudentis est hominis, & periculum vitantis: per-

com-

commodum item sequentibus annis. Verum scribendi rationem variam varij tenent: alij compendio quodam quę dicturi sunt, & summa capita notant: alij tribus, quatuorve folijs integram orationem diffuse scribunt; nec audent verba publice facere, nisi prius ea scripserint, memoriæque de scripto mandarint: q̃ laboriosum est, & incipientium, meticulosorum potius, quam in concionandi arte experientium. Et vero his alligari verbis, dicentis vim (spiritum vulgo appellant) continere videtur, & refrenare, quo minus libere audeat Concionator obiurgare, & vehementius, diuino Spiritu suggerente, dicere. Sunt & qui mediam viam, quam probo, tenent; vt vna pagina rem, de qua dicturi sint, summatim, & methodice complectantur: quin & verba apposita ad rẽ ipsam adiungunt, ordineque omnia disponunt. Sic fit, vt liberiore, cum res postulat, campo excurrere possint, ad amplificãdum sermonem, & eloquentiæ vim ostentandam; vtque affectus mouere possint, subitario dicendi impetu. Et hæc quidẽ ratio, mea quidem sententia, tuta est, & frequens.

Phrases, dicendique modus, & verba, cauẽdum ne affectata adhibeantur, & plus æquo conquisita; hæc enim & dicentis animum exsiccant, & audientis. Vitanda contra & verba sordida, rustica, & barbara, & obsoleta: sit itaq; sermo castus, quem nemo æstimator æquus

facile reprehendat. Descripta iam concione, repetat interdum, vt memoriæ non solum infigatur, verum etiam vt decentibus verbis, gestuq;, & actione exprimat, priusquam in publicum prodeat; pręsertim si non magna dicendi venustate, naturæ beneficio, & arte polleat, nec vsum concionandi habeat.

Sunt qui memoria locorum vtuntur, & artificiosa, quam ab Oratoribus, adhibitis imaginibus, didicerunt. Sed vidi his impediri sæpenumero magis, quam iuuari. Mediam itaq; viam hic quoque tenere iuuat: vt in margine orationis scriptæ, sex, vel octo locis, præcipuis notas pingat, vt crucis figuras, litteras, & numeros: quibus memoria comprehensis, fidere possit, si forte, vt sępe accidit, memoria exciderent, quæ didicisset, vel inter concionandum turbaretur: ad quas Notas, tãquam ad anchoram, confugere queat.

Opportunum tempus concionis memorię mandandæ, est pridie vespertinis horis accurate ediscere, priusquam quieti se nocturnæ, somnoque necessario tradat, vt à somno euigilanti species impressæ occurrant, cubitu vero surgens exigat à memoria quæ pridie, tanquam deposita tradidit. Orationem, quoq; ad Deum matutinam ea de re instituere poterit, de qua verba ad populum facturus est, vt sibi ipse persuadeat, quod alijs dicendo persuadere conatur. Facilius enim id consequetur, vt alios in

os in ſuam ſententiam rapiat, qui ſibi primum perſuaſerit, quod ab alijs extorquere nititur.

Neque vero minus ſtudium eſt adhibendũ in ijs quæ dicenda non ſunt, quam in ijs, quæ dicenda videbuntur, Verba itaque de re controuerſa, & graui expendat, ne quid excidat imprudenti, quod cum Scholaſtica pugnet Theologia. Et ſi forte humanitus, vt fit, aliquod verbum imprudenter excidiſſet, aut ſententia, quæ in malum ſenſum rapi poſſet, & periculoſe ſonet; ſtatim ipſe, priuſquam ad alia pergat, perſpicue explicet neceſſe eſt: ne quod ſcandalum, aut offendiculum, quaſi ſecius de religione ſentiat Concionator, in auditorum animis relinquatur: nam, vt Propheta ait, *Eloquia Domini, eloquia caſta.* *Pſal. 11.*

CAPVT V.

QVOMODO SE IPSE COMparabit, & cum fructu alios iuuabit.

MATER, vt lacte nutriat infantem, ſe alit primum, curatque valetudinem, & ſolidos cibos mandit, quos in infantis os ingerit. Ad eundem modum Concionator, vt ſpiritualẽ eſcam populo, quem filiorũ loco habet commode præbeat, prius ipſe cibum mandet,

vt sic in os infantis ingerat. Quare sacrificet pie, oret, ieiunet, vigilet, lacrymetur, flagellis se verberet, corpusque pœnitẽtia subigat spiritui, & domet. Sic fiet, vt peccata, quibus tanquam à dœmonibus multi occupantur, citius expellat; nam, vt CHRISTVS ait, *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, nisi per orationem, & ieiunium.* In precando DEVM, eiusdem Domini exemplum imitetur, qui cum ad cœlestem Patrem properaret, sic orabat: *Pater, cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo; nunc autem ad te venio, serua eos, &c.* His tanquam commendatitijs litteris, quas nobis vita abiens reliquit, vti ad DEVM Patrem oportet, qui eas preces, haud dubie, libenter accipiet.

Matth. 17.

Ioan. 17.

Angelorum quoque subsidium imploret, à Seraphinis quidem amorem petat, à Cherubinis scientiam, & lumen; de ceteris Hierarchijs sua dona postulet, quæ à DEO acceperunt. Præcipue vero ab Angelo custode auditorum potestatem sibi fieri postulet, docẽdi eos, tanquam discipulos, qui eius sunt custodiæ commissi. Pudori quoq; sit eos docere ausum, qui tales nacti sint & magistros & custodes. Quorum si disciplina nihil profecerunt, quomodo tua, qui imperitus sis, & peccator, doctrina proficient? Roga item, vt inspirando ea suppleant, quæ in te desiderantur, vel ob imperitiam, vel negligentiam tuam; vel denique ne ab Angelo tuo illud audias, *Medice, cura teipsum:*

sum: ipse serua, quam fers legem, & fac ipse prior, quod iubes. Sic ex concionibus vtile quid hauries animæ tuę commodo. Da itaque operam, vt boni magistri officio fungaris, re ipsa exequendo, quæ doces: vt de cœlesti illo Doctore accepimus, qui *cœpit primum facere, quam docere.* Actor. 1.

Cum aliquam virtutem persuadere studiose cupis, eius Sancti auxilium implora, qui in ea excelluit, dum in terris versaretur. Exempli causa, de Patientia verba faciens, commenda te, tuaque D. Iobo: si de Pœnitentia ages, Magdalenam appella: si de Continẽtia, & Castitate, Iosephum: si de Caritate, eum discipulum, quem dilexit IESVS: vt horum apud DEVM intercessione singulas illorum virtutes consequaris, & meritis per DEI misericordiam, vt cum fructu populus & verbum DEI simul audiat, & custodiat.

Verum cum ambitionis æstus oppugnare, atque vtinam ne expugnare concionantes soleat præsertim si audientium frequens sit concursus: armet se ipse, pugnetque cum hoste illo, qui viperæ instar cor ipsum, & sanguinem bonum, tanquam veneno corrumpere solet. Huic malo hoc esto remedium. Suggestum concensurus, verecundia ducatur, & pudore; quasi palinodiam canere pergat, & quæ dixit, retractare sit iussus. Re vera enim, si recta rem ratione expendas, hoc agis, dum virtutem lau-

das, atque commendas; retractas ea, & reuocas, quæ turpiter antea peccando commisisti, cum toties DEVM offendebas. Se itaque, suaque opera accuset, & damnet; ipse sibi præco sit, & carnifex. Quæ cum ita sint, quid, ò infelix cinis, si publice palinodiã canis, teq; retractas, superbis? si tuam ipse vitam condemnas, cur extolleris? Triduo ante concionem studiũ sit obsequi tribus Trinitatis personis: primo die DEO Patri memoriam commenda, postero die Filio intellectum, tertio die Spiritui sancto offer voluntatem. Si quid forte memoria excidet. Patrem cœlestem appella, si alicuius loci difficilis explanationem, vel arcanum aliquid sacræ Scripturæ inuestigas, ad Filium confuge; cum te aridum, & sine deuotione comperies, roga Spiritum sanctũ, vt sui amoris ignem in corde tuo accendat: vt sic omnes animæ potentiæ instrumenti loco sint DEO acceptæ, quo illis bene ad illius laudem, & gloriam vtaris.

CAPVT VI.

SVGGESTVM ASCENSVRO quid agendum.

CONCENSVRVS ad dicendum animi puritatem in primis curet, & puræ conscientiæ examen adhibeat, tanquam mox habita

bita concione, rationem reddere debeat animæ, & sistere se ante tribunal, iudiciumque iusti DEI. Qua de causa in mentem illi veniat, Filium DEI IESVM CHRISTVM suggestũ, & cathedram Crucis conscendisse, vt mortẽ ibi oppeteret. Apostolum item sanctum Andream ex Cruce concionatum, eamque miris antea laudibus extulisse, in eaque exspirasse. Sic qui nunc verus est CHRISTI crucifixi Concionator, ita in suggestu stare debet, vt pręparatus sit, cruciatus proferre, imo & mortem oppetere, in testimonium, & defensionẽ verbi DEI, quod concionatur, & Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, matris nostræ, & magistræ.

Cogitet etiam Ecclesiastes, se esse instar machinæ, seu bombardæ bellicæ, qua, tanquã ariete, muros superbos Babiloniæ quatere vult DEVS, atque prosternere: se vero similem esse pulueri tormentario, & fictilem, & aeris instar grauem, frigidum: puluerem se esse nigrum, sordidum, fœtidum, & ad inquinandum alios aptum quos tetigerit, qui puluis, vt finem consequatur suum, ignem illi applicare necesse est sancti Spiritus qui illum incendat, vt olim. Pentecostes die, corda Apostolorum ignitis linguis inflammauit. Quo dono vt potiaris, & luce, & igne humiliter, & cum fiducia recites Hymnum.

Veni creator Spiritus,
Mentes tuorum visita;

Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.&c.

CAPVT VII.

CONCIONATORIS OFFICIum in suggestu.

IN suggestu non turbetur animo, neque sibi displiceat, si perpaucos ad concionem confluxisse viderit: quin potius mirari oportet, existere vnum aliquem, qui illum audire patienter non recuset. Consideret, tametsi pauci ad audiendum venerint, nihil meriti sibi detractum iri: imo tantum addet lucri, quantum adimit, ne inanis gloriæ vitio tangatur. CHRISTVM itaque magistrum summum, pręsentem habeat, Concionatorem cœlestem, qui paucis sæpe discipulis, & vni mulierculæ infimæ conditionis prædicare non erubuit, summo etiam labore, & lassitudine longæ viæ.

Ioan. 4. & 8.

Paratus sit etiam silere, dato iam à comite silentij signo, tametsi vix dimidium dixerit eius quod attulit, pręstat enim per obediẽtiam silere, quam sine illa diserte loqui. Erit tamen prudentiæ ita sermonem temperare, vt vna hora absolui concio queat; neq; enim extendi vlterius debet: nec proficit auditor, imo tædio afficitur, nauseamque concipit etiam de auditis, si horam Concionator excedat.

Gestus, motusque corporis, personæ & decore

coro conueniant,& officio: respondeant vero rei,de qua agitur. Cauēdum ne in gesticulando nimius sit,vt Histrionis personam in scena agere videatur;nec contra ita quietus stet,atq; immobilis vt statua,non homo,videatur.Meminerit,actionem,& pronunciationem principem esse Oratoris partem, teste Demosthene,& velut orationis vitam.

In Historijs narrandis vitanda prolixitas: fastidium enim pariet,tempusque, quo docēdus potissimum populus est,amittet.

Cum peccatorem reprehendet, cogitet se ipsum reprehendere. Se enim peccatorum maximum æstimet necesse est. Id erit perfacile, quando nullius, imo ne omnium quidem auditorum tot errata agnoscit, quot ipse se commisisse conscius nouit. Sic docendo,fructumque auditoribus adferendo, ne ipse quidem expers eiusdem fructus erit.

Non pigeat, pudeatque sententias, & præclare dicta ab alijs concionari, licet sint æquales,& sui temporis scriptores: respiciens in exemplum CHRISTI, qui cum Sapientia esset Patris,eadem tamen prędicare non erubuit,quæ ante illum Præcursor Ioannes, nimirū de Pœnitentia, in deserto concionatus erat. Hinc etiam discat Ecclesiastes, sæpe verba facienda publice,priuatimque,exhortandumq; populum esse ad pœnitentiam; Ille enim sensuum ductu, & deprauata consuetudine, ruit

in delicias, mundi q; voluptates. Animaduertat, DEVM per Hieremiã falsos appellare Prophetas, qui non prædicent pœnitentiam. *Prophetæ*, inquit, *tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent.*

Thren. 2.

Si concionanti forte quis rumor obstrepat, patienter ferat, neque animo turbetur, vel iracundiam ostendat: ne dum patientiam alios docet, se ipse palam refellat, quod ea virtute careat. Meminerit, se maiori antea impedimẽto alijs fuisse, quo minus DEI vocem audirent, quam sibi nũc obstrepunt. Si quid dicto opus sit, vt rumor conquiescat, modeste id fiat, absque animi perturbatione, vt auctoritati simul, & humilitati locus sit.

In reprehendendis moribus, & vitijs prudentiam adhibeat, & modestiam: si enim verba animos offendunt, vel aspere, & acerbe id fiat, maius erit offendiculum, & detrimẽtum, quam emolumentum, & emendatio. Prudentis est medici, catapotia inaurare, vt à debili stomacho suauiter accipiantur, & quamuis inaurata sint, nihilominus operantur. Correctio fraterna sit cum candore, & in caritate; vt facile appareat, proficisci ab animo pio, vereque Christiano, & commiserante, quique eius, qui reprehenditur, salutem quęrat, ostendat item, se neminem improbum existimare, aut notare, tantum cauere velle, ne huiusmodi peccata com-

committantur, vel improbus sit. Verba ita tẽperabit, vt si quis læsum se suspicetur, molesteque ferat, vere dicere Concionator possit, non eius causa dictum esse. Temperari autem correctio fraterna potest, & mitigari, allato aliquo loco, vel exemplo sacræ Scripturæ, vel ex SS. Patribus, quibus eadem vitia reprehendantur. Vt enim non tu es qui loqueris, sed Spiritus sanctus; ita nec se iure læsos esse doctrina tua conqueri poterunt. Denique reprehensio commiserationem ostendat, non indignationẽ, aut odium cuiusquam. Habeat & personarũ delectum, quas reprehendit; sic enim docet, iubetq; Apostolus Paulus, senes vt patres, anus vt matres reprehẽdendas. Incredibile dictu est, quãto studio dæmon Euangelico melli fel admiscere in reprehendẽdo conetur, vt multos hac ratione ab audiendis concionibus deterreat, vel inuidiã, & odium zelotis Ecclesiastis cõciliet. Si quando visum erit necessariũ saluti, & conseruationi eius, qui corrigitur, vt vulnus detegatur, & cauterium adhibeatur, & oleum etiam suauitatis addendum esse meminerit: sic enim DEVS olim durum Pharaonem accepit, quẽ & plagis multis affecit; mox flagellũ auertit, vt ad se rediẽs resipisceret, moresq; placide emendaret. Si inter cõcionandum loca occurrant, quæ tamen domi non cogitasset, non temere proferat, tanquam non satis matura. Solet enim dæmon

1. Timot. 5

Exod. 8

sæpe-

ſæpenumero hæc ſuggerere, vt concionantē turbet, vel auocet à re aliqua, de qua agebatur, cogitatione rei nō magni momenti: niſi forte ſpiritus ſui robur agnoſcat, lumenque ingenij, & ad rem ipſam facere videatur, vt vel ſilentio rem præterijſſe, ſcrupuli religionem inijcere poſſet. Quod ſi accidat, redeat ſtatim ad ea quę domo meditata attulit, habito reſpectu cœleſtis doctrinæ: ne nimia ſui fiducia, vt fit, in errorem labatur.

Hæreſes, & errores, qui cū Catholica pugnant veritate, ne temere, & ſine delectu tractet in ſuggeſtu Concionator: propterea quod eorum rudes, & imperiti, nihil his proficiant; & quamuis doceri poſſint, præſtat tamen non attingere. Scimus enim maiorem eſſe dæmonis aſtutiam, quam humanam prudentiam, & vigilantiam. Prudentis itaque Eccleſiaſtæ officium erit, robur addere argumentis Catholicæ fidei, & cum ea pugnans mendacium refellere alia via: vt verbi gratia, cum ſe occaſio offeret, confirmabit obedientiam Romanæ Eccleſiæ debitam; firmabitque Scripturæ locis, & rationibus virginitatis donum, cœlibatum Sacerdotum: enumerabit fructus Religionum, Religioſorumque hominum: exaggerabit meritum bonorum operum, & pœnitentiæ: hortabitur ad obediētiam Principum, & Antiſtitum Eccleſiaſticorum, & ſecularium; item de fructu indulgentiarum, tam pro viuis,

uis, quam pro vita functis: & intercessionis vtilitatem, & inuocationem Sanctorum commendabit, vt & cultum reliquiarum, & memorias illis consecratas. Et hæc quidem omnia prudens Ecclesiastes sancto zelo ita temperabit, vt qui nouerit contrarios esse errores, intelligat qua ratione refelli possint: qui vero non nouerit, in sua permaneat simplicitate, & se ipse consoletur, habeatque ad manũ, si forte intus, exteriusque tentaretur in fide, quo se tueatur. In prouincijs vero hæresi contaminatis, non opus est hac cautione, sed aperte, tamen in caritate, & visceribus doloris, hæreticorum fraudes, cæcitatem, & errores detegat. Quod tamen non aggrediatur in suggestu, nisi omnibus neruis ingenij, doctrinæ vi, & spiritu, & argumentorum pondere adhibito: ne, dum sanare vult, plus noceat, vsus infirmis argumentis.

Vitandum & illud, ne in corona hominum indoctorum agat de gradibus perfectionis spiritus, & de Orationis, & Contemplationis sublimitate: pauci enim intelligent, & multi animum in tanta luce despondebunt. Si enim videat se scopum non attingere, qui proponitur, vulgus se errare putat, suaque opera bona nullius esse meriti, & quæ cœperant, modica. Alij vero carnis serui illa irrident, nec facile assentiuntur huiusmodi Orationis & Contemplationis sublimitati. Sic fit, vt & Concio-

nator

nator inanis gloriæ vitio periclitetur, & auditor vacuus domum, & aridus redeat. Consultum itaq; fuerit, vt doctrinam ad auditorum captum temperet, ac moderetur.

Vitabit Auxeses, hoc est, exaggerationes nimias, & Hyperbolas, & laudes sine exceptione & comparationes odiosas de præstantia Sanctorum interse: nec virtutes, vel opera, temere ita extollat, vt ceteris omnibus anteponat. Nam præterquam, hæc sine auditorum fructu dicuntur, si ad examen, & trutinam vocarentur, negocium cõcionanti facessere possent huiusmodi exaggerationes. Tutius itaq; fuerit candide loqui, & moderate.

Non satis sit virtutes laudasse, & Sanctos, sed & media ostendat, & viã, qua inuitari queant auditores: ostendens interea spinas, quæ viam illam ad æternam salutẽ impeditam reddunt. Viæ, quas ad virtutem patefaciet, multæ sint, & faciles: alij enim alias ingrediuntur.

Quo populum libentius se audire videt, & attentius, atque frequentius, eo audacius veritatem, in ijs quę oportet, exponat: vitia item, & abusus non taceat, memor illius Saluatoris nostri, qui quo die ab Hebræis honorificentius cum applausu, & ramis acceptus fuit, cantantibus illis, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, eo ipso die eiecit è templo summa seueritate, & flagellis ementes, & vendentes.

Matth. 21.

Vitabit & illud ne humano respectu, aut spe

ſpe commodi adductus, & lucri, munus exerceat ſuum: niſi volet lepram peccatorum, quã à populo aufert, in ſe recipere, vt Gieſo auaro accidiſſe legimus, qui lepram in ſe ſuſcepit, quam Nahamo diuina gratia conuerſo abſtulerat. 4. Reg. 5.

CAPVT VIII.

DIMISSA CONCIONE, CONcionatori quid agendum.

FINITA concione vbi ſe in cubiculum Eccleſiaſtes receperit, gratias aget DEO, quod opera ſua in tam ſublimi miniſterio, vtilique fine, vti voluerit. Repetat memoria errata, quæ concionando commiſit, vt ſe ipſe humiliet, vtque alias eadem fugiat. Sic fiet, vt munitus ſit aduerſus laudes, & adulationes aliorum, & contra cæcum ſui amorem, & inanem gloriam: quæ apertis mendacijs fallunt, & excecant, niſi ſpiritus ſit humilis, atque ſubactus. Vt autem ſe ipſe humiliter cognoſcat, ſuamq; miſeriam, effugiatque adulationes, dicat. *Summe* DEVS, *quoties hodie contra me miſerum peccatorem ſententiam dixi? Quantum inter ſe pugnant apud me dicta, & facta? Tepidus ego, & delicatulus, quam in alios ſeuerus ſum excitando, & repreben-*

hendendo? contra in me quam mollis sum, & blandus? Mihi ipse quam facile ignosco, ceteris vero minime? Vide quo modo de Euangelica perfectione disserere audeat, qui tam longe ab ea distat; violator præceptorum tuorum. Equidem leoni similis videor, qui cauda sua pedum vestigia delet: sic ego operibus, & vitæ vestigijs obscurare videor eam, quam verbo doceo, doctrinam.

Si forte dicent amici, fructum te concionando referre, dic cum humili Virgine Maria: *Magnificat anima mea Dominum.* & cum Propheta Regio: *Dico ego opera mea Regi.* Regis enim cœlestis sunt omnia; quæ cœli ambitu continentur, ipsique omnis gloria debetur. Et hic quidem fructus est grani in terram cadentis, & mortui, cum ipse vult, & quãtum ei placet. *Nos vero serui inutiles sumus: & cum omnia fecerimus, quæ oportet, nondum satisfecimus.* Si forte contra dici inaudieris, nullum ex tuis concionibus fructum apparere satis tibi sit morem gessisse imperanti, quæ res non modici quæstus est. Et dicat: *Saltem, Domine* DEVS, *quando nulli rei satis idoneus sum; testis esse possum, & præco diuinæ tuæ voluntatis; prædicans legem tuam ore meo hominibus: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Illud quoque consolationis sit cogitanti, tametsi fructus non appareant hominibus, sæpe tamen DEVM solere clam percipere, corda auditorum mouendo, quæ solus ille scrutatur, & videt, sub hominũ

Luc.1.
Psal.44.
Ioan.12.
Luc.16.
Psal.10.

vero

vero aſpectum non cadunt. Memineris & Apoſtolos, & diſcipulos IESV CHRISTI Euangelium prædicando per totum terrarum orbem, paucos ſæpe mouendo, modicum fructum retuliſſe, quem poſt mortē illorum, tanquam ex ſemine natum, colligi DEVS voluit.

Audis fortaſſe murmur de te natum eſſe, caue turberis, ſi cauſam non dederis: immo gratias DEO age, qui audit detractiones & blaſphemias, quas & ille concionatus in terris audiuit, poſtquam & docendo, & ægrotos ſanando omni bono de Iudæis meritus eſſet. Et quamuis alij per te non profecerint, ſaltem tibi profuiſſe videare concionando. Vide quantum te prædicatione Euangelica obſtrinxeris, vt eadem quæ alijs præceperis, ſeruanda tibi eſſe ſcias. Si enim contra atque docueris feceris, ſimilis eris ſepulcris de albatis, foris quidem albis, & ornatis, intus vero oſſibus, & fœtore plenis.

His & ſimilibus meditationibus humilem ſe Concionator ſeruet neceſſe eſt: & quanto erit humilior, tanto etiam maiores fructus reportabit, eritque gratior DEO Opt. Max. qui perfectiſſimus eſt Euangelicæ prædicationis magiſter, & vnicus humilium Concionatorū Doctor: cui cum Patre, & Spiritu Sancto laus, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Laus Deo, glorioſiſſimæ Virgini Mariæ, & omnibus Sanctis.

FINIS.

Soc. Iesu Paderb.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
2208

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN